JOHANNIS HENRICI FLORINI
Professoris Herbornensis

HYPERASPISTES
SIVE
DEFENSOR VERITATIS

Adversus errores, quorum nuper
Vir Nobilissimus & Iurisprudentiæ famâ Celeberrimus,

D. JOHANNES HESERUS

Religionem Reformatam, ad incrustandam suam ab eâ apostasiam, insimulare non dubitavit.


OPUS LECTU UTILISSIMUM

Quô præcipuæ Evangelicos inter & Pontificios controversiæ excutiuntur & adversarii suo ipsorum gladio jugulantur,

DUOBUS INDICIBUS INSTRUCTUM.



HERBORNÆ,
Typis & Sumptibus, Johannis Nicolai Andreæ,
ANNO M. DC. XCIV.


AD
BIBLIOTHECAM
PRINCIPALEM
ARAVSIO-NASSAVIENSEM
DILLENBVRGICAM.


Bibliothek d. Ev. theolog. Seminars
Herborn

Serenissimo ac Celsissimo Principi & Domino,

DOMINO

HENRICO

PRINCIPI NASSOVIÆ, COMITI CATTIMELIBOCI, VIANDÆ ET DECIÆ, DYNASTÆ BEILSTEINII, &c. &c.

Principi ac Domino suo Clementissimo.

)(UT

UT ET

Serenissimæ ac Celsissimæ Principi & Dominæ,

D. ALBERTINÆ
PRINCIPI ARAUSIONENSIUM ET NASSOVIORUM, COMITI CATTIMELIBOCI, VIANDÆ, DECIÆ ET SPIEGELBERGÆ, DOMINÆ BEILSTEINII ET LIESFELDIÆ &c VIDUÆ ET REGENTI, &c. &c.

Principi & Dominæ suæ Clementissimæ.

NEC

NEC NON

Serenissimæ ac Celsissimæ Principi ac Dominæ

D. ERNESTINÆ CHARLOTTÆ

PRINCIPI NASSOVIÆ, COMITI CATTIMELIBOCI, VIANDÆ, DECIÆ, LIMBVRGI, BRONCKHORSTI AC HOLTZAPPELIÆ, DOMINÆ IN BEILSTEIN, STIRVM, WISCH, BORKELOHE LICHTENVOORDE, WILDENBORGH, LAVRENBVRG ET SCHAVMBVRG; HÆREDITARIÆ BARONISSÆ DUCATUS GELDRIÆ & COMITATVS ZVTPHANIÆ, &c. VIDUÆ, TUTRICI AC REGENTI, &c. &c.

Principi ac Dominæ suæ Clementissimæ.

Illi

PATRI PATRIÆ OPTIMO MAXIMO,
NUTRITIO ECCLESIÆ INCLYTISSIMO,
REI LITERARIÆ TUTANO GLORIOSISSIMO.

His

Quantum ad ævum præſens,
PRINCIPUM MATRONARUM,
PIETATIS ALIARUMQ; VIRTUTUM
GLORIA INCLYTISSIMARUM,
CORONIS EMINENTISSIMIS,
Quantum ad futurum,
EXEMPLARIBUS SPLENDIDISSIMIS

Gratiam, Pacem, ſalutem à Chriſto Salutis Fonte !

Sere-

Serenissime Princeps, Domine Clementissime.

Serenissimæ Principes, Dominæ Clementissimæ.



Æc est, judice B. Hieronymo (*Tom. 8. Comm. in cap. 4. ad Gal.*) *conditio veritatis, ut eam semper inimicitiæ sequantur, sicut per adulationem perniciosam amicitiæ conquiruntur.* Quod nî verissimum esse cùm divino sacrarum Literarum testimonio, tum Ecclesiæ Christianæ olim sub Ethnico-

rum Imperatorum tyrannide gementis exemplo, imò insuper quotidianâ inter alios pateret experientiâ, vel unicus Papatus probatum dare posset. Quoties ipsi olim à Waldensibus, Albigensibus aliisque veris Dei Servis, tum inter Papistas, ut quondam pius Lothus inter Sodomitas, habitantibus non veritas, per evidentem idololatriæ, superstitionis aliorumque errorum gravissimorum convictionem, proposita? at quot ac quantæ non mox etiam in eam Papistarum extitêre inimicitiæ, odia ac persecutiones? adeò ut multa confessorum ejus millia truculentâ ipsorum manu diem suum supremum obierint. Num putabimus, illos inimicum istum & odii furorisque plenissimum animum progressu temporis deposuisse? Nihil minus. Loquimini vos ô pie Hussi & Hieronyme Pragensis, qui circa annum Christi 1400. masculè Papatui obstitistis, turpitudinem ejus toti mundo denudando, quid veritatem tam fideliter disseminatam, in petrosis Papistarum cordibus, sequutum? annon odia, inimicitiæ, imo ipsi rogi, ad quos à φιλομίσοις

istis

istis an. 1414. in Conc. Constantiensi damnati animas vestras Deo, earundem Creatori, constantissimè reddidistis? Audiamini & vos Zwingli, Luthere & Calvine, Reformatores אשר עליהם השלום לעולם, in quibus duo testes Apocalyptici (i. e. præstantissimi illi Dei servi, qui se longè antè Papatui opposuerant, duo testes dicti, eò quòd Papatum oppugnando ad V. & Nov. Testamentum provocârant) revixerunt, ut olim Elias in Johanne Baptista Apoc. 11. v. 11. Luc. 1. v. 17. quid olim Reformationem vestram eâque detectam mundo veritatem sequebatur? nonne odia, inimicitiæ, mendacia, maledicta, calumniæ? quibus etiamnum hodie Pontificis Romani Gnathonum in vos calent animi. Subibat Papæ & Papistarum animos intentio, & contra hos Athletas Syllogismos, quorum medios terminos constituerent *ferrum* & *flamma*, ita ut tum *mors* ingrederetur conclusionem, in *Barbara* & *Ferio* nectendi, ut hactenus apud ipsos usu receptum fuerat: (Unde & Leo X. editâ ann. 1520. Bullâ Lutherum Romam citavit, pollicitus

ipsi

ipsi quidem *informationem luce clariorem*; sed linguâ Romanâ, quâ *lux* & *ignis*, *informare* & *cremare* æquipollent, qualem & seculo superiori pius Hussius, instructus licet à Cæsare Sigismundo fide publicâ, informationem à Conc. Constantiensi obtinuerat.) At Deo clementer impediente, ita ut Monachi & paulò pòst (an. 1537.) exorti Jesuitæ scopum suum assequi non valerent, quid non moliti? quot rancidas nænias non occinuêre de his piis Viris? quot non calumnias? quot non mendacia? quot non convitia effutiêre in ipsos? commenti, ad abalienandos ab ipsis hominum animos, *diabolum Zvvinglio suggeßiße cœnam Reformatam* (*sic Redingius apud Cl. Heidegg. Dissert. 4. n. 13.*) *eundemque fuisse Instrumentum diaboli* (*sic Cusanus Discipl. Sch. p. 487.*) *Lutherum fuisse hæresiarcham, Scortatorem, Epicuræum* (*vide Vetter. anat. Luth.*) *eundem operâ diaboli incubi genitum esse, & docuisse, ventris flatu dæmonia ejicienda esse* (*sic Iesuita Sylvester Tract. contr. Molinæum cap. 11.*) *Calvinum fuisse Sodomitam* (*sic Iesuita Leßius*) *eique Novioduni ferro candente*

dente stigma inustum fuisse (*sic Hier. Bolsecus*) *eundemque filium suum ad S. Hubertum misisse, ut morsu rabidi canis curaretur* [*sic Iesuita Sylvester l. c. cap. 16.*] Hem mendacia orco, non orbe Christiano digna! Calvino nostro nullus unquam fuit filius, sed ἄτεκνος decessit: Et tamen Papicolis istis filium suum misit ad S. Huberbertum!

Ut autem in Reformatores, ita quoque in ipsos Reformatos, eò quòd Veritatem Evangelicam fovent, istud suum, plusquam Vatinianum, odium exserere non desinunt isti φιλόμισοι, parati, oblatâ ad id vel minimâ libertate, illud etiamnum plenis flammis atque ferro effundere. Expertæ id proh dolor! nimio plus non ita dudum in Gallia Ecclesiæ Reformatæ: Expertæ, inquam, sunt, cujus indolis sint Liberi illi, qui Papam Romanum, suum agnoscunt Patrem! Certè si nullum aliud daretur indicium [quorum tamen millia dantur] *Ecclesiam Romanam esse falsam Ecclesiam*, vel hæc sola ipsius Scythicâ immanior in membra Christi barbaries id evinceret. Spiritus Sanctus olim

discipulos Christi ad præconium Evangelii instructurus, an ipsis commendavit gladium & flammam adversus refractarios? annon comparuit in specie linguæ, quæ est organum loquelæ? ut verb , non ferro, loquendo, non præliando regnum spirituale propagandum esse innueret: At Papistæ, videntes, se *verbo* scopum suum assequi non posse, ejus loco *ferrum* stringendum judicant, opinantes, se tum egregiè homines convertisse, si syllogismos ferreos in *Barbara* & *Ferio* struendo, ipsos crinibus, fustibus, ferro & flammâ ad externam Religionis suæ professionem traxerint, nihil soliciti de internis ipsorum conscientiis. Quem homines convertendi modum à priscis Ethnicis, qui eâdem olim crudelitate in pios Christianos sævierunt, non certè in Schola Christi, qui discipulis suis commendat mansuetudinem; *discite à me*, inquiens, *quia mitis sum & humilis corde. Matth. 11. v. 29.* nec in Schola Apostolorum, *Ipsorum* enim *militiæ arma non erant carnalia, sed divinitus valida* πρὸς καθαίρεσιν ὀχυρωμάτων 2. Cor. 10. v. 4. nec denique in Schola sanæ Antiqui-

tiquitatis [ut infra cap. 1. num. 32. demonstravimus] didicerunt. Convenit ne ovibus, ut ipſe Chriſtus veros Chriſtianos vocat Joh. 10. v.27. more luporum ululare, ſævire, lacerare?

Quamvis autem veros Chriſtianos non deceat φιλομίσους tales viciſſim odiſſe, ſed potius juxta monitum Salvatoris ſui [qui quoque ex collata mundo veritate, à mundo non niſi odium, inimicitias, perſecutionem, imò tandem ipſam mortem retulit Joh. 15. 18.] *benedicere iis, qui ipſos execrantur, benefacere iis, qui ipſos oderunt, orare pro iis, qui ipſis ſunt infenſi & perſequuntur Matt. 5. 44.* imò potius gaudere, *quòd digni habeantur, qui pro nomine IESU contumeliâ afficiantur Act. 5. v. 41.* Nihilominus tamen ipſorum eſt, veritatem, quâ ipſos dignari divinæ placuit Clementiæ, ab adverſantium rhonchis & erroribus vindicando, καθηκόντως reſpondere, imò ſemper propenſo eſſe animo, *ad reſpondendum μετὰ πραΰτητος καὶ φόβου cuivis petenti ab ipſis rationem ejus ſpei, quæ in ipſis eſt 1. Petr. 3. v. 15.* Cùm proinde & nuper Vir cæteroquin conſultiſſimus, *D. Iohannes Heſerus*, emiſſo ad

incruſtandam ſuam à Religione Reformatâ apoſtaſiam libro, veritatem Evangelicam Theonino dente rodere non dubitaverit, quid juſtius fuit, quàm eandem adverſus morſus hujus Viri [qui longè meliùs ſibi conſuluiſſet, ſi illi Apellis conſilio; *Ne ſutor ultra crepidam*, morem geſſiſſet] tueri? Et id, Dei gratiâ, hoc præſenti Tractatu à me ita præſtatur, ut Papiſtis in Papiſtas incitatis, ipſi tandem Magiſtri non rarò vel inviti ſurgant contra diſcipulum & ipſum falſitatis convincendo, dilectæ à nobis veritati teſtimonium perhibeant, hoc nobis jucundum præbentes ſpectaculum, quòd *obverterit Dominus gladium unius in alterum* בכל המחנה *Iudic.7.22.* & effecerit, ut, Cadméi iſti Fratres mutuis ſe ipſos vulneribus conficiant.

Haſce autem meas adverſus idolomaniam Romanam meditationes [quarum quædam, pro more in Scholis recepto, diſputando in lucem prodierunt,] jure merito Vobis *Sereniſsime Princeps* & *Sereniſsimæ Principes* eâ quâ par eſt obſervantiâ ſiſto, non quò meam in Sparta, quam mihi in Academia veſtra Herbornenſi

de-


demandare *Serenißimis Celsitudinibus Vestris* clementissimè placuit, publicè & privatim exornandâ assiduitatem, Vobis satis superque cognitam, magis commendem, sed quò, cùm gratiis pro Gratiâ à Vobis in me cumulatissimè collatâ referendis longè impar existam, hoc Literario Munere saltem extet gratissimæ & devotissimæ erga Vos mentis profundæque venerationis monimentum. Quantum enim *Serenißimis Celsitudinibus Vestris* debeam, si enarrare cœpero, dies me deficiat; & malim super Vestris ἐυεργετήμασι, quibus me afficere clementissimè placuit, Parrhasii velum ac silentii siparium adducere, quàm, ut quondam de Augusto dicebat Suetonius, idoneis destitutus elogiis, *parcè & jejunè attingere.* Quid me [quod verbo tangere liceat] à Berlinensium, quid ab Harderovicensium Scholis, quæ me, in Athenæo vestro commorantem, desiderârunt, abstraxit, nisì celsissima, quâ etiam constitutum mihi salarium augere volupe fuit, *Serenißimarum Celsitudinum Vestrarum* Clementia? Admittite ergò serenâ fronte, *Serenißime*

Princeps, *Sereniſſimæ Principes*, hanc qualemcunque affectus devotiſſimi, præſentis venerationis atque obſequii humillimi teſtificationem atque eâdem, quâ hactenus, Celſiſſimâ Gratiâ Veſtrâ & in poſterum proſequi ne dedignamini eum, qui, quoad vixerit, pro conſtanti perennique Sereniſſimarum Domuum Veſtrarum incolumitate Deum T. O. M. ſolicitis calidiſſimisque venerari votis nunquam deſinet

Veſtrarum V. V. Sereniſſimarum Celſitudinum
Humillimum & Devotiſſimum Clientem.

J. HENRICUM FLORINUM.

Le-



Lectori Benevolo
S. P. D.
IO. HENRICVS FLORINVS.

SVbit ne animum tuum fortè admiratio Amice Lector, quòd, cùm tot sese offerant inter Evangelicos Athletæ in hac Palæstra longè exercitatiores, ego, quem indies ad tot alia onera Professionis demandatæ vocat ratio, impræsentiarum ad confutandos Pontificios accingar? quid rei sit, paucis tibi aperiam. Vigesimus sextus, nî fallor, jam evolvitur annus, ex quo Scholis Pontificiis admotus Latinitati aliisque exercitiis operam dare cœpi: Benevolentiâ, ut verum fatear, haud exiguâ me prosecuti fuère Monachi, aliique, quibuscum ut versarer, studiorum ratio tum exigebat, præsertim conspicati meam in audiendis

audiendis

diendis Mißis, aliisque exercitiis atque consuetudinibus Pontificiis frequentandis [*ex imprudentia juvenili*] *facilitatem. Quæ interim ipsos subierit intentio, facile, nî fallar, conjecturâ assequitur is, qui cerebrum non gestat in calcaneo. Num autumaveris, eos, qui more Pharisæorum* mare aridamque circumeunt, ποιῆσαι ἕνα προσήλυτον, *ut ipse Salvator noster loquitur Matth. 23. v. 15. hæreticorum* [*ceu nos pro modestiâ suâ nuncupant*] *Liberis informandis vel tantillum temporis daturos citra præconceptam, si non omnium, saltem plurimorum hac ratione in rete suum pertrahendorum intentionem? Sed quicquid sit; non exigua, ut dixi, fuerunt beneficia, quæ in me Viri illi, præsertim Monachi, contulerunt: Quorum proinde memoriam si non grata mente colerem, quis mihi non vitio duceret? quis mihi non ingratitudinis notam inureret? Quî autem me ipsis gratiorem præbere potero, quàm si loco* Latinitatis, *quam me olim docuerunt, ipsos jam doceam* veritatem? *Docui illos eam non ita pridem, emisso in lucem libello, quem inscripsi* Cathedram Papalem. *Docui paulò pòst illos eandem,* amicâ Responsione *ad librum D. Cornii,*

Ie-

Iesuitæ, jussu Gloriosissimæ m. Principis ac Domini D. WILHELMI MAURITII, Principis Nassoviæ &c. editâ. *Et in eundem finem prodit jam etiam præsens hoc ad Tractatum Viri jurisprudentiæ famâ Celeberrimi, Domini* Johannis Heseri, *Responsum. Iudicavi me huic Viro singulariter obstrictum, ad demonstrandum ipsi veritatem (cujus, mecum à primis adolescentiæ annis Scholis Pontificiis admotus,* διὰ τῆς χρηστολογίας καὶ εὐλογίας *Iesutiarum, naufragium fecerat) non duntaxat quòd mihi, Sigenæ viventi, ipso familiariter uti licuit, sed in primis ratione affinitatis, quæ mihi cum ipso intercessit. Maluissem propugnare pro Viro quàm ipsum oppugnare [quamvis hinc honori ejus civili nihil detractum velim] si modò ipse non oppugnâsset veritatem Evangelicam: Hanc autem cum ille non dubitaverit publicè aggredi; non dubitavi ego eandem publicè tueri, hoc in primis Iesuitas aliosque Antagonistas, quibuscunque demum mecum manum conserere placuerit, rogans, & monens, ut conclamati Papismi sui patrocinium suscepturi, omnia à me producta ad exactum* κατὰ πόδα *examen animo vocent, & non aliqua demum more*

)( )( )(*sibi*


ſibi & deſperatæ cauſæ Patronis conſueto, deſultoriâ levitate hinc inde ſaltuatim ac carptim, vellicare omiſsis aut diſsimulatis iis, in quibus cardo rei vertitur, aggrediantur. Hoc enim quid aliud eſt quàm cauſam deſerere eamque ceu deſperatam toti mundo prodere? D. Kunckelium, cùm Libro Heſeriano præfixerit cenſuram ſuam, æquum fuiſſet in ſpecie invitare ad reſpondendum: at cùm ex alto ſilentio, quod hactenus egit ad Tractatum Cl. Collegæ noſtri, D. Horchii, conjiciam, eum jam negotiis juridicis [Eſt enim non duntaxat SS. Theolog. *ſed &* J.U. Doctor] *diſtingi, volui ei parcere; ſpe interim nixus, eum, ſi quid temporis reſiduum habuerit, me reſponſo dignaturum. Reſpondeant Viri ſed ad omnia, ut à me reſponſum Cl. Heſero [non, ut ſolent, ad quædam tantum ſaltuatim & carptim, ut videantur demum reſpondiſſe, ſimplicibus impoſuiſſe contenti.] & reſpondere paratum ſuum invenient Florinum!*

IN-



INDEX CAPITUM.





CAPUT I.
DE
Perspicuitate & lectione S. Bibliorum.

I. TRia conatur D. Jurisconsultus in hoc primo capite demonstrare. 1. Versiones nostras, in primis Lutheri esse corruptas. 2. S. Scripturam, etiam in ipsis fidei articulis, esse obscuram, adeóque 3. ejus lectionem laicis, quos vocant (saltem in nostris versionibus) non esse concedendam. Confusè autem & permistè pleraque proponit, nullaque ferè vel limitatione vel restrictione utitur, ut commodiùs, dum nobis respondere se fingit, extra septa vagaretur.

II. Ad primum probandum antequam se accingat, conqueritur de injuria, quam Reformati Ecclesiæ Romanæ inferant, simplici popello persuadendo, ipsam Laicis lectione S. Scripturæ interdicere; cùm tamen ab ea neminem arceat, dummodo à Catholicis Doctoribus examinatâ & approbatâ, non verò hæretica utatur

 ver-

versione: verùm desinat conqueri D. Jureconsultus: Non enim facimus Romanis injuriam. Quæ sit ipsorum sententia, non meliùs cognosci potest, quàm ex regula IV. Indicis Libr. Prohibitor. ex Tridentina Sanctione editi; *Cum experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari lingua permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti quàm utilitatis oriri, prohibentur Biblia cum omnibus eorum partibus, sive excusa sive manuscripta, in qualicunque vulgari lingua extent.* Quid ad hæc D. Jureconsulte? An dices, Pium IV. quia hoc crudum nimis ipsi videbatur, temperamentum aliquod addidisse, reducendo ad *judicium ordinarii Parochi aut Episcopi* concessionem lectionis Biblicæ, *iis* scilicet, *quos intellexerint, ex hujusmodi lectione non damnum, sed fidei & pietatis augmentum capere posse?* Verum est, eum sic rem duram videri emollire voluisse: sed interim etiam non minùs verum, facultatem illam penitus fuisse ablatam in indice librorum Prohibitor. sub Sixto V. & Clemente VIII. in quo negant, per regulam illam IV. Pii Papæ *ullam de novo tribui facultatem Episcopis vel Inquisitoribus aut Regularium Superioribus, concedendi licentiam, emendi, legendi aut retinendi Biblia vulgari linguâ edita, cùm hactenus mandato & usu S. Romanæ & universalis inquisitionis NB sublata eis fuerit concedendi hujusmodi licentias legendi vel retinendi Biblia vulgaria, aut alias S. Scripturæ tam Novi, quàm Veteris Testamenti partes, quavis vulgari lingua editas: ac insuper summaria & compendia etiam historica eorundem Bibliorum seu librorum S. Scripturæ, quocunque idiomate conscripta: quod quidem inviolatè servandum.* Audis hæc D. Jurisconsulte? Num perges adhuc nos injuriæ postulare? Luce utique meridianâ clariùs hinc liquet,

in nullius, sive Episcopi, sive Parochi, potestate positum esse, Laicis S. Scripturæ Lectionem linguâ vulgari concedere, ac excommunicationi obnoxios esse, quotquot id sibi usurpant. Et quæso, annon etiam ridiculum istud Pii IV. temperamentum? Unde enim Parocho aut Episcopo constabit, eos, quibus Biblia concederent, ex eorum lectione *non damnum, sed fidei & pietatis augmentum capturos esse?* Suum ipsius exemplum ne urgeat D. Jureconsultus: nam apostatis peculiarem à Papa ejusq; asseclis exhiberi favorem, quis miretur? Aliis si quando eadem gratia contingit, Pontificiorum Doctorum eâ in re dissentientium perplexitati acceptam ferant, de qua vide Celeb. Rivetum nostrum *Isagog. ad S. Script. cap.* 13.

III. His præmissis, progreditur jam D. Jurisconsultus ad demonstrandum, Versiones nostras, in primis Lutheri, esse corruptas, adeoque jure Catholicos suos ab earum lectione abstrahi. Quàm feliciter, videamus. Provocat (1) ad locum Pauli Rom. 3. 28. ubi inseruerit Lutherus voculam Allein / manifestè contradicendo Jacobo cap. 2. 24. asserenti, *ex operibus justificari hominem, non ex fide tantum.* Verùm facilis responsio. Posito enim, (1) non tamen concesso, Lutherum, inserendo hanc voculam, locum citatum corrupisse, quid inde periculi Religioni nostræ accresceret? cùm nobis non versio Lutheri, sed textus originalis, Hebræus & Græcus, sit authenticus, ex quo proinde Laici hunc locum, si Lutheri versio alienum inferret sensum, à Pastoribus emendari audirent. Sed (2) falsissimum, Lutherum crimen falsi hîc commisisse. Licet enim illa vocula in textu originali αὐτολεξεὶ & totidem syllabis non habeatur, habetur ta-

men quoad ſenſum. Si namq; dicente ibi Apoſt. homo juſtificatur πίστει χωρὶς ἔργων νόμου, *fide ſine operibus legis*; Ergo utiq; ſola fide. Aut dent nobis Adverſarii tertium, quod certè in æternum non poterunt. Hanc eandem mentem ſuam clariùs adhuc exprimit idem Apoſtolus Gal. 2. 16. dicens; *hominem non juſtificari* ἐξ ἔργων νόμου, ἐὰν μὴ διὰ πίστεως Ἰησοῦ χριστοῦ. Ubi illud ἐὰν μὴ διὰ πίστεως *niſi per fidem* accipitur pro *ſed tantùm per fidem*, quemadmodum ipſe Titelmannus Pontificius exponit. *Cum igitur*, inquit ille Elucid. Paraphraſt. in cap. 2. Ep. ad Gal. *credamus firmiter, quòd ex operibus legis nemo poteſt coram Deo juſtificari, NB. ſed tantum per fidem in Chriſtum.* Ubi *niſi* accipitur pro *nonniſi*. Unde Eſtius (itidem Pontificius) *conſtat, voculam* niſi *frequenter in Scripturis adverſativè ſumi, ut idem valeat, quod ſed tantum*; Ubi addit, omnes interpretes Græcos & Latinos huic interpretationi conſentire, eamque ex ſequentibus colligi, & ex cap. 3. ad Romanos. En verſionem Lutheri juſtificatam ipſo Pontificiorum ore, quos ſi eapropter ſugillare D. Juriſconſulto noſtro libet, per nos licet. Quibus & adjungere poteſt Adamum Sasbout, ſuæ confeſſionis Virum Doctiſſimum, *in cap. 2. ad Galat. ſcribentem. Si quæras, an ex propoſitione iſta, homo juſtificatur non niſi ex fide, rectè inferatur, ergo ſola fide juſtificamur? dicendum, quòd ſic.* Et porrò addentem. *Hac noſtra tempeſtate Catholici Scriptores nullo modo propoſſitionem illam ferunt, putantes, NB. venenum eſſe in illa vocula (Sola) & propterea abſtinendum. Veteres tamen non ita abhorrent à vocula (Sola) ſed nec Thomas abhorrere videtur, ſi qui, inquit, in veteri lege juſti erant, non erant juſti ex operibus, ſed NB. ſolum ex fide Ieſu Chriſti* &c. Arrige aures D. Juriſconſulte, & mirare tuorum Catholicorum

corum, concordiam & hodiernæ Religionis ſuæ antiquitatem jugiter crepantium, diſcordiam, ipſorumque fidei novitatem! Porrò autem nobis reſponde, ſi, ubicunque vocula *μόνον* ſeu *ſolum* verſioni convenienter ſenſui, inſeritur, textus corrumpitur; num ergo etiam LXX. Interpretes textum Deut. *6. 13.* את יהוה אלהיך תירא ואותו תעבד *Dominum Deum tuum timebis & illi ſervies*, inſertâ voculâ *μόνῳ* vertendo, Κύριον τὸν Θεόν σου φοβηθήσῃ καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις, corruperint. Si non corruperunt, cur ergo locum Pauli corrupiſſet Lutherus? Si corruperunt: quomodo ergo ipſe Salvator hanc LXX. verſionem (voculam *μόνῳ*, in textu originali non obviam, retinendo) approbat Matth. 4. 10.? Et quid? ſi Lutherus hîc crimen falſi commiſit; quoties, quæſo, ipſe Vulgatus interpres, cujus tamen verſio Pontificiis eſt authentica, ejuſdem criminis falſi non tenetur? Deut. 12. *31.* dicit Deus את כל הדבר אשר אנכי מצוה אתכם אותו תשמרו לעשות Quæ verba (vertenda aliàs, *unamquamque rem, quam ego præcipio vobis, eam obſervantes facite*) Vulgatus reddit; *Quod præcipio tibi, hoc* TANTUM *facito.* Sic. 1 Sam. 10. *19* dicitur ואתם היום מאסתם את אלהיכם אשר הוא מושיע לכם quod vulgatus, inſertâ iterum voculâ *ſolus*, transfert; *Vos autem hodie projeciſtis Dominum Deum veſtrum, qui* SOLUS *ſalvavit vos.* Plura ejuſmodi loca, quibus vocula SOLUS à Vulgato inſerta, vide *1.* Sam. *18. 8. 2.* Reg. *19. 11.* Cantic. *8. 1.* &c. Quæ ſi eapropter non ſunt corrupta à Vulgato, quâ fronte ergo Lutherum corruptionis & depravationis accuſas D. Jureconſulte? ſi autem ſunt corrupta; quomodo ergo Vulgati Verſio vobis Pontificiis

authentica & infallibilis? Responde nobis, sed solidè, & eris nobis magnus Apollo.

IV. Pugna, quam contendis hac ratione Jacobum inter & Lutherum (substitue jam Paulum) obtinere, imaginaria est. Paulus locis citatis & alibi docens, *hominem justificari sola fide*, loquitur de justificatione impii coram Deo *vide Rom.* 4. 5. Jacobus autem loquitur de justificatione justi, & qui jam justificatus est, & tempus atque occasionem habuit fidem suam demonstrandi & declarandi per charitatem; atque ita manifestandi se justum, juxta illud Johannis 1. cap. 3. 7. *Qui facit justitiam, justus est*. Ille agit de justificatione à priori & constitutivè, hic autem de eadem agit à posteriori & declarativè: Ille intelligit fidem veram & efficacem, hic autem accipit fidem pro fidei professione. Id enim aptissimè quadrat in disputationem Jacobi. *Quæ utilitas*, inquit v. *14*. *si fidem dicat aliquis habere, opera verò non habeat, num potest fides illa eum servare?* Item v. 18. *ostende mihi fidem tuam* &c. Ubi satis innuit, se agere de fidei professione, & ejusdem probatione, quam fieri per opera cum Jacobo confitemur. Quando ergo dicit, *ex operibus justificari hominem & non ex fide tantum* v. 24. nihil aliud vult, quam hominem non ostendere se justum esse, coram Deo & hominibus sola fidei professione, sed etiam tali professione digna conversatione. En Jacobi cum Paulo conciliationem nobis facillimam, vobis autem posita vestrâ de justificatione sententiâ, prorsus impossibilem!

V. Secundum crimen falsi pertendit D. Jureconsultus Lutherum Marc. *11. 26*. omittendo verba illa, apud Evangelistam obvia, **Wo aber ihr nicht vergeben werdet /**

det / so wird euer Vatter / der im Himmel ist / euere Sünden auch nit vergeben / commisisse. Respondemus, Lutherum, si hæc verba (quæ tamen hodie in ipsius Versione occurrunt: posito interim, ea ab ipso primitus fuisse omissa) de industria omisisset, ad pervertendum sensum, à crimine falsi non esse excusandum, & posse id ipsi, non autem Evangelicis in genere, jure exprobrari: Cùm verò id à D. Jureconsulto demonstrari non possit, nec inde etiam, si vel maximè posset demonstrari, Laicis, utpote qui cum è suggestu, tum ex aliis Versionibus hæc emendari vident, quid periculi immineat, miror, eum talibus immorari. Rectiùs hanc suam virgulam censoriam in suum strinxisset Vulgatum, dum illam Christi doxologiam. Matth. 6. 13. *Quia tuum est regnum & potentia & gloria in secula, amen.* non duntaxat in Exemplaribus Græcis vetustissimis & probatissimis, atque in Versionibus Syriacâ, Persicâ, Æthiopicâ obviam; sed &, vel ipso Bellarmino teste, à S. Patribus, Chrysostomo, Theophylacto & Euthymio explicatam, absolutè expunxit.

VI. Haud minùs etiam injurius est in Lutherum, dum eum loca Act. 4. 22. 23. Jacob. 5. *14. 1.* Tim. 5. *17.* Tit *1.* 5. vocem Græcam πρεσβύτερος Germanicè vertendo Eltesten / adulterâsse contendit. Qui Græcè novit, haud inficias ibit, vocem illam significare *seniorem*: Est enim comparativus, à positivo πρέσβυς *senex.* Optimè ergo Lutherus illam vocem ita Germanicè vertit: Et ridiculus è contrario est D. Jureconsultus, dum eam potiùs verti vult Priester / ad ravim usque clamans, Christum Ecclesiæ suæ reliquisse Sacerdotes propriè dictos. O bo-

ne!

ne! unde hunc iſtius vocis ſignificatum demonſtrabis? Ubi quid de inſtitutis proprie dictis Sacerdotibus in N. Teſtamento? Sed cum tibi Sacerdotes adeò ſint cordi (haud dubiè in gratiam Miſſæ veſtræ) dicas ergo nobis Sint ne tui Miſſifices ſecundum ordinem Aaronicum Sacerdotes, an verò ſecundùm ordinem Melchiſedecianum? Utrum eliges? an prius? Ergo tui Sacerdotes erunt Judæi & non Chriſtiani. An poſterius? Ergo erunt ipſe Chriſtus: Is enim ſolus in S. codice proponitur Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedek Pſ. *110*. & Heb. *5*. & 7. Incaſſum regeres, Chriſtum eſſe ſolum Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedek, ſed *ſummum & primarium*; veſtros autem eſſe *ſecundarios & ſubordinatos*: cùm ordo Melchiſedecianus ſubordinationem, qualis obtinebat in Ordine Aaronico, non agnoſcat. Patet id ex oppoſitione inter Ordinem Aaronis & Melchiſedeci inſtituta ab Apoſtolo Hebr. 7. *23. 24. Illi quidem*, inquit, *plures facti ſunt ſacerdotes, quòd mors prohiberet eos permanere*: At iſte, *propterea quòd in æternum manet*, ἀπαράβατον ἔχει ἱερωσύνην *habet ſacerdotium in alium* (ſcil. tanquam ſubordinatum, quales erant in Ordine Aaronico) *non tranſiens*. Et hinc ab eodem Apoſtolo v. 3. introducitur ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν, μήτε ζωῆς τέλος ἔχων. Sed hæc ἐν παρόδῳ. Vide interim de his fusè & eruditè diſſerentem Celeb. Horchium, Compatrem & Collegam meum honorandum *in ſuo Sacerdotio Roman.* νοθείας *convict. contra D. Konkelium, Theolog. Moguntinum pag. 56. 57. & ſeq.*

XII. Ex dictis patet, quid jam judicandum ſit de reliquis σφάλμασι, quæ D. Jureconſultus à Doctoribus ſuis in

in aliis Evangelicorum Versionibus observata dicit, nimirum non tam in Bibliis, quàm in Jesuitarum cerebris existunt. Quamvis interim, si qua demonstrari possent, inde causæ Evangelicorum, utpotè quibus nullæ Versiones, sed textus Hebræus V. & Græcus N. Testamenti est authenticus, nihil decederet. Convertat potiùs D. Jureconsultus, quia ipsi de σφάλμασι Versionum agere lubet, oculos in suam vulgatam, Pontificiis authenticam, & habebit domi satis, quod agat. Scatet enim illa passim vitiis, & quidem hinc inde tam evidentibus, ut à Linguarum Originalium vel mediocriter peritis palpentur quasi manibus. En insignem illam, solatiique plenissimam Dei, de semine Mulieris caput serpentis contrituro, promissionem Gen. 3. 15.! In hac licet textus Hebræus exhibeat voculam הוא *ipsum*, scil. *semen mulieris*, & verbum ישופך cum affixo suo sit masculini generis, nihilominùs tamen Vulgatus in gratiam cultus Mariani (unde non dubitat Guilkircherus *lib. de Noviss. p. 36.* imagini B. V. Mariæ appingere; *Hæc est mulier, quæ contrivit caput serpentis.* Hem Horrendam blasphemiam!) transtulit *ipsa*. Sic Gen. 8. 7. dicente textu Hebræo , *Noachum emisisse corvum, qui indesinenter exierit & redierit,* Vulgatus corvum non rediisse asserit. Idem Vulgatus Psal. 19. 13. vocem מזדים adeò perfunctoriè aspexit, ut ד ei videretur ר , adeóque reddiderit *ab alienis* pro *à superbis*. E contrariò videtur perspecillo usus esse, dum Prov. 4. 16. vertit *non rapitur* pro *rapitur*, conspicatus voculam *non*, in textu originali non obviam. Eundem dormiisse credo, cùm verbum דלף Ps. 119. 28. vertit *dormitavit* pro *stillavit*. Quis à cachinno sibi temperet, qui adhibita hac Vulgati Versione in caput

put *51*. Jeremiæ incidit? dicente enim illic v.*13*. textu Hebræo החרימו כל צבאה *internecioni devovete omnem exercitum ejus*, ipse transfert, *interficite omnem malitiam*. Sexcenta similia facillimo negotio adduci possent, nisi nobis instituti nostri ratio brevitatem commendaret. Et quid pluribus opus? Ipse Bellarminus in Epist. datâ Capuæ ad Fr. Lucam Brugensem fatetur, Biblia Vulgata non esse satis accurata, cùm ait: *Scias velim, Biblia Vulgata non esse à nobis accuratissimè castigata: multa enim de industria justis de causis præterivimus, quæ correctione indigere videbantur*. Quid jam videtur tibi D. Jurisconsulte? Num adhuc Ecclesiæ Romanæ, *Matris tuæ*, quam vocas, *in filios suos fidelitatem* tantopere prædicandam censes? Scilicet tam fida est in vos Pontificios *Mater vestra*, ut vobis omnem textum authenticum abstulerit. Demonstratu hoc facillimum. Cùm enim Concilium Tridentinum Sess. 4. Vulgatam Latinam authenticam declaravit, voluit, ut *quàm emendatissimè* ederetur, quò pro authenticâ haberi posset. Elapsis autem 40. annis Papa Sixtus V. in Bulla, Bibliis ipsius *1590*. Romæ impressis præfixâ, demum gloriatus est, se jam divulgare Editionem, *quàm emendatissimè* elaboratam, quæ ex decreto Concilii authentica haberi debeat. Præterlapso verò biennio Clemens VIII. tantum abesse judicavit, ut hæc Sixtina Editio *quàm emendatissimè* sit elaborata, ut ille etiam eam, multa emendando (etiam quantum ad ipsum textum, vide Matth. 27 *35*. Prov. *25*. *24*. Lev. 20. *9*. Jud. *17*. *2*. *3*. 1. Sam. *4*. *21*. 1. Reg. 12. *10*. *2*. Chron. *2*. 10. &c.) plura tamen emendanda relinquendo, sub incudem revocârit, atque *1592*. aliam, & quidem, ut ipse ominabatur, longè emendatiorem ediderit,

diderit, adeóque authentiam Sixtinæ Editionis sustulerit, suam verò dubiam ac incertam reddiderit, ut proindè Pontificii, utpote non magis certi de Clementis, quàm de Sixti infallibilitate, hodie de nullo textu authentico certiorati esse queant. En *Matrem fidissimam!*

VIII. Etsi jam cum præmissis illis conditionibus fingit D. Jureconsultus, se lectionem Bibliorum non improbare, nihilominus tamen, quæcunque potest, corradit, ut ejus studiosos ab ea deterreat. Huc enim jam ipsius secundam assertionem; nimirum *S. Scripturam non esse perspicuam, nec ab omnibus hominibus, etiam in ipsis articulis fidei, facile intelligi*, tendere, quis non videat? Ut autem supra, ita non minus hîc dolosè agit D. Jurisconsultus; statum quæstionis pro more Bellarmini aliorumque Pontificiorum pervertendo. Nullus enim nostrum unquam absolute & sine limitatione asseruit, S. Scripturam esse perspicuam & intellectu facilem, qui ultrò fatemur, sua esse Scripturæ adyta & sua βάθη. Nullus etiam nostrum unquam docuit S. Scripturam omnibus hominibus, etiam in ipsis fidei articulis, ad salutem intellectu facilem esse, qui non negamus, Scripturas sic esse obscuras omnibus irregenitis, quibus Evangelium suum tectum esse dicit Paulus 2. Cor. 4. Nullus etiam nostrum unquam statuit, S. Scripturam, etiam in ipsis fidei articulis, adeo passim perspicuam esse, ut non opus sit labore, scrutinio, meditatione &c. Media enim non excludimus; adeoque ridiculus est D. Jureconsultus, dum passim vociferatur, nos debere hæc & illa sine scrutinio & labore totidem verbis ex Scriptura demonstrare. Sed hoc tantùm contendimus, quamvis in S. Scriptura non pauca, intellectu

difficilia, nobis sese offerant loca, ipsam tamen cum fructu sine externo Traditionis auxilio vel Ecclesiæ infallibili judicio à cunctis fidelibus salutariter legi posse, neque obstare has difficultates, quò minùs omnia ad salutem necessaria ex ea perspicuè discantur ab iis, qui præviâ divini Nominis invocatione attentè in ejus lectione versabuntur. *Habet enim Scriptura*, ut eximiè Gregorius I. in cap. 4 Epistol. Præf. Expo. in Jobum loquitur, *in publico, unde parvulos nutriat, sicut servat in secreto, unde mentes sublimium in admirationem suspendat, quasi quidam quippe est fluvius planus & altus, in quo & agnus ambulet & elephas natet.* Similia vide apud Augustinum *libr. 2. de Doctr. Christ. cap. 6.*

IX. Audiamus interim, quid D. Jureconsultus opponat. Ad evincendam Scripturæ obscuritatem provocat (*1*) ad experientiam, utpotè quâ liqueat, multos vero Scripturæ sensu fuisse abusos, variasque quovis tempore ex depravatis Scripturis prodiisse hæreses: At ô misellum! Si multi Scripturis fuêre abusi, quid hoc adversus earum lumen? Num propterea sobriis usus vini est inhibendus, eò quòd ἄσωτοι & heluones eo abutantur? Dicas autem nobis, num hæreses, de quibus quereris, nasci autumes, vitio Scripturæ, an verò vitio hominum Scripturâ abutentium? Si prius! Non satis utique *fida* in te extitit *Mater tua*, dum te, nuper ex vinculis hæresis Calvinianæ, quam vocatis, ereptum & ἀποστασίας nomine tantopere sibi dilectum filium, concessione lectionis Biblicæ, de novo hæreseos periculo exposuit. Si posterius: quid id lectioni Scripturæ per se præjudi-

judi-

judicabit? Sanè si propter abusum tollendus esset usus, auferenda esset Scriptura potius Clericis, quàm Laicis, cùm constet vix fuisse hæresiarcham, qui non ex Clero prodierit. Marcion, Arius, Nestorius, Eutyches, & sic fere omnes. Potius è contrario hæreseos periculo expositis legenda est Scriptura, & ideo legenda, ut in vera fide confirmentur. *Omnia clara sunt*, inquit Epiphanius Hæres. 79. *in divina Scriptura his, qui pia ratiocinatione divinum sermonem audire volunt, & non diabolicam operationem in se conceperunt* &c. Verior proinde causa, cur Pontificii S. Scripturam vulgi manibus eripiant, hæc unica est, ne ipsorum hæreses à vulgo deprehendantur.

X. Verum est, Arium ejusque asseclas, negantes Christum esse ejusdem cum Patre essentiæ, in Scripturis vocabulum ὁμοούσιος totidem syllabis sibi demonstrari petiisse (unde D. Jureconsultus obiter & ὡς ἐν παρόδῳ observet, quales Wallenburgii & Jesuitæ in methodo sua Veroniana, quam vocant, quâ, rejecto omni consequentiarum usu, omnia dogmata nostra totidem verbis sibi demonstrari volunt, habeant ὁδηγοὺς. nimirum Arianos, pessimos hæreticos) at non minus etiam verum, eos hoc petiisse stultissimè. Sufficiebat enim rem ipsam ex Scripturis demonstrari. Credere, Filium esse ejusdem cum Patre essentiæ, necessarium est: at verò vocabulum illud ὁμοούσιον usurpare, non item. Primum autem perspicuè in Scriptura habetur Johann. *10. 30. Ego & Pater unum sumus*: Et *1.* Johann. *5. 7. Tres sunt. qui testificantur in cœlo, Pater, Sermo & Spiritus Sanctus, & hi tres*

unum sunt. Quid clariùs? Quòd verò hæretici illi excipiant, agi illis locis tantùm de unitate consensûs, non autem de unitate essentiæ, frivolum est: nam, præterquam quod perfecta ὁμοβουλία supponat etiam ὁμουσίαν, ut benè Jesuita Salmeron contra Arianos observat *Tract. VIII.* ipse Johannes hoc κρησφύγετον satis tollit seq. v. 8. Ubi, quia tribus testibus terrestribus unitatem consensûs tantum tribuit, non dicit illos esse ἓν *unum*, quod de cœlestibus dixerat, sed esse εἰς τὸ ἓν *ad unum*. Loci Joh. *17. 22.* diversissimam esse rationem, cœcus sit, oportet, qui non videat Non enim dicit Christus; *Nos* (Pater & ego) *& fideles unum sumus*, quemadmodum se & Patrem *unum* superius dixerat. Sed dicit, *ut unum sint, sicut & nos unum sumus.* Vocula autem καθὼς *sicut* non est semper æqualitatis, sed sæpe etiam analogiæ & similitudinis, ut Matth. 5. 48. 1. Petr. *1. 18.* &c. Eamque hoc posteriori sensu hic usurpari (ad exprimendam scilicet unitatem mysticam & spiritualem, quemadmodum, dicente Paulo, *qui agglutinatur Domino, unus Spiritus cum eo est*, 1. Cor. *6. 17.*) non modò ex antecedentibus vers. *14.* & *18.* sed etiam ex consequenti v. *23.* quàm evidentissimè liquet.

XI. (2) Secundam probationem D. Jureconsultus jam instituit ex articulo de descensu Christi ad inferos. Videamus, an felicius. Totus in eo est, ut demonstret, Reformatos hunc articulum pervertere: At ô miserum! Posito enim (*1*) non autem concesso, nos circa expositionem hujus articuli errare; num exinde sequeretur, Scripturam in rebus ad salutem necessariis non esse perspicuam? quod probandum susceperas: Num ob cœcitatem hominum Scriptura perspicuitatis laude exideret?

(*2*) Arti-

(2) Articulus ille fatente Bellarmino *lib.* 4. *de Christ.c.* 2. à plurimis Ecclesiis fuit omissus in Symbolo. Omiserunt eum Irenæus, Origenes, Tertullianus, Augustinus. Non occurrit etiam in Symbolo Romanæ Ecclesiæ, nec apud Orientales. Quid si jam diceremus cum Jesuita vestro Suarez in 3. Thom. q. 52. art. 8. disp. 43. *non necessarium, eum inter articulos fidei computare, quòd non sit res admodum necessaria omnibus hominibus: quodque ob hanc causam fortasse in Synodo Nicæna omittatur, cujus Symboli cognitio videtur esse sufficiens ad præceptum fidei implendum?* Absit tamen, ut cum Jesuitis eò vanitatis procedamus, qui novimus, eum doctrinam tam necessariam complecti, ut neutiquam omitti debeat. Catechesis nostra eum rectè de *inenarrabilibus animi Christi angustiis, cruciatibus & terroribus, in quos cùm antea, tum maximè in cruce pendens fuerat demersus*, explicat. Habetur enim perspicuè in Scriptura & phrasis & res ipsa. *Phrasis* 1. Sam. 2. 6. Psal. 40. 3. & 69. 3. & 116. 3. *Res ipsa* Joh. 12. 27. Matth. 26. 38. & 27. 46. &c. Certè si Salvatorem tam horribilis subiit timor mortis corporalis, dicendum erit (non sine blasphemia) eum minoris constantiæ fuisse, quàm plurimos Martyres, qui citra metum eam oppetierunt. Unde autem hoc? nisi quòd Martyres Deum, non iratũ, sed benevolum fuêre experti; christus autem in agone cõstitutus prævidit, sibi tanquã, pro homine in se damnato ac exitii reo, mortem cum maledictione cõjunctam oppetendam esse Gal 3. 13. Difficultas, quam huic expositioni moves ex eo, quòd *Christus in cruce usque ad sanctam mortem suam tantùm, non autem post eam amplius passus fuerit*, neutiquam nos tangit, cum asseramus, Christum ante mortem istis doloribus fuisse obnoxium. Nec est, quòd

rege-

regeras, hoc modo Symboli ordinem perverti: nam (*1*) Symbolum istud non est formaliter divinum. (*2*) Non est absurdum, si quis temporis ordine relicto, cognitionis ordinem sequatur: prius enim res visibiles ac sensibiles cognoscimus, quàm minùs visibiles vel prorsus invisibiles. Quare cum corporis mors faciliùs cognoscatur, quàm animæ cruciatus, Symboli auctores, infirmitati nostræ consulentes, primò de eis, quæ sensibus nostris sunt exposita, egerunt, tum de difficilioribus. Vester Limbus Patrum est opima fabula. Dicitur quidem Christus Eph. *4. 9. descendisse in infimas partes terræ*: sed ibi Paulo sermo est de Christi incarnatione, per quam descendit in infimas terræ partes, sicut ex cœlo, supremis partibus, descenderat. Audi Lyram vestrum: *Vel aliter*, inquit ille in h. loc. *nisi qui descendit primum in incarnatione sua ad inferiores partes terræ, id est, partes hujus terræ, quæ sunt inferiores respectu aliarum partium mundi.* Confer Jes. *49. 13*. Specialius etiam intelligi potest de utero B. V. Mariæ, in quem descendit Filius Dei, cum ibi conceptus est, quo sensu etiam David dicitur variis membris decoratus fuisse בתחתיות ארץ *in infimis partibus terræ* Psal. *139.* 15. Ad locum Act. *2. 31.* quod attinet, non dicitur, ibi, Christum realiter discendisse ad infernum: sed, *non derelictam esse animam ejus* εἰς ᾅδου. Voces autem ᾅδης & שאול etiam sæpissimè sepulchrum denotant. Verterunt etiam ita vestri Montanus & Pagninus, Viri linguarum peritissimi. Nec est, quod dicas, agi ibi de animâ, adeoque vocem ᾅδης de sepulchro intelligi non posse: nam vox ψυχὴ, cui respondet Hebræorum נפש, etiam cadaver notat, Lev. *19. 21.* & *21. 1.* Num. *5. 2.* & *9.* 10. Hagg. *2. 14*. Fatetur hoc Baronius con-

contra Bellarminum Tom. *1.* an. *55.* Sect. *15.* Præterea infernus non eſt limbus, quid ergo hic locus ad limbum veſtrum? Verum eſt, Chriſtum *per Spiritum prædicaſſe Spiritibus in carcere 1.* Pet. 3. *19.* At prædicavit (1) per Noachum, cujus tempore Chriſtus nondum fuit homo, adeoque hîc per Spiritum anima ejus intelligi non poteſt, ſed Spiritus ejus propheticus, vid. *1.* cap. *1. 11.* (2) prædicavit non exiſtentibus in limbo (hoc enim ſenſu vox φυλακὴ nuſquam occurrit in Scriptura) ſed in inferno. Vide Apoc. *20. 7.* (3) Prædicavit ἀπειθήσασί ποτε *olim immorigeris*, id eſt, tempore Noachi (qui tempore Petri erant in inferno) ut liquet v. 20. Eodem Noachi tempore *mortuis* (i. e. qui tempore Petri erant mortui) *prædicatum fuit Evangelium 1.* Petr. 4. *6.*: at non per animam Chriſti: ſed per ipſum Noachum. In quem verò finem? *ut* (ſcil. quidam eorum) *damnarentur quidem ſecundùm homines*, id eſt, *carne* (ſcil. per diluvium) *viverent autem ſecundùm Deum*, id eſt, *Spiritu.* Quæſo te D. Juriſconſulte, quomodo hæc in limbum veſtrum quadrant? num Chriſtus S. Patribus, juxta vos in limbo detentis, Evangelium prædicavit, *ut damnarentur carne* &c. Quid etiam ad limbum veſtrum *carcer, in quo non eſt aqua, ex quo Deus vinctos ſuos emiſiſſe dicitur* Zach. *9. 11?* Ipſe Jeſuita Bailius *Catech. Controv. Tract. 2.* q. *43.* fatetur, hunc carcerem malè intelligi de limbo Patrum, *quia*, inquit, *in limbo Patrum aliqua ſpiritualis conſolationis aqua reperiebatur, quod vel ex ſola miſeri divitis petitione manifeſtò evincitur, qui guttulam aquæ ardentiſſimè petebat ab Abrahamo in limbo detento.* En tibi os obſtructum à tuo Jeſuita! quod tamen & ipſi (explicanti hunc carcerem de purgatorio) viciſſim obſtruitur à Cardina-

 le

le Bellarmino. Vult Bailius, hunc locum non intelligi de limbo, eò quòd in limbo detur *aqua consolationis*, sed de purgatorio, *in quo nullæ sint aquæ*: at Bellarminus lib. 2. de Purg. c. 4. asserit, multas consolationis aquas in purgatorio reperiri. En suavem Jesuitarum harmoniam! Dicis, *Abrahamum non obtinuisse* τὰς ἐπαγγελίας Hebr. 11. 13. At quæ promissa? an fortè vitam æternam? At hujus modò particeps factus fuerat ante Christi mortem Matth. 8. 11. Deus tempore mortis Christi multos filios jam modò in gloriam *adduxerat* (sic enim ipse Vulgatus reddit participium ἀγαγόντα) Heb. 2. 10. Vide & Heb. 11. 9. 10. An promissum Christi adventum in carnem? *hunc quidem gestivit videre & vidit* (in Spiritu) sed non obtinuit & vidit in carne Joh. 8. 56. At quid hoc ad limbum vestrum?

XII. (3) Spiritum Sanctum à Patre non factum, non genitum, sed ab utroque procedere, quod sibi jam etiam probari desiderat D. Jureconsultus, patet itidem evidentissimè ex Scriptura. *Non factus est à Patre*, quia non est creatura, cujus solius est fieri, sed creator Job. 33. 4. Psal. 33. 6. & Deus Act. 5. 5. 1. Joh. 5. 7. Matth. 28. 19. &c. *Non genitus*: quia nusquam legitur Sp. Sanctus generari, sed solus Filius Es. 53. 8. Ps. 2. 7. Hinc & *unigenitus* dicitur Joh. 1. 14. & 3. 16. &c. *Procedit à Patre* Joh. 15. 26. & *à Filio* Gal. 4. 6. Rom. 8. 9. Joh. 15. 26. & 16. v. 7. Hinc Lombardus vester 1. S. d. 11. c. 1. *Quod Sp. S. ab utroque procedat, multis divinorum eloquiorum testimoniis comprobatur.* Et jam pridem ex Scriptura hoc ipsum sigillatim & accuratè adversus hostes Trinitatis probavit ipse Bellarminus *lib. 2. de Chr. c. 6. & 22.* quem adeat D. Jureconsultus & in posterum causæ suæ meliùs consulere discat. Reliquos fidei ariculos, qui nobis

bis in Symbolo Athanasiano de SS. Trinitate credẽdi proponuntur, etiam sigillatim in Scripturis reperiri, haud minùs extra dubium est: Et singulorum articulorum inductione nullo negotio probatum daremus, nisi præstantissimos ipsiusmet Ecclesiæ Pontificiæ Doctores in eo haberemus suffragatores. Thomas 2.2 quæst. 1 artic. 9. ad 1. respondens ad argumentum, quô objiciebatur, *inconvenienter articulos fidei in Symbolo poni, quia Scriptura est regula fidei, cui nec adaere, nec subtrahere licet, ac proinde illicitum fuisse, aliud Symbolum constituere, quasi regulam fidei post S. Scripturam editam*, inquit; *necessarium fuisse, quia plerique aliis rebus occupati studio S. Literarum vacare non possunt, ut ex sententiis S. Scripturæ aliquid manifestum summariè colligeretur quod proponeretur omnibus ad credendum: quod quidem non est additum S. Scripturæ, sed potius ex S. Scriptura sumptum.* Audiistine hunc D. Jureconsulte? audi quoque tuum Bellarminum *Ad primum illud Augustini testimonium* (inquit lib. 4. de V. Dei non Script. c. 11.) *ex libr. 2. de doctrin. Christiana c. 9.* In his, quæ apertè posita sunt in Scriptura, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem moresque vivendi; *respondeo, loquitur de illis dogmatibus, quæ necessaria sunt omnibus simpliciter, qualia sunt, quæ habentur in Symbolo Apostolico.* (Cujus tantum Athanasianum enarratio est, adeoque realiter idem, dicente eodem Bellarmino, *lib. 1. de justific. cap. 9.*) *& in Decalogo.* Unde patet evidentissimè, Symbolum Apostolicum, &, quod cum eo simul incidit, Athanasianum, adeoque etiam omnes articulos de SS. Trinitate, quoad doctrinam, apertè in Scriptura reperiri.

XIII. 4. Certum est, varias verborum Christi, *hoc est corpus meum*, inter Christianos reperiri interpretationes.

nes? sed quid tum D. Jurisconsulte? Num inde sequitur, S. Scripturam, etiam in ipsis essentialibus non esse perspicuam? desideramus probari hanc consequentiam. Audi interim tuum Bellarminum; *Non potest dici*, inquit ille lib. 1. de Baptism. c. 22. *locus ambiguus, quia haeretici non conveniunt in eo explicando: ista enim ambiguitas non oritur ex natura rei, id est, ex libri obscuritate, sed ex eorum pertinaciâ in suis erroribus defendendis.* Sic maximè sese res habet circa hæc Christi verba. Sensus eorum, maximè si cum antecedentibus & consequentibus, cum locis parallelis & expositione Pauli conferantur, luce meridiana clarius nitet. Nec tu ipse hoc diffiteri audes, quamvis parùm convenienter causæ tuæ. Quòd si igitur non pauci nihilominus hîc cœcutiunt, præsertim vos Pontificii, effingendo inde monstrosum & toti antiquitati inauditum Transsubstantiationis dogma, quid hoc adversus Scripturarum lucem?

XIV. Nomen JESUS omni veneratione dignissimum esse, largissimè largimur, cùm nobis non sit datum aliud nomen, ὑπὸ τὸν οὐρανὸν, ἐν ᾧ δεῖ σωθῆναι ἡμᾶς Act. 4, 12. Tantum autem abest, ut putemus, nominis JESU legitimam venerationem consistere in quinque illarum literarum apicibus, ut è contrario eos, qui id putant, superstitionis Cabbalisticæ postulādos censeamus. Nam (1) nullibi de eo Dei extat præceptum. (2) Mos ille Apostolis veterique Ecclesiæ planè incognitus fuit. (3) Nomina *Jehova, Deus, Christus* &c. non minus utique sancta sunt, quibus tamen genua flecti aut capita aperiri non videmus. (4) Cur in nomine *Jesu* Adversarii censent potiùs genua flectenda esse, quàm in nomine Σωτῆρος, *Salvatoris, Servatoris.*

ris, *Redemptoris*, Heylandes & Seligmachers? hæc enim significatione simul incidere, nemo est, qui eat inficias. Cur potiùs honorant nomen Hebraicum, quàm Græcum, Latinum aut Germanicum? Verum est, Paulum dicere, *in nomine Iesu flectendum esse omne genu cælestium ac terrestrium & subterraneorum* Phil. 2. 9. 10. At observa, eum dicere *in nomine IESV*, non autem, *cùm* aut *quoties pronuntiatur nomen IESVS*. Num verò tibi hæc duo æquipollent D. Jurisconsulte? Num ergo Christus, cum dixit Apostolis; *Baptizate omnes gentes in nomine Patris* &c. Matth. 28. voluit innuere, *baptizandas esse gentes*, *cùm* aut *quoties pronuntiatur nomen Patris* &c. Absona utique hæc sunt. Apostolus id intelligit non de quinque externi nominis literis, sed metonymicè de Persona JESu, sicut Act. 4. 12. (2) de die extremi judicii, ut liquet non duntaxat ex versu proximè sequenti 11. *& ut omnis lingua profiteatur, Iesum Christum esse Dominum ad gloriam Dei Patris* (quod *utique non impletur in hac vita*) sed etiam Rom. 14. 10. 11. 12. Ubi Apostolus idem dictum ex Jesaia citatum & ad Christum applicatum manifestè ad diem judicii refert, dicens; *Omnes sistemur apud tribunal Christi: Scriptum est enim: Vivo ego, dicit Dominus, certè mihi sese flectet omne genu, & omnis lingua palam agnoscet Deum*. Et quæso, dicat nobis D. Jureconsultus, quomodo *omne genu cælestium, terrestrium ac subterraneorum flectatur*, ipso vel alio quocunque pronuntiante nomen JESUS? item, quî tum *omnis lingua profiteatur, Iesum esse Dominum ad gloriam Dei Patris*? Erudiat etiam nos, quâ ratione *cælestes* & *subterranei* genua flectant, quibus destituuntur? Implebuntur autem tandem hæc die judicii manifestissimè: Tunc enim omnes homines, tam *cæ-*

 lestes,

lestes, i.e. quorum animæ jam ſunt in cœlo, & *terreſtres*, i.e. qui, Chriſto veniente, adhuc in terra vivunt, quàm *ſubterranei*, i. e. quorum animæ jam ſunt in abyſſo inferni, ſummam nominis JESU ſublimitatem, in quam ipſum Deus extulit, quamque aliqui duntaxat ex parte agnovêre, plurimi autem agnoſcere noluêre, manifeſtiſſimè, quamvis ratione & modo longè diverſiſſimo, agnoſcent & confitebuntur. Quæ hîc verborum Pauli detorſio D. Juriſconſulte? Cùm cœleſtes & ſubterranei deſtituantur genibus, fungus ſit, oportet, qui non videat, Paulum, reſpectu hujus vitæ, non intelligere genuflexionem in nomine Jeſu externam & propriè dictam. Hoc demum noſtrates urgent. Et tantum abeſt, ut tu jure eludas, dicendo; *hoc æquè bellè procedere, ac ſi dicerem, Deus, utpote Spiritus Ioh. 4. 24. brachiis, alis & facie deſtituitur, Luc. 24. 38. quare neceſſe non habeo, Deum precari, ut faciem ſuam à peccatis meis abſcondat, quod David precatus fuit Pſ. 50. 15. aut Deus me non adjuvat extento brachio, quo adjutus fuit Moſes Deut. 4. 34. aut cauſam non habeo, me ſub alas ejus recipiendi cum Davide Pſ. 17. 8.* ut potius te aliorum ludibrio exponas: nam dum ita cum Sanctis iſtis viris precaris, aut attribuis Deo membra illa propriè aut impropriè? Si *propriè*, Anthropomorphitarum numerum augebis: Si *impropriè* (ut S. illi viri, locuti ita ἀνθρωποπάθως) non contra, ſed pro Noſtratibus concludis, qui, quia cœleſtes & ſubterreanei propriè dictis genibus deſtituuntur, pariter internam & imprôpriè dictam genuflexionem hic intelligunt. Nec minùs ridiculus es, dum ais, ad pronuntiationem nominis JESU diabolum fugere. O ſimplicem Diabolum, qui ſe quinque literis fugari patitur! Cui nomen *Jeſus* frequentius in ore, quàm

quàm ipſis Sagis & Magis, at nihilominus ſunt & manent mancipia diaboli. Quid reſpondebat ipſe diabolus Judæis, malos Spiritus adjurantibus per *Jeſum*? *Jeſum* inquit *novi & Paulum ſcio, vos autem qui eſtis?* Act. *19. 15.* Certè non externâ nominis JESU pronuntiatione, ſed internâ cordis in JESUm fide diabolo reſiſtimus. Hoc nos docet Petrus 1. cap. *5. 9.*

XV. 6. Verum eſt, Dan. *4. 27.* haberi *peccata tua juſtitiâ abrumpe & iniquitates tuas gratiâ erga afflictos*, & Matth. *19. 21.* à Chriſto ad juvenem, ex ipſo, quid ſibi ad obtinendam ſalutem faciendum ſit, quærentem, dici; *Si vis perfectus eſſe, abi, vende, quæ habes & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo* &c. Sed quid inde? ſi hæc loca tam clara ſunt, quod ſcribis, ut vel pueri ea capere queant, cur ergo adducuntur, ad probandum, Scripturam, in ipſis etiam eſſentialibus, obſcuram eſſe? Illis autem Reformatos, cantando, **die gute Wercke helffen nicht / sie mögen nicht behüten** &c. Item docendo ex Catechiſmo Heidelbergenſi quæſt. *62. noſtra etiam præſtantiſſima quaque opera in hac vita eſſe imperfecta, atque adeò peccatis inquinata*, alienum affingere ſenſum, tuum eſt figmentum. Cùm docemus, bona opera nihil conferre ad ſalutem, intelligimus non *de ſalute obtinenda* (agnoſcimus enim, eos, qui bona opera negligunt aut rejiciunt, à ſalutis viâ deflectere, nec ad eam pervenire poſſe, ſi peccatis indulgeant) ſed *de ſalute efficienda* vel *acquirenda de jure*. Verbo; bona opera requirimus, tanquam neceſſarios fidei effectus, *viam ad regnũ non tãquam regnandi cauſas*. Et inter alias hujus doctrinæ noſtræ cauſas, etiam hæc ſuum obtinet locum, quòd *noſtra etiam præſtantiſſima quæque opera in hac vita ſint imperfe-*

cta,

cta, atque adeo peccatis inquinata. Observa, nos non dicere, omnia opera nostra esse peccata (hoc Pontificii per calumniam nobis affingunt) sed in operibus, etiam bonis, hominem ex infirmitate peccata admiscere, seu, ut Catechesis nostra loquitur, *opera nostra esse peccatis inquinata.* Quæ duo toto cœlo differunt. Didicit autem posterius Catechesis ex Jesaia cap. *64. 4. facti sumus, ut immundi omnes, & omnes nostræ justitiæ sunt instar panni menstruatæ* (ad quæ Bernardus Serm. *5.* de verb. Jes. *Cernere est, quam sit justitia illa sublimis, quam sicut montes Dei Prophetæ esse miratur. Nostra enim si qua est humilis justitia, recta forsitan, sed NB. non pura. Nisi forte meliores esse nos credimus, quàm Patres nostros, qui non minùs veraciter quàm humiliter ajebant; Omnes justitiæ nostræ, tanquam pannus menstruatæ mulieris. Quomodo enim pura justitia, ubi adhuc non potest culpa deesse!*) nec non ex quotidianis precibus Sanctorum, de sua imperfectione in hac vita Rom. 7.*16.* *1.* Joh.*1.* *8.* 9. querentium, ejusque veniam petentium Psal. 1*43.2.* Matth.*6.22.*&c. Hanc humilitatem, quam novi Pharisæi impietatem vocant, jam facile capiet D. Jureconsultus non repugnare Danieli loc. cit. aut Christo, juveni illi bona opera commendanti (quamvis interim hoc fuerit præceptum personale & exploratorium ad illius fastum retundendum & hypocrisin detegendam) cùm neuter operum merita commendet, nec sequatur, si fideles adhuc infirmi, in operibus suis bonis aliquid humani admisceant, eos propterea pœnitentiâ (non tanquam causâ meritoriâ vel pœnæ satisfactoriâ, sed tanquam conditione annexâ) peccatorum suorum cursum non abrumpere, aut opera fidelium, quà fidelium, non esse bona & Deo per Christum accepta,

pta, quamvis ad eam perfectionem non accedant in se, quæ à lege præscribitur.

XVI. 7. Concedimus in Locorum S. Scripturæ collatione plus posse doctos, quàm minùs exercitatos: Interim tamen certum, cum, ut loquitur Augustinus Epist. 3. ad Volus. *Scriptura eadem habeat in promptis, quæ in reconditis*, Simpliciores habere in locis facilibus unde pascantur, etiam ex simplici lectione, etsi difficiliores non attingerent. Et sanè non rarò talibus Deus suggerit post invocationem nominis sui, quæ Doctoribus rubore suffundendis sufficerent. Audi Josephum à Costa, Jesuitam. *Vidi*, inquit lib. 2. de Christ. revel. cap. 5. *viros prorsus illiteratos & vix Latinè scientes, ex Scripturis tanta depromere, sensusque eos afferre, ut penitus miratus sim* &c. Noli ergo ampliùs eos in universum homines animales nuncupare D. Jureconsulte, abutens dicto Pauli 1. Cor. 2. 14. quasi verò solis literatis spiritualitas tribuenda veniat: Sed perpende potius illud Christi Luc. 10. 21. *Gloriam tibi tribuo Pater, Domine cœli & terræ, quòd hæc absconderis à sapientibus & intelligentibus & detexeris ea infantibus. Etiam Pater, quia ita placuit tibi.* quamvis interim, ut quilibet idiota promiscuè sine omni discrimine & omni consilio Pastorum aut peritiorum lectionem S. Scripturarum instituat, & in difficilibus aut dubiis auxilium Pastorum negligat, non approbemus. Lubet huc referre memorabilem &, ad suffundendos pudore vos Pontificios, idoneam Hieronymi methodum legendi S. Scripturam in Epist. ad Lætam de Paula filia instituenda. *Discat primò*, inquit, *psalterium, his se Canticis avocet, & in Proverbiis Salomonis erudiatur ad vitam. In Ecclesiaste consuescat, quæ mundi sunt, calcare. In Jobo virtutis & patientiæ exempla sectetur. Ad Evangelia transeat, nunquam ea positura de*

manibus Apostolorum acta & epistolas totâ cordis imbibat voluntate. Cumque pectoris sui cellarium his opibus locupletaverit, mandet memoriæ Prophetas. Quid ad hæc D. Jurisconsulte? olim tam exactè inculcabatur ipsis etiam fœminis & virginibus Scripturæ lectio, hodie à vobis nec viris, nec omnibus quidem Clericis conceditur. Certè si Timotheus, qui *à puero sacras literas didicit* 2. Tim. *3.14.15.* & Berœenses, qui *quotidie scrutabantur Scripturas* Act. 17. *11.* quique eapropter à Sp. Sancto laudantur, inter vos pontificios vixissent, parum laudis, eò quòd non erant Doctores sed plebeji, à vobis reportâssent! Verum est, Davidem petere sibi oculos retegi, ut videant mirabilia legis Psal. *119.* At inde non sequitur, Scripturam in rebus ad salutem necessariis esse obscuram, sed tantum, eam sine ope Spiritus S. salutariter non intelligi, quod ultrò concedimus. Verum etiam est, discipulos non intellexisse statim sensum Scripturarum, Joh. *20. 9.* intellexerunt autem, cùm illis Dominus eum aperuit: Ita nec nos intelligimus eum ad salutem, nisi aperiente eo, *qui habet clavem Davidis, qui aperit & nemo claudit, qui claudit & nemo aperit* Apoc. *3. 7.* Hoc utique nihil detrahit Scripturarum perspicuitati, sed humanam, ut supra diximus, arguit tarditatem. De Pharisæis, Sadducæis, aliisque, quos citas, idẽ habeto respõsũ.

XVII. 8. Locus Christi Joh. *5. Scrutamini Scripturas* &c. quãtum vos Pontificios urat, liquet ex manifesta violentia, quâ illum ad solos Judæorum Doctores detorquere laboratis, cùm tamen in toto illo capite ne verbulo quidem fiat mentio Pharisæorum aut Scribarum. Certè etiam Doctores non fuerunt Judæi illi Berœenses, quotidie ἀνακρίνοντες *scrutantes* Scripturas, ad verbum *dijudicantes*, videlicet ex mutua locorum collatione, an, quæ Paulus

lus dicebat, ita se haberent Act. *17. 11.* Quomodo, quæso, Laici in Papatu Berœensium vestigia premunt? qui ferè nihil rariùs vident quàm Biblia, haud multùm dissimiles illi Sorbonico, cui Robertus Stephanus hoc præclarum adscribit apophtegma, *miror, quòd isti juvenes allegant nobis Novum Testamentum. Per diem, ego habebam plusquam quinquaginta annos, quòd nesciebam, quid esset N. Testamentum.* Si Judæi Laici tempore Christi & Apostolorum laudabiliter legerunt S. Literas: quare & hodie non Christiani Laici? Num forte hodie illud Pauli monitum, quô Colossenses suos alloquitur, *Sermo Christi inhabitet in vobis copiosè cum omni sapientia* Coloss. *3. 16* non ampliùs obtinet?

XVIII. *9.* Eunuchus ille, cujus fit mentio Act. *8. 28.* nonne etiam laudabiliter, licet Laicus, Jesaiam legit? cur ergò idem & hodie Laicis non liceret? Regeris (1) inde non sequi, *quemlibet fungum & insulsum ad Scripturarum βάθη admittendum esse.* Sed quis Reformatorum hoc unquam docuit aut approbavit? Sequitur tamen, quod tu ipse diffiteri non potes, *homines prudentes* (quales utique non soli Clerici, sed etiam Laici sunt) *Biblia usurpare & legere posse.* Et hoc est, quod volumus. Si autem, quod prætendis, Laici verum Scripturarum sensum non capiunt, sed iis ad varios errores & hæreses abutuntur, ad quid ipsis Bibliorum lectio? Addis quidem restrictionem, *dummodo pura & incorrupta versione utantur*, sed futilissimâ. Quasi verò idem abusus apud eos etiam, qui incorruptissimâ utuntur, non obtinere queat! Si qui in varios errores incidant, ex uno Scripturæ loco malè intellecto, alterius sensum evertentes, id quidem ad suam ipsorum perniciem faciunt, sed nihil propterea de Scripturæ dignitate, veritate & facilitate decedit. Regeris (2) *Eunuchum legisse*

giſſe quidem, ſed non intellexiſſe: cum interrogatus, num etiam intelligeret, quæ legeret, rotundè negaverit. At quid inde D. Jurisconſulte? Erat Eunuchus ille proſelytus in pietatis Doctrina, nondum admodum longè progreſſus. Ab eo igitur ad alios (Sutores etiam & Sartores, quos ſæpius nominas, qui fuerunt in Religione Chriſtiana educati & ab ineunte ætate partim privatim, partim publicè cum Timotheo ſacras literas didicêre) vel contra Scripturæ claritatem quomodo procedit argumentum? (*2*) Agitur tantum de uno loco Jeſaiæ, à quo ad totum Scripturæ corpus quæ conſequentia? Locus Petri *2*.c.1.v.20. quid etiam ad rem? Rejicit ille privatas Scripturæ Interpretationes, i.e. quas homines ex cerebris ſuis & pro libitu fingunt, non in Laicis tantum, ſed etiam in ipſis Doctoribus ut patet v.*21*. Et has nos etiam quàm maximè rejicimus, *habentes* interim *firmiſſimum illum ſermonem propheticum*, *quem bene facimus quòd attendamus, velut lucernam ſplendentem in obſcuro loco*, &c. ut idem Petrus (commendans omnibus Scripturæ lectionem) v. præcedenti *19*. loquitur. Ejusdem farinæ eſt, cùm provocas ad locum ejusdem Apoſtoli 2. c.3. *16*. Nam (*1*) Petrus non dicit ibi, Epiſtolas Pauli eſſe obſcuras & intellectu difficiles, ſed quasdam res in iis contentas (ἐν οἷς ἐστι δυσνόητά τινα, inquit, non ἐν αἷς ſcil. ἐπιστολαῖς) Quis autem ferat ita ratiocinantem; *In Epiſtolis Pauli ſunt quædam difficilia, Ergo Epiſtolæ Pauli in univerſum ſunt difficiles*: nedum ſic diſputantem; *In Epiſtolis Pauli ſunt quædam difficilia: Ergo ſacra Scriptura in univerſum eſt obſcura*, vel, *nō tradit perſpicuè ea, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria?* (*2*) Quid addit Apoſtolus? *quæ indocti*, inquit *parumque ſtabiles detorquent* &c. Non ergo hoc faciunt fideles, docti à Deo, & in fide ſtabiles. (*3*) Si δυσνόητά τινα quædam tantum in Epiſto-

pistolis Pauli sunt difficilia, sequitur, reliqua esse εὐνόητα, adeoque perspicua. Ad Mysteria, alibi in Scripturis obvia, pariter frustra provocas: nam non est quæstio *de obscuritate rerum seu mysteriorum*, cùm utrimque fateamur mysteria pleraque, in Scripturis tradi solita, adeò sublimia esse, ut longissimè captum non duntaxat Laicorum, sed etiam ipsorummet Doctorum, superent: sed *de obscuritate modi*. Scriptura licet tradat mysteria, tradit tamen ita & tam mirabili συγκαταβάσει, ut fideles, oculis mentis illustratis prædìti, ea, in quantum ipsis ad salutem necesse, capere queãt. V.G. Mysteriũ SS. Trinitat annon arduum & sublime? At Scrip. clarè satis docet, Deũ esse unũ & trinũ 1. Joh. 5. 7. &c.

XIX. 10 Conatu æquè irrito jam transis ad verba Pauli Heb. 5. 11. *De quo* (Sacerdotali Christi officio) *nobis multa sunt dicenda, sed difficilia* &c. Apostolum enim hîc non loqui de *obscuritate Objecti*, seu Scripturæ sed *Subjecti* seu personarum, liquet ex verbis, proximè subnexis: *quandoquidem segnes facti estis auribus* Reponis, *Num etiam plurimi, maxime illiterati prudentiores hodie erunt illis Judæis in intelligenda Scriptura?* R. (1) Quidni? cùm fuerint nati, educati, & à pueritia instituti in Religione Christiana, quod utiq; illis Judæis recens conversis non obtigerat? (2) Si tamen non essent; quid inde? Num fortè abstrahendi à Scripturæ lectione, ut cum vestra plebe Pontificia jugiter in crassissimis ignorantiæ tenebris versentur? absit! sed potiùs exemplo ejusdem Apostoli (qui Judæos de eodem Sacerdotali Christi officio secundum Ordinem Melchisedek, quod, quia νωθροὶ ταῖς ἀκοαῖς facti erant, initio capere non poterant, pleniùs erudiit Heb. 7.) instituendi & ad industriam instigandi (3) Quid inde etiam contra perspicuitatem Scripturæ? num obscuritas subjecti inferet etiam obscuritatem objecti?

XX. 11. Sed pergis; *ne quidem patere ex Bibliis , quale principium intelligendum sit Gen. 1. 1. Prov. 8. 23. 1. Joh. 3. 8. Joh. 8. 44. Ioh. 1. 1. Apoc. 13. 8.* R. 1. Quale principium locis illis intelligendum veniat, vide commodè demonstratum *in Notis marginal. ad Biblia Basileensia.* 2. Posito interim tamen, solidè demonstrari non posse, quid inde inferes? num forte, Scripturam non esse omnibus in locis intellectu facilem? vanus es; nam nemo nostrûm hoc unquam affirmavit: an fortassis, Scripturam in rebus ad salutem scitu necessariis non esse perspicuam? ridiculus es: nam quis sanæ mentis asserat, ignorantiam הראשית הזאת inferre illicò periculum non consequendæ salutis?

XXI. 12. Numerum articulorum fundamentalium etiam frustra à nobis efflagitas; hunc enim definire esset (1) *temerarium*, cùm Scriptura eum nusquam definiat. (2) *Modestiæ Christianæ contrarium*, cùm, quantum quisque teneatur scire & credere veritatis divinæ, ut salvetur, non aliunde, quàm à libero Dei pendeat arbitrio ac determinatione, quam ille arcano suo decreto, respectu omnium & singulorum hominum, fecit; & varia sit illa pro ratione hominum, locorum, temporum aliarumque circumstantiarum, ad sciendum & credendum dogmata necessaria, obligatio. (3) *perniciosum*, quia illa articulorum definitio præberet hypocritis idoneam ansam securè indormiscẽdi illi cogitationi, se jam pervenisse ad metam & dicere posse, *nulla re opus habeo* Apoc. 3. 17. Nec etiam (4) *necessarium*: sufficit, si possumus ex Scriptura evincere, quod facile possumus, vos Pontificios in fundamento errare: etsi constitutum non habeamus, quot præcisè sint articuli fundamentales. Sic convicerunt olim Christus & Apostoli Pharisæos, Scribas & Sadducæos errorum fundamẽta-

talium, licet definitus articulorum fundamentalium in V. T. non occurreret numerus. Si Theologi noſtri aliquando articulos fundamentales paucos eſſe ſtatuunt, conſtituentes eos V. G. in cognitione communium iſtarum Ecclesiæ formularum, Symboli Apoſtolici, Decalogi, Orationis Dominicæ, & inſtitutionis Baptiſmi ac S. Cœnæ, non loquuntur de quantitate eorum minimâ, ſed maximâ. Sed en D. Juriſconſulte, flagitas à nobis noſtros articulos fundamentales per Scripturam definitos; flagitamus & à te veſtros, definitos per antiquam Eccleſiam aut Concilia. Tu nihil agnoſcis pro articulo fidei, niſi quod Eccleſia (licet neſcias, quid per Eccleſiam intelligere debeas) tanquam articulum fidei definivit. Dicas ergo nobis, in quo Concilio, ante Tridentinum, paulò ante 100. annos demum habitum, illi articuli fidei, quos contra nos defenditis (exceptâ mutilatione S. cœnæ) definiti & vobis ſub gravi anathemate credendi propoſiti fuerint? certè ne unicum quidem nominare poteris. Ergo veſtri, vobis hodie definiti, fidei articuli ante centum annos demum, & quidem in furno cerebri humani, piſti ſunt.

XXII. 13. Oggannis porrò; *Si Scriptura adeò perſpicua eſt, ad quid tot commentarii & in concionibus interpretationes?* Verùm facilis reſponſio. Concinnantur commentarii, non quòd ſine iis Scriptura nullo modo intelligi queat (nam Apollo erat δυνατὸς ἐν ταῖς γραφαῖς Act. 18. 24. nec tamen vel Apoſtolorum, vel, quod ſciamus, commentariorum operâ uſus fuerat: huic conjunge Berœenſes Act. 17. & Timotheum 2. Tim. 3. 15.) ſed ut intelligatur tanto faciliùs. Idem habeto reſponſum de noſtris coram populo interpretationibus. Sunt illæ teſtes non Scripturæ obſcuritatis, ſed hominum infirmitatis ac tarditatis. Fiunt

illæ

illæ (1) ut, quæ sine illis intelliguntur mediocriter, intelligantur tantò meliùs, etiam à rudioribus (2) ut difficiliora cum clarioribus collata rectiùs intelligantur (3) ut intellecta rectè applicentur.

XXIII. 14. Quid etiam ad rem, quod, eandem cramben recoquendo, replicas; *Si Scriptura adeò perspicua est, cur tot ex prava Bibliorum interpretatione oriuntur hæreses?* Responsum modò satis ad hæc suprà thes. 9. Hæreses non nascuntur vitio Scripturæ, sed depravatæ hominum naturæ. Nec hæreseos periculum tam à populo, quàm ab ipsis Doctoribus imminet. Num propter quorundam abusum tollendus usus à Deo præceptus & semper in Ecclesia Dei continuatus? Cur non potius imagines à conspectu vulgi, qui earum aspectu & cultu, vestratibus ipsis fatentibus, in gravissimam idololatriam incidit, removetis? nimirum mavultis usum imaginum, licet prohibitum, quàm Scripturæ, quia illæ, ad hæreses vestras silent, hæc autem eas detegit. Hem eximiam prudentiam! Hæreses trecentas, quas in Anglia ex Scripturæ lectione ortas dicis, imaginariæ sunt, & non tam in regno isto, quàm in tuo cerebro occurrunt. Nimirum cùm Theologi nostri in hoc vel illo difficili & obscuro Scripturæ loco explicando dissentiunt, consentientes licèt cæteroquin in essentialibus omnibus, illico vobis apud nos novæ hæreses enatæ dicuntur. Hinc Cudsemio, itidem Apostatæ, alia apud nos est hæresis Voëtiana, Gomariana, Piscatoriana, &c. Ridemus has nugas: & quot, quæso, ejusmodi hæreses apud vos facili negotio non inveniri possent? imò longè graviores; cùm demonstrare queamus, vestros Theologos ne quidem in ipsis fidei articulis conspirare. Sed posito, verum esse, quod dicis, quid inde? num ex quorundam

dam abuſu rei alioqui bonæ uſum aliis interdicere convenit? Non ſuadet hoc S. Auguſtin. quem citas: carpit tantùm abuſum Scripturæ, quem & nos carpimus, maximè improbantes, ſi quis Scripturam pro cerebri ſui lubitu interpretetur. Audi interim, quàm parum idem S. Pater vobis aſſentiatur. *Magnificè & ſalubriter*, inquit lib. 2. de doct. Chriſt. c. 6. *Sp. S. ita Scripturas ſanctas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obſcurioribus autem faſtidia detergeret. Nihil enim ferè de illis obſcuritatibus eruitur, quod non planiſſimè dictum alibi reperiatur.* Et cap. 6. de Utilitate credendi. *Quicquid eſt, mihi crede, in Scripturis illis, altum & divinum eſt. Ineſt omnino veritas & reficiendis inſtaurandisque animis accommodatiſſima diſciplina & planè ita modificata NB. ut nemo inde haurire non poſſit, quod ſibi ſatis eſt, ſi modò ad hauriendum devotè ac piè, ut vera Religio poſcit, accedat.* Audi & S. Chryſoſt. *Omnia*, inquit homil. 3. in 2. Theſſ. *clara ſunt & plana in Scripturis divinis. Quæcunque neceſſaria ſunt manifeſta ſunt.* Et hom. 3. de Lazaro. *Etiamſi non intelligas illic recondita; tamen ex ipſa lectione multa oritur ſanctimonia.* Et homil. 33. in Acta. *Venit Gentilis ac dicit: Vellem fieri Chriſtianus, ſed neſcio cui adhæream. Multa ſunt inter vos pugna, ſeditiones ac tumultus. Neſcio, quod dogma eligam, quod præferam. Singuli dicunt, ego verum dico. Cui credam neſcio, cùm ego Scripturarum ſim ignarus, & illi utrinque idem prætexant.* Quid verò Chryſoſtom. ad hanc hominis Gentilis propoſitionem reſpondet? Non poſtulat Scripturam obſcuritatis: non mittit eum ad Eccleſiam Romanam: non ablegat eum ad Papam, tanquam infallibilem controverſiarum in rebus fidei judicem, quò à te & Monachis tuis ablegatus fuiſſet. Sed reſpondet. *Sanè hoc multum pro nobis: Nam, ſi quidem diceremus, rationibus nos credere, meritò perturbareris. Sed cùm Scripturas accipimus, & illa ſint ſimplices & vera, facile tibi fuerit judicare. Si quis illis conſentit, Chriſtianus eſt. Si quis contra illas pugnat, procul eſt ab illo canone.* Quid tibi videtur de hac Chryſoſtomi methodo D. Jurisconſulte? nonne hodierna Bellarmini, Suareſii, Vaſqueſii, Veroni, Cottoni, Gretſeri, Bailii, Keddii, Walenburgiorum, aliorumque tuorum ὁδηγῶν, ad ravim uſque licet antiquitatem crepantium, praxis ab ea toto cœlo differt?

XXIV. 15. Concordant cum his duobus in commendanda Scripturæ in eſſentialibus perſpicuitate & inculcanda ejusdem omnibus

 fide-

fidelibus lectione etiã reliqui Patres, quorum testimonia apud Whitakerum, Mornæum, Chamierum, & Rivetum legi possunt. Vos soli estis lucifugi illi, qui Scripturam nõ tantum imperfectionis nomine traducunt, prætendentes, eam non esse necessariam, non esse Dei mandato scriptam, esse mutilam, imò, quod horrendum auditu! ei sine autoritate Ecclesiæ non plus fidei esse adhibendum, quàm ethnico Scriptori Tito Livio (quæ Jesuitæ Bailii est modestia *Catechis. Controvers. q. 12.*) imo quàm fabulis Æsopi, ut Hosius blasphemat, *lib. 3. de aut. script fol. 27.* Unde verbum Dei non erit verbũ Dei, nisi Romæ placuerit: sed etiam obscuritatis accusatam vulgi manibus eripiunt. Revera signum malæ causæ! certè indoles non verorum Christianorum (his enim utpotè filiis, religio est Testamentum patris sui tam parvi putare) sed potius veterum hæreticorum! de quibus ita Irenæus lib. 3. cap. 2. *Cùm ex Scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non rectè habeant, neque sint ex auctoritate, & quia variè sint dicta, & quia non possit ex his inveniri veritas ab iis, qui nesciant traditionem.* En egregios Antecessores vestros! Verbo: Papa dissuadet lucem Scripturæ, ne populus, emergendo ex tenebris ignorantiæ, deserat communionem suæ Ecclesiæ.

XXV. 16. Præivit Sanctis illis Patribus suo exemplo Ecclesia cùm Judaica, tum Apostolica. Ad illam quod attinet, quàm non fuit diligens in lectitanda S. Script.? Ipse vester Arias Montanus *præf. in Masor.* testatur, libros sacros ab omnibus fuisse lectitatos, & hũc in finem plurima exemplaria, Josia Rege jubente, fuisse descripta & populo tradita. Hanc quod spectat, vide praxin Timothei 2. c. 3. 14. 15. Berœensium Act. 17. 11. & Apollinis Act. 18. Perpende imprimis mãdatum Dei ad omnes & singulos Deut. 9. 6. & 31. 11. 12. & commendationem Christi Joh. 5. 39. & Pauli Col. 3. 16. Observa, Apostolos epistolas suas scripsisse ad omnes Sanct. Romanos, Corinth. Ephesios &c. Rom. 2. 7. Eph. 5. 1. Col. 4. 16. Et dic tandem, quem in finem verbum Dei sit scripto mandatum, nonne ut cognoscatur ab omnibus ad salutem? at id fit legendo & meditando. *Hæc scripta sunt,* inquit Joh. cap. 20. 31. *ut credatis, Iesum esse illum Christum, Filium Dei, & ut credentes vitam habeatis per nomen ejus.* Et Paulus Rom. 15. 4. *Quæ ante scripta sunt, ad nos docendos ante scripta sunt* &c. Confer. 2. Tim. 3. 16.

XXVI.

XXVI.17. Quid ad hæc D. Juriscons.? Regeris (1) *Scripturā quidem populo judaico fuisse publicè & tā altè atq; distinctè prælectam, ut quilibet audire & intelligere potuerit: verùm explicationē ejus illi petendā fuisse ab Esra.* At misellū hoc est κρυσφύγετον: nā (1) Judæis non tantū publicè prælegebatur Scriptura (quando autem hoc fit vestris Laicis?) sed etiam illi ipsi eam privatim meditabantur, ut suprà modò probatū ex Deut. 6.6. cui adde Deut. 11.18. & 17.18. Jos. 1.8. Ps. 1. Joh. 5.39. &c. (2) Quod populus explicationem petere debuerit ab Esra falsissimum est: Nec probatur Nehem. 8.14. Illic enim non populus, sed *primores paternarū familiarum totius populi Sacerdotes & Levitæ ad Esram congregati fuisse* dicuntur, *idq; ad intellectum habendum in verbis legis*, nempe quod ad uniuscujusq; munus attinebat; adeoq; ratione circūstantiarum: nam aliàs ipsi essentialia legis satis intelligebant, utpote qui hactenus laudabiliter populo legem explicuerant ut videre est v. 9. Intellige, ubi in lege (intellecta aliàs à viris & mulieribus v. 2. 3.) difficultas aliqua occurrit. His quæ (2) addis ex 2. Chron. 19. 8. 11. ejusdē sunt valoris: nam illic quidē dicitur *Amarja* (non Amasias) *constitutus esse summus Sacerdos in negotio Jehova*, (ut scil. judicaret lites & certamina inter fratres orta, quemadmodū liquet v. 10.) sed quòd laici legis à se lectæ sensū (tanquam ratione illius bruti) ab ipso petere deberint, οὐδὲ γρῦ Hoc tuum est figmētum. Quin, si vel maximè populus in hoc vel illo legis loco explicationem ejus desideràsset, quid hoc pro vobis? cū, multa adhuc difficilia in Script. occurrere, nemo nostrū unquā negaverit.

XXVII.18. Scimus, *Christum discipulorum mentem aperuisse, ut intelligerent Scripturas* Luc. 24. 45. Sed quid inde pro vobis? Hinc quidem liquet humana tarditas, sed non Scripturarū in rebus ad salutē necessariis obscuritas. Imperitis utiq; & incipiētibus, quales discipuli Christi tum temporis erant, omnia sunt difficilia. Conf. Thes. 16. 19. Cui enim crambe toties cocta fastidiū nō pariat? Audi interim tuos Jesuitas. *Sunt loca*, inquit Josephus à Costa cap. 3 de Christ. Revel. *aperta sunt obscura & quæ ad salutem omnibus necessaria sunt, planissimè in Scriptura posita sunt.* Et Costerus Enchir. c. 1. p. 48. *Non inficiamur præcipua illa fidei capita, quæ omnibus Christianis cognitu sunt ad salutem necessaria, perspicuè satis esse Apostolicis scriptis comprehensa* &c. En Papistæ os obstructum per Papistas! En vim veritatis erumpentē è medio Papatus!

XXVIII. 19. Non dicit David Pſ. 119. 130. *declarationem illuminare Dei verbum:* ſed, פתח דבריך יאיר *aditus verborũ tuorum illuminat*, innuẽs, tam perſpicuam eſſe doctrinæ lucem in verbo, ut primo ſtatim & lectionis & meditationis acceſſu illuminet. (2) Sed admiſsâ etiam Vulgati veſtri verſione τϐ פתח, per *declarationem*, quid inde? num, neminem poſſe habere verum Scripturæ ſenſum *ſine declaratione Eccleſiæ?* lõgè falleris. Ipſe Bellarm. veſter *in Comment.* fatetur, hanc *declarationem* referri poſſe ad infuſionẽ luminis divini: Et hoc bene: nã ſine illo lumine nemo Scripturã, etiã in locis maximè perſpicuis, ſalutariter intelliget. Intelligi tamẽ etiã poteſt de verbo alibi propoſito, quemadmodum Auguſt. dicit lib. 2. de doct. Chriſt. c. 2. *ad obſcuriores locutiones illuſtrãdas de manifeſtis ſumẽda eſſe exempla.* Et Baſil. in aſceticis nu. 267. *quæ ambiguè & obſcurè videntur dici in quibusdam locis Scripturæ, ab iis, quæ in aliis locis aperta & perſpicua ſunt, explicari.* Et Chryſoſt. in Gen. hom. 13. *Scripturam ſe ipſã exponere, neminem errare ſinere.* Veræ Chriſti Eccleſiæ in interpretanda Scriptura non negamus ſuas eſſe partes, præferẽdas etiã judicio privato quamdiu de veritate nondũ ſumus plenè perſuaſi: ſed demũ miniſteriales, publicas quidẽ, ſed nõ ſummas & infallibiles (Talis enim ſi daretur Judex & Interpres, tũc nullæ poſſet dari hæreſes, cõtra illud Paul. 1. Cor. 11. 19. 2. Theſ. 2. 11.) Sed ſcimusquoq; & ſuas eſſe cuivis privato Rõ. 14. 5. 1. Cor. 10. 15. 1. Theſ. 5. 21. 1. Joh. 4. 1.

XXIX. 20. Pergis. *Si magni Eccleſiæ Doctores in explicandis Biblius errare potuerunt: ergo multò magis alii, tot & tantis à Deo donis non exornati, errare poterunt.* Atqui verum Antecedẽs, ergo & cõſequens. Aſſumptũ probas 1. exemplo Chiliaſtarũ: 2. Cypriani infãtes ab hæreticis baptizatos rebaptizandos opinati. 3. Auguſt. ipſis etiã infantibus S. cœnã adminiſtrandã eſſe defendere conati. R. Concedendo totũ argumentũ: quid enim contra nos D. Juriſconſ.? qui quoad externam objecti demonſtrationẽ nullam Scripturæ, præter ipsã Script. ſeu Deum in ea loquentẽ, infallibilẽ Interpretẽ agnoſcimus. Ab hac norma quia S. Patres hiſce in pũctis deflexerunt, errârunt, & nos quoq;, ſi ab ea deflectemus, errabimus. Locus Apoc. 20. 3. 4. ad quem Chiliaſtæ provocârunt, obſcurus, & variis interpretationibus obnoxius eſt, adeoq; impar fundandæ opinioni, quæ pugnat cũ plurimis aliis expreſſis Scripturæ locis. Faverint aliqui Reformati Chiliaſmo, quid tum poſtea? quamvis erraverint, non arietârunt tamen, prout ipſi explicârunt ſuã opinio-

opinionem, in fundamentum salutis. Etiam ei faverunt pleriq; S. Patres huc inducti autoritate Papiæ, imò, teste Justino *contr. Tryphon.* cõmunis ille olim omnium Catholicorum fuit error (unde obiter observa, Patres in controversiis non posse sedere judices, neq; haberi infallibiles Scripturæ Interpretes, cũ non singuli tantũ seorsim, sed cõplures simul in controversia, quæ vobis judicatur momentosa, hallucinationis manifestæ sint comperti) quos tu eapropter pro tua modestia hæreseos nomine traducere nõ dubitas, nescius distinguere inter Chiliastas *Crassiores*, quales erant Cerinthiani (quorum Chiliasmus, cũ habuerit plurimũ tũ de Epicureismo, tum de Judaismo, jure merito in Synodo Antiochena damnatus fuit) & *subtiliores*, quales fuêre Patres. Nobis meritò Religio est, dãnare ut hæreticos, tot S. Doctores & Martyres, imò totam Ecclesiam Christianam, quæ Justini Martyris tempore, ut suprà audivimus, in hũc errorem implicita fuit. Sic ipse August. falsè quidem ridet hunc errorẽ, sed non dãnat. Ita enim ait de C.D.XX.7. *Hac opinio* (de regno millenario) *esset utcunque tolerabilis, si aliqua delicia spirituales in illo Sabbato, scilicet, mille annorum, affutura Sanctis per Domini præsentiam crederentur. Nam etiã nos hoc opinati fuimus aliquando.* Nec etiã eum dãnare sustinet Hieron. quẽ vid. *l. 4 in Ier.* XXX. 21. Ad Cyprian. quod attinet, non peccavit ille ad Scripturã provocando, sed Scripturâ abutendo, Paulũ enim, cũ ait Tit. 3, 10. *hominẽ hæreticum rejice*, non loqui de infantibus, evidentissimè patet ex verbis adjunctis *post unam & alteram commonefactionem*. Num id in infantes cadit? Præterea distinguendum est inter hæreticos. Alii enim essentialia baptismi corrũpunt & formã institutionis mutãt. Alii verò illa retinent, & verã doctrinam de SS. Trinit. in formula baptismi contentam, tuentur. Priores demum (quales sunt omnes Antitrinitarii) non autem posteriores (quorum numerum olim adaugeNovatiani & hodie Pontificii) hac in parte, id est, quantum ad baptisma, sunt *arbores malæ & emarcidæ* ut Christus Matth. 7. 17. & Judas v. 12. loquitur. Hanc distinctionẽ si observassent Cyprian. Episc. Carthaginensis, & Stephanus, Episc. Rom. in quæstione illa de iteratione baptismi, facili negotio uterq; se expedire potuisset. Dixisset ille rectè, baptizatos à prioribus rebaptizãdos. Nec hic (Stephanus, qui affirmabat recipiendos esse baptizatos ab hæreticis sine nova tinctione) dixisset malè, baptizatos à posterioribus nõ esse rebaptizandos.

Frustra autem à nobis flagitas D. Jurisconsul. decretum ex Scriptura, quô liqueat contra Cyprianum, ejusmodi baptisma non esse iterandum. Nam sufficit nobis, nullum de iteratione baptismi in Scriptura extare mandatum, nullum argumentum, nullũ exemplũ, ut de S. cœna 1. Cor. 11. 26. Accedit, quòd circumcisio, in cujus locum Baptismus successit Col. 2. 11. nõ fuit iterata. Præterea baptismus est signũ regenerationis: homo autem tantum semel regeneratur, quemadmodum semel nascitur. Sed quid nobis hac in re molestiam creas D. Juriscons.? cùm in indice Bibliorum jussu Sixti editorum ita legas; *Baptismus non est iterandus ad Ephes. 4. 5. ad Hebræos 6. v. 6. cap. 10. 26. &c* En tibi ab ipso Papa tuo ex Scriptura probatam baptismatis irreiterabilitatem! Ne jam addam, hoc dogma, baptizatos ab hæreticis non repabtizandos esse, non esse ad salutem scitu necessarium, cùm non dubitandum sit, quin multi, hujus controversiæ prorsus ignari, cœlum fuerint ingressi! imò spes sit, aliquos jam inter cœlites agere, qui negârunt: quos inter locum obtinet Cyprianus, cujus hac in re error à Patribus notatur, salus autem in dubium non vocatur. Observa interim hîc obiter, quàm parùm veteres *ἀναμαρτησίαν* Episcopi Romani agnoverint.

XXXI. 22. Verba Christi Joh. 6. 53., *Nisi ederitis carnem filii hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, sententiæ Augustini de S. cœnâ infantibus administrandâ non favent 1. Quia Christus ibi non agit de manducatione externâ & sacramentali cœnæ, ut pote quæ tum temporis nondum erat instituta, nec adeò strictè & absolutè ad salutem necessaria; sed de spirituali, ut patet ex v. 35. 40. 47. 48. 51. 2. Si etiam de eâ ageret, non tamen sequeretur, infantibus esse S. cœnam administrandam, cùm Christus ibi expressè Judæos adultos alloquatur ut liquet v. 41. Obstant etiam huic sententiæ alia loca clarissima: Nam fruiturus S. cœna tenetur *seipsum explorare* 1. Cor. 11, 28. tenetur *accipere, edere panem* & *bibere poculum* v. 23. 24. 25. tenetur *mortem Domini annuntiare, usquequo venerit. 26. 27.* Quæ utique in infantes non cadunt. Nonne hæc satis clarent D. Juris consulte? Sed interim observa *ἐν παρόδῳ*, non solum Augustinum, sed etiam papam vestrum, Innocentium I. hanc erroneam opinionem amplexum fuisse, ut Maldonatus vester pluribus demonstrat *in cap. 6. Joh.* addens, hanc eorum sententiam *sexcentos circiter annos*

etiam

etiam in Ecclesiâ viguisse: Concilium autem Tridentinum hanc antiquorum sententiam anathemate percutit, Sess. 21. can. 4. ebulliens; *Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem, anathema sit.* Sic ergo Concilium istud non tantum Augustinum, & sex priorum seculorum Ecclesiam, sed etiam (quod risu dignissimum) suum ipsius Papam anathematis fulmine petiit. Arrige aures D. Jurisconsulte & mirare tuorum Paparum in Papas (ne dum in S. Patres) furorem!

XXXII. 23. Nos homines vi cogere ad nostras Scripturæ interpretationes, aut, ni eas acceptent, excommunicare, falsissimum est. Nos nulli in rebus fidei vim inferimus, qui novimus, nemini mortalium dominium in alterius conscientiam, ad quam fides & Religio pertinet, competere 2. Cor. 1. 24. nec ignoramus, *Religionis non esse cogere ad Religionem*, ut pote *quæ sponte suscipi debet, non vi*, ut Tertullianus loquitur ad Scapul. cap. 2. Nec contrarium probas exemplo Arminianorum; eos enim Synodus Dordracena non *armis carnalibus*, i. e. igni & ferro, ut vos soletis, coëgit, sed armis δυνατοῖς τῷ Θεῷ i. e. evidentiâ & demonstratione veritatis (hæc enim conveniunt demum militiæ Christianæ 2. Cor. 10. 4. 5.) errorum gravissimorum convicit, & tandem, postquam se incorrigibiles præbuerunt, omnibus subsidiis lenioribus incassum adhibitis, ex Ecclesiæ nostræ communione eliminavit, secuta monitum Apostoli Tit. 3. 10. 11. *Hominem hæreticum post unam & alteram commonefactionem rejice &c.* Vide & Rom. 16. 17. Ab hac autem praxi nostrâ vestra toto cœlo differt. Vos enim in omnes promiscuè errantes, sive sint seductores sive seducti, sive infirmi sive contumaces, sive ignorantes, sive ex malitia peccantes crudelissimè sævitis! imò in pios Dei cultores, qui hæresis nunquam fuere convicti, nec ullius erroris rei possunt peragi, nisi quod sua jugo Papali colla nolunt subdere, gladium stringitis, ut tristis experientia nimis docuit, ac fusè referunt Martyrologia: Imo hæc nostra ætas nuper adhuc in Gallia istiusmodi tristissima exempla ad pudorem Religionis vestræ vidit. Est ne hoc Christianorum, homines crinibus, igni & ferro ad Religionem pertrahere? Est ne hoc imitari Christum mansuetissimum & nobis mansuetudinem tantopere commendantem! Matth. 11. 29. Annon potius Meretricem Babylonicam, *ebriam sanguine Sanctorum & Martyrum Jesu*; Apoc. 17. 6. Ostende nobis D. Jurisconsulte vel unicum ex Scriptura aut ex Orthodoxa Antiquitate exemplum hujus praxis vestræ in homines, etiam ipso actu hæresis convictos (nisi fuerint simul factiosi & blasphemi) certè in æternum non poteris. Antiqua orthodoxa Concilia non carnalibus, quæ violenter cogant, sed spiritualibus, quæ mentem fortiter persuadeant, in hæreticos usa fuere armis. Vos soli stringitis gladium carnis. Quem autem hoc passu potius imitemini, num Christum, an verò Antichristum, tu ipse Judicaveris!

XXXIII 24. Ridiculus es, dum provocas ad Concilium Apostolicum Act. 15. nam in illo de enarratâ suprà praxi vestrâ altissimum silentium. Leguntur ibi Apostoli convenisse propter controversiam Antiochiæ exortam de circumcisione gentium fidem Christianam amplexarum & de Justificatione: quid hoc pro vobis? quid contra nos?

qui

qui hujus exemplo, postulante id necessitate, ipsimet ejusmodi concilia cogere solemus, ut te Synodus Dordracena docere poterat. Quemadmodum autem concilia in hunc finem coguntur, ut controversiæ tollantur & omnis ἀταξία in Ecclesia Dei abrogetur: ità etiam ea hoc nomine reveremur, audientes illa libenter, in quantum ipsa audiunt Dei verbum: ab hoc autem si deflectunt, uti vestra deflexerunt (Exemplo tibi jam brevitatis gratiâ duntaxat sit mutilatio S. cœnæ in Concil. Constantiensi introducta) absit à nobis, ut ea audiamus, *credentes illis, quemadmodum quatuor Evangelistis*, ut vult Jesuita Bailius *Catechis. Controv. Tract. 2. Quæst. 6.* Cum oves Christi non vocem hominum in rebus fidei, sed *vocem Christi dumtaxat audire* oporteat Joh. 10. 27.

XXXIV. 25. Quod jam subjungis, *nos Biblia nactos esse ab Ecclesiâ Romanâ*, pariter falsum est. Nam 1. quantum ad V. Testamentum, illud habemus à Judæis, quibus concredita fuerunt λόγια τοῦ Θεοῦ Rom. 3. 2. id est, interprete Toleto Comment. in h. l. *Oracula divina in S. Scripturis contenta.* Si tale quid de R. Ecclesia extaret, quis insultationes vestras sustineret? Ad N. verò Testamentum quod attinet, fuit illud hactenus in Ecclesiis Græcis conservatum, quod non solum ex exemplaribus quàm plurimis venerandæ antiquitatis, quorum nonnulla in manus nostrorum pervenerunt, sed etiam ex Chrysostomi, Procopii, Theodoreti, aliorumque Græcorum Commentariis liquet, ut proinde necesse non fuerit, illud à sola Eccl. Romana petere. 2. Qui haberemus Textum Hebraicum & Græcum à vobis, quibus solus Latinus est authenticus? Sed dato interim, nos ab Eccl. Romana codices Scripturarum accepisse, quid lucri ex hac nostra confessione vobis accederet? certè non majus quàm judæis, dum utrimque confitemur, nos ab illis V. T. nactos esse. Etenim 1. quis nescit, evenire non rarò inter partes litigantes, ut una imprudens alteri suppeditet instrumenta, quibus in judicio adversus se obtineat? 2. Quin imo idem, quod olim Augustinus Judæis, occineremus, idque planè eodem jure. *Propterea adhuc sunt Judæi,* (Pontificii) *ut libros nostros portent ad confusionem suam* &c. *Codicem portat judæus* (Pontificius) *unde credit Christianus* Reformatus. *Librarii nostri facti sunt, quomodo solent servi post dominos codices ferre, ut illi portando deficiant, isti legendo proficiant. Tom. 8. in Psal. 56.*

XXXV. 26. Quod Calvinus & Chemnitius locis à te cit. dicunt, nimirum *Deum non minus hodie ac olim Magistros præfecisse, quorum opera in intelligenda Scriptura adjuvemur.* Item, non decere, *ut quisque fingat & præsumat sibi peculiarem, quam amplecti & tueri velit, sententiam* &c. *sed ut doctiores in verbo Dei, institutâ de controversiis inquisitione, fontes & fundamenta veræ sententiæ aliis ità præmonstrent, ut spiritu corda illustrante, ipsi agnoscere & intelligere possint, quæ sententia ut orthodoxa sit amplectenda! quæ verò opiniones, ut falsæ, sint fugiendæ,* bene se habet. At loquuntur de controversiis, loquuntur de iis, quæ in Scripturis sunt intellectu difficilia, ad quæ intelligenda, omnino consultum est publicos Ecclesiæ Doctores, utpote quibus jus interpretandi ministeriale, idque publicum, convenit, audire: non tamen absolutè & quasi infallibilibus, qualem vos Papam & Concilia fingitis, illis credere: sed quatenus Sensum Scripturæ ex Scripturâ ad convictionem conscientiæ (à qua ad alium interpretem aut Judicem non datur provocatio) demonstrant Unde supra ex Act. 17. audivimus, Berœenses olim fuisse quotidiè ἀνακρίνοντας, an, quæ Paulus dicebat, Dominum administrâsse in assumptâ carne, reperirentur τοῖς τῶν παλαιῶν προφητῶν λόγοις συνᾴδοντα, ut Theophylactus loquitur *in Act. c. 17.* Tale jus privatum Scripturam pro ingenii modulo ex Scriptura (non ex cerebri lubitu: cum non sit ἰδίας ἐπιλύσεως 2. pet. 1. 20.) ἀνακρίνειν, omnibus fidelibus competere suprà modo probatum dedimus. Cæterum summus & infallibilis Scripturæ Interpres & Controversiarum Judex est solus Spiritus Sanctus in Scriptura loquens. Hunc si Ecclesia Romana audiisset & loco Scripturæ hominibus hæreticas suas traditiones non obtrusisset, Luthero & Calvino Romanam Religionem deserere Religio fuisset. *Sed oportet esse hæreses* (non ut textum mutilas, *ut justi probentur*, sed) *ut qui probi sunt manifesti fiant.* 1. Cor. 11. 19.

CAPUT. II.

CAPVT II.

DE
Vocatione Ministrorum Ecclesiæ.

CUm olim Pharisæi doctrinæ Johannis & Christi expugnandæ non sufficerent, litem ipsis movebant de vocatione, illum sic adorientes, *Cur baptizas , si non es Christus, nec Elias, nec Propheta* Joh. 1. 25. hunc autem ita aggredientes; *Qua autoritate facis ista ? & quis tibi dedit istam auctoritatem ?* Matth. 21. 23. Pharisæorum veterum vestigia fideliter premunt hodie Jesuitæ (novus Papismi, ut illi quondam Judaismi, ordo) Cum, intensis licet hactenus ad doctrinam nostram expugnandam omnibus nervis, eam tamen expugnare haud valeant, ad Pharisæorum artem veteratoriam conversi, Doctorum nostrorum vocationem adoriuntur, visuri, an sic forte aliquid, cum alias nihil possint, adversus Evangelicos obtineant: At, quocunque etiam se vertant Domini isti, non minus semper Sisyphi saxum volvunt, non magis contra nos obtinentes , quam olim Pharisæi contra Johannem & Christum: cum eandem cum illis etiamnum, per Dei gratiam , profiteamur doctrinam. Ac proinde Adversariis ἐρώτημα nobis importunius proponentibus; unde Calvinus, Lutherus aliique Reformatores istam reformandæ Ecclesiæ nacti fuerint auctoritatem, nos per opportunum ἀντερώτημα replicare possumus, vicissim, exemplo Christi, interrogantes ; *num do-*

ctrina Reformatorum fuerit è cœlo, an ex hominibus? Si *prius*: cur ei non præbent assensum? cur eam student expugnare? Si *posterius*: cur id non demonstrant? cur missa doctrina ad vocationem eorum transiliunt?

II. Possemus igitur in humeros D. Jurisconsulti nostri, veteratoriam istam Pharisæorum artem à Jesuitis edocti, id negotii devolvere, ut prius nos convinceret falsæ doctrinæ, quam de vocatione litem moveat (quemadmodum ipse Christus, interrogatus de vocatione sua, Pharisæos vicissim interrogando de baptismo & doctrina Johannis, innuit; quæstionem de doctrina quæstioni de vocatione præmittendam esse) verum ne videamur vadimonium deserere velle, agedum excutiamus, quæ adversus vocationem effutiit. Totius argumenti, quod fuse & confuse hoc capite tractat, summa huc redit. *Quicunque destituuntur legitima vocatione, non sunt veri Pastores: atqui Lutherus, Zvvinglius, Calvinus aliique Reformatores, ut & hodierni ministri Evangelici destituuntur legitima vocatione: Ergo non sunt veri Pastores.* Respondemus, Majorem languere & Minorem infirmam imo falsissimam esse.

III. (a) Major, quæ agit de necessitate vocationis, ita universaliter accepta languet. Cum procedat demum de *Ecclesia constituta* & *bene ordinata*, non pariter de *perturbata* & *constituenda*. In *illa* vocatio specialis est necessaria ad vitandam ἀταξίαν, ut omnia fiant in Ecclesia εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν, 1. Cor. 14. 40. In *hac*, nimirum *perturbata* non item. Sed in ea etiam licet privato & qui specialiter ab Ecclesia non est vocatus, sacra tractare. Sic Apollos edoctus viam Dei per Priscillam & Aquilam,

nulla

nulla alia munitus vocatione, Judæos convicit per Scri-pturas demonſtrãdo, Jeſum eſſe Chriſtum Act. 18. 25. 26. Sic alii quoque fideles, vento perſecutionis huc illuc diſperſi, Evangelium prædicaſſe leguntur Act 8. 4. & 11. 19. 20. Et certe, cum vocatio generalis Chriſtianorum & charitatis lex hoc unicuique imponat, ut, quibuscunque poteſt modis, & ſuam & proximi promoveat ſalutem, mirum videri non debet, ſi quis oblata ad id exequendum utatur occaſione; maxime ſi neceſſitatis (quæ multa, cæteroquin culpanda, reddit legitima) ratio id exigit. Dices, πῶς κηρύξουσιν ἐὰν μὴ ἀποσταλῶσι; Rom. 10. 15. R. 1. Apoſtolum loqui non de Eccleſia perturbata, ſed bene ordinata; 2. Miſſio non ſemper fit externè & mediate ab hominibus; ſed aliquando internè & immediatè à Deo. Si quis in regionem barbaram, omnique Religionis Chriſtianæ veſtigio deſtitutam deportaretur, an illi non liceret hominibus barbaris Evangelium prædicare, licet legitima Eccleſiæ vocatione deſtitueretur? Num patrias oras prius repetere teneretur, ut ritibus conſuetis conſecraretur? Quid ſi redeundi ipſi non daretur facultas? an nullæ ibi poſſent conſtitui Eccleſiæ, iisque à primo illo Præcone præfici paſtores? Probaret haud dubie Papa mere Laicorum conatus, qui oblata occaſione Religionem Pontificiam in regiones toto orbe diviſas inferrent, ibique, collectis Eccleſiis, ſacris operarentur, antequam tanti operis fama huc pertingeret.

IV. (β) Infirmior autem eſt Minor, imo abſolute falſa. Nam א Reformatores Lutherum, Zwinglium & alios quod attinet, ſuam illi habuerunt vocationem

ab Ecclesia Romana, more & ordine in ea recepto: Non utique reprehendendi, quod potestate sibi concessa, ad Ecclesiæ Reformationem in gregibus curæ suæ concreditis, fuerunt bene usi; sed potius laudandi; cum sic vocationem suam ad legitimum ejus finem, à Christo intentum, retulerint.

V. Calvinum nostrum *in specie* quod spectat, ille (ut bene observat D. Jureconsultus contra suum Bellarminum *lib. 1. de Cler. c. 3.* scribentem, *In Ecclesia Catholica neque Lutherum, neque Zvvinglium, neque Calvinum Episcopos fuisse, sed tantum presbyteros*) nunquam in Ecclesia Rom. egit presbyterum: Sed primitus juris, deinde S. Theologiæ studiosus fuit, &, postquam è Papatûs tenebris in lucem veritatis Evangelicæ emersit, à Farello & Vireto, ipsius in Evangelico Ecclesiæ Genevensis ministerio, antecessoribus, præmisso cum vitæ tum doctrinæ examine, ordinatus & juxta ordinem in memorata Ecclesia receptum vocatus fuit, ita ut missio ipsius fuerit ordinaria, qualis & nostra, secundum regulas Apostoli ad Timotheum & Titum scribentis instituta. Vid. 1. Tim. 3.2. Tit. 1.8. Falsum proinde est, quod Bellarminus l. cit. addit, primum Eccl. Genevensis Pastorem fuisse Calvinum; cum eum illic antecesserint Farellus Delphinas & Viretus Orbensis, ut ipse Gaulterius ex Beza refert *in Tab. Chronogr. ad ann. 1600. c. 15.* Falsum etiam est, quod effutit D. Jureconsultus, *Calvinum esse Religionis nostræ Ducem & Auctorem, nec ante ipsum quenquam fuisse Reformatum, sed meros Catholicos,* id est, Pontificios: Etenim nullum alium præter DOMINUM JESUM *fidei nostræ Ducem ac Consummatorem intuemur* cum Paulo

Hebr.

Hebr.12.2. à nullorum hominum, in Religionis negotio, auctoritate dependentes, nec verum esse, quod docent, credentes, nisi id persuadeant ex S. Literis. De Calvino etsi, ut de eximio Dei Ministro honorificè sentiamus, absit tamen, ut *eum Religionis nostræ Ducem* agnoscamus! absit, ut de ipso dicamus, quod Santius Jesuita *in Epist. dedic. Commentar. in Ies.* effutire de Lojolâ haud erubescit, *ejus judicium, majori jam illustratum lumine, nihil omnino discrepare à divino.* Absit, ut, quod Bellarminus *l. 4. de R. Pontif. c. 5.* de Papa scribit, *teneri in rebus dubiis Ecclesiam acquiescere ejus judicio, & facere, quod ille præcipit, & non facere, quod ille prohibet, ac ne forte contra conscientiam agat, teneri credere, bonum esse, quod ille præcipit, malum, quod ille prohibet*, de Calvino enuntiemus! Scriptis ejus eam adhibemus fidem, quam Augustinus aliorum Catholicorum Scriptis non canonicis *Epist. 19. ad Hier.* non credentes, *quia* Calvinus *dixit*, sed *quia* ex verbo Dei *ipsimet audivimus & scimus, hunc*, quem Calvinus prædicavit, *esse vere Servatorem illum mundi, Christum* Joh. 4 42. parati *secundum illam viam, quam heresin dicunt* novi Pharisæi, ita *servire patrio Deo, ut credamus omnibus, quæ in lege & Prophetis*, addimus, in Evangeliis & Apostolicis omnibus libris, *scripta sunt* Act. 24. 15. Verum est, ante Calvinum aliosque Reformatores non fuisse Reformatos ὀνομαστικῶς, id est, homines, hoc nomine insignitos: sed falsum, tales non fuisse ὄντως, id est, homines, qui eadem cum Calvino, aliisque Reformatoribus docuerint. Tales fuerunt Waldenses, Albigenses, Wiclefitæ, Hussitæ, qui se jugiter constantissime Papatui opposuerunt. Tales fuerunt Augustini, Hieronymi, Ambro-

brosii, Chrysostomi, & quicquid ejus ætatis Patrum est. Imo tales fuerunt omnes priorum seculorum sancti homines. Qui ante mille annos templa & monasteria exstruxerunt, nunquam ideo fecerunt fine, ut homines, quales hodierni vestri monachi sunt, alerent. Cultum Dei promovere allaborârunt: verum ingrata posteritas, ut experientia *ad hodierni Papatûs pudorem* testatur, longe ab eorum institutis (id quod cap. 3. §. V. evidentissime à nobis demonstrabitur) recessit. Frustra ergo clamas, *nullum nominari posse, qui ante tempora Reformationis Catholicæ*, id est, Pontificiæ, *Religionis non fuerit & idem cum Reformatis in omnibus illis punctis, in quibus ab Ecclesia Rom. dissident, senserit.* Quasi vero tibi non constet, Berengarium, Wiclefum, Hussum, Hieronymum Pragensem, Bohemos, Waldenses, aliosque innumeros longo ante Reformationem tempore fidem nostram professos esse! Docere interim te id potest Reynerus vester *Lib. de VValdens. à Gretsero edit. & recus. in Bibl. Patr. tom. 4. part. 2.* scribens; *Inter omnes sectas, quæ adhuc sunt vel fuerunt, non est perniciosior Ecclesiæ* (Papisticæ) *quam Leonistarum* (id est, Waldensium, contra quos tractatus ejus directe inscribitur) *Et hoc tribus de causis. Prima est, quia est diuturna; aliqui enim dicunt, quod duravit à tempore Sylvestri, aliqui à NB. tempore Apostolorum. Secunda, quia est generalior; ferè enim NB. nulla est terra, in qua hæc secta non sit. Tertia, quia cum omnes aliæ sectæ immanitate blasphemiarum in Deum audientibus horrorem inducant, hæc magnam habet speciem pietatis, eo quod NB. coram hominibus juste vivant, & bene omnia de Deo credant, & omnes articulos, qui in Symbolo continentur, observent: solummo-*

do

do Rom. Ecclesiam blasphemant & Clerum &c. Arrige aures D. Jurisconsulte & mirare, à tuis Pontificiis (quorum alteri, nimirum Gretsero evenit, quod Bilheamo, ut asina, quam inequitat, adversus ipsum loquatur) tibi fido proselyto tam palam os obstrui. Adjunge interim his duobus & Eckium vestrum, qui *Loc. Commun. cap. 28.* expresse fatetur, *Lutherum nihil aliud fecisse, quam hæreses in VValdensibus, Hussitis & aliis pridem damnatas revocare.*

VI. I nunc D. Jurisconsulte, &, novitatis notam nobis inusturus, clamita, Ecclesias nostras heri ac nudius tertius demum natas esse! Dicas autem nobis, qui passim crepas antiquitatem, vicissim; ubi vestra fuerit Ecclesia tempore Apostolorum? quo adhuc altissimum silentium de Missa, Purgatorio, Indulgentiis, Transsubstantiatione, cultu imaginum, invocatione Sanctorum, cæterisque dogmatibus Papalibus omnibus: Nomines nobis vel unum, non dicam, primo, secundo, tertio, quarto sed demum quinto (ut spatium sat amplum tibi figam) post Christum natum seculo, qui hodiernos fidei vestræ articulos omnes fuerit amplexus? & eris nobis vestro Christophoro magno major. Instruas nos insuper, cujus Religionis fuerint sancti illi viri, qui Symbolum Apostolicum construxerunt? aut enim fuerunt vestræ Religionis? aut non fuerunt? Si *posterius*: ubi tum temporis fuit vestra Religio? Si *prius*: ubi ergo reliquerunt pontificios vestros articulos (v. gr. articulum de Missæ sacrificio, de Purgatorio, de Papa ejusque auctoritate, de Transsubstantiatione &c.) juxta vos tam necessarios, ut nos, quia eos amplecti renuimus

ad

ad orcum relegetis? Porro redde nos certiores, ubi Ec-
cleſia veſtra fuerit ſeculo illo X, quod *ferreum* à Baro-
nio vocatur, quo, ut ipſe Genebrardus veſter fatetur,
plusquam 50. Pontifices ſibi mutuo ſuccedentes, non
tam *Apoſtolici* quam *Apoſtatici* extiterunt?

VII. 2 Quemadmodum autem primis noſtris Re-
formatoribus non defuit, ita nec hodiernis noſtris Pa-
ſtoribus deeſt legitima vocatio. Nam (1) legitime præ-
miſſo cum doctrinæ tum vitæ examine, ad ſacrum ſuum
munus vocantur, & quidem ab iis, penes quos eſt pote-
ſtas, id eſt ab Eccleſia cum conſenſu Magiſtratus veræ
Religioni addicti: Idque ſecundum praxin Apoſtoli-
cam Act. 1. 23. Sic tota piorum multitudo ſeptem Dia-
conos elegit, qui impoſitione manuum fuêre confir-
mati per Apoſtolos Act. 6. 3. 5. 6. Sic Apoſtoli leguntur
oppidatim conſtituiſſe presbyteros per populi χειροτονίαν
ſeu ſuffragium (voce deducta à more Græcorum, qui
extenſis manibus ſuffragia ferebant) Act. 14. 23. Con-
fer Act. 15. 22. 25. & 1. Cor. 16. 3. (2.) Ordinantur & ini-
tiantur per manuum impoſitionem: idque rurſum ex
praxi Apoſtolica 1. Tim. 4. 14. & 5. 22. 2. Tim. 1. 6. Act. 13. 3.
Sed quid opus verborum ambagibus? cum ipſi Pontifi-
cii, velint nolint, fateri cogantur, paſtores noſtros legi-
tima vocatione non deſtitui. Nam 1. probant baptiſ-
mum, ab ipſis adminiſtratum, ita ut eos, qui ab ipſis fuê-
re baptizati, dum ad Pontificios tranſeunt, de novo ba-
ptizare haud neceſſe ducant. Ubi autem eſt verus baptiſ-
mus, ibi debet eſſe legitima adminiſtrandi poteſtas, ubi
eſt illa poteſtas, ibi eſt etiam vera vocatio: nemo enim
ſigilla tractare poteſt, niſi ſigillorum cuſtos, nemo cu-

ſtos,

ſtos, niſi vocatus: Ita nemo Sacramenta, quæ ſunt ſigilla federis, poteſt adminiſtrare, niſi cui tabulæ federis ſunt commiſſæ. 2. Credunt etiam copulationem, ab ipſis peractam, eſſe legitimam: unde copulatos in Eccleſiis Reformatis de novo non copulant: ſi autem hoc: qui dubitarent de legitima paſtorum noſtrorum vocatione, cum nulli, niſi paſtori legitime vocato conjuges copulare haud licere ſtatuant?

VIII. Et hoc Tu in primis perpendere debebas D. Juriſconſulte, qui à Paſtore Reformato & baptizatus & cum Conjuge tua copulatus fuiſti. Si verum eſt, quod dicis, nimirum Reformatos Paſtores, ex defectu vocationis, legitime non poſſe adminiſtrare Sacramenta, ergo evidentiſſime ſequitur 1. nec te nec ullum apoſtatam, qui pari tecum calumnia Paſtorum noſtrorum vocationem adoritur, legitime baptizatum, adeoque nec verum Chriſtianum eſſe. Num regeres, valere etiam baptiſmum mulierculärum? incaſſum: nam, præterquam quod ſit falſiſſimum, Papiſtæ tui de caſu neceſſitatis, quem fingunt, id affirmant: negant autem de ſolenni baptiſmo extra caſum neceſſitatis; Vide *Buſenbaumii Medullam Theolog. Moral. lib. 6. tract. 2. c. 1. art. 2.* (2.) Te cum conjuge tua non legitime copulatum eſſe, adeoque Te hactenus in matrimonio illegitimo vixiſſe. En fructum apoſtatis ex ſuis temerariis & inconſideratis calumniis exſpectandum!

IX. Sed audiamus, quomodo negatam à nobis ſupra Minorem probare conetur D. Jureconſultus. Prius Minoris membrum, quod ſpectat Reformatores, in hunc modum, ut conjicio, probare intendit. Si aliquam

G

quam habuissent vocationem Reformatores, ea vel fuisset *ordinaria* vel *extraordinaria*. Ordinaria fuisse dici non potest, *cum Ecclesia hæretica & Antichristiana, qualis juxta Reformatos est Ecclesia Pontificia, legitime vocandi jure destituatur.* Extraordinaria etiam dici non potest, *cum extraordinariam vocationem semper comitentur miracula, quibus tamen patrandis illi fuerunt impares:* Sequitur ergo, illos nullam habuisse vocationem. R. Negando Minorem. Sunt enim vocati & *ordinarie* & *extraordinarie*. Ordinarie quoad *τὸ materiale* seu functiones ordinarias, quatenus ab Ecclesia Romana vocati fuerunt ad verbum Dei prædicandum & Sacramenta administranda. Extraordinarie quoad *τὸ formale* seu functionis exercitium & applicationem, quatenus eos Deus extra ordinem suscitavit, donisque heroicis instruxit ad Ecclesiam suam reformandam. Negata Minor rationibus adjectis non probatur. Nam 1. falsum est, miracula semper comitata fuisse extraordinariam vocationem. Annon enim varii Prophetæ, ut Hoseas, Joël, Amos, Obadias, extraordinariè fuêre vocati, qui tamen vocationem suam miraculis non confirmârunt? Annon etiam Johannes Baptista extraordinarie vocatus fuit, qui tamen *signum nullum edidit* Joh. 10. 41. Fatetur hoc Costerus *in Enchirid.* Fatetur etiam Salmero *tom. 4. hist. Evang. p. 2.* scribens; *Iohannes, ut & alii multi Prophetæ, signum non edidit.* Ubi nova doctrina prædicatur, non pariter, ubi (ut factum à Reformatoribus) vetus repurgatur, opus est miraculis, agnoscente eodem Jesuita Salmerone *Tractat. 13. tom. cit.* Adde, quod successus mirabilis, quem Deus Reformatorum laboribus largitus est, ita

ut

ut (quod ipse Bellarminus non sine stupore fateri cogitur in præfat. Disputat. de Controv. Ch. Fid.) doctrina Evangelica *in Saxonia paulo ante orta mox Germaniam pene totam occupaverit: inde ad Aquilonem & Orientem profecta Daniam Norvvegiam, Sueciam, Gotthiam, Pannoniam, Hungariam* refecerit: *tum ad Occidentem & Meridiem pari celeritate delata, & Galliam, Angliam, Scotiam brevi tempore* ingressa, *ad extremum alpes transcenderit & in Italiam usque penetraverit*, habuit rationem miraculi, quo Deus palam fecit, talem vocationem, quæ tantum opus perfecit, non potuisse non à se processisse. Verum est, & Arii doctrinam brevi temporis spatio adeo increvisse *ut ingemuerit orbis & miraretur, se factum esse Arianum*: At brachio seculari, quo Reformatores non nitebantur. Non flagitabat Lutherus patrocinium principum, ne quidem Electoris Saxoniæ. Imo cum ex eremo Wittenbergam esset rediturus, aperte scribebat, se ab eo non petere patrocinium. Falsum etiam est 2. Ecclesiam hæreticam & Anti-Christianam Ecclesiam legitime vocandi jure destitui: Nam non omne, quod in Ecclesiis hæreticis reperitur, illico absolute rejiciendum; siquidem jugiter aliquid boni retinere possunt, quod cum Orthodoxis habeant commune. Audi S. Augustinum: *Sicut* (inquit ille l. 2. contr. Ep. Parmen. c. 13.) *habent (qui recedunt ab Ecclesia) in baptismo, quod per eos dari possit; sic in ordinatione jus dandi, utrumque quidem ad perniciem suam, quamdiu charitatem non habent unitatis. Sed tamen aliud est, prorsus non habere, aliud perniciosè habere, aliud salubriter habere* &c. Annon Judaicum Sacerdotium tempore Christi variis hæresibus erat infectum, & tamen

Sacerdotum ordinatio & vocatio , ut & ab ipsis peracta circumcisio nunquam , tanquam invalida , in dubium fuerunt vocata ? Quin ipse Christus eorum ministerium & in cathedra Mosis sessionem agnovit Matth. 23. 3. sub eorum etiam ministerio circumcisus. Arianos pariter & Nestorianos fuisse hæreticam Ecclesiam quis neget ? plures tamen Episcopos vocabant, quos Orthodoxi, postquam errores agnoverunt, pro legitimis sine ulla nova ordinatione & vocatione receperunt, ut videre est apud Socratem *l.2.c.12.* & Sozomenum *l.3 c.4.7 9.*

X. Instantia, quam formas à dicto Christi Matt. 7. 18. *Non posse arborem bonam malos fructus ferre, neque arborem putrem posse ferre fructus bonos*, nulla est: nam Christus ibi non loquitur de qualibuscunque fructibus, etiam *vocationis*, ut loqueris (nam ille ipse Pharisæorum, quamvis malarum arborum, vocationem adhuc legitimam agnovit, ut supra demonstratum) sed de fructibus vitæ, maxime vero doctrinæ, ut patet ex Luc. 6. 45. Et hinc S. Johannes ait 2. Ep. v. 9. 10. *Omnis, qui recedit & non permanet in doctrina Christi, Deum non habet: qui permanet in doctrina, hic & Patrem & Filium habet. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinā non adfert, nolite recipere eum in Domum* &c. Quod & Paulus confirmat Gal. 1. 8. (2.) Arbor dicitur vel *absolute* putris vel *secundum quid*, vel ita, ut nihil in ea sit boni, vel ut contraxerit quidem putredinem , præter putredinem tamen adhuc aliquid boni habeat. Sicut e contrario arbor dicitur vel *perfecte* bona, vel *inchoate*. Posteriori sensu est nobis Ecclesia Pontificia arbor mala: non priori.

XI. Ur-

XI. Urges, *qua ratione fieri potest, ut ille (Anti-Christus) qui Christum non recipit &c. qui mendax est, negans Patrem & Filium 1.Joh.2.22. negans Christum venisse in carne 2.Joh.v.7. legitimos Pastores & operarios vocet in vineam Domini?* R. Distinguimus inter Papam, qua talem & Ecclesiam, supra quam sedes Papalis est erecta. A Papa tanquam ipsissimo Antichristo nos nihil derivamus ministerii, vocationis, doctrinæ, successionis, salutis: Is enim, qua talis omni vocatione destituitur, imo ipse, qua talis, revera nihil est, istius scilicet, quod se esse dicit; eo sensu, quo *idolum in mundo nihil esse* dicitur ab Apostolo 1. Cor. 8. 4. Ecclesia, supra quam sedes Papalis est erecta, habuit adhuc aliquam ministerii Ecclesiastici & missionis rationem, non quatenus Papæ aut Sedi Romanæ unita, aut in ordine & respectu suo ad illam sedem, tanquam centrum aut radicem, sed in ordine & respectu ad Christum. Non ergo collocamus potestatem illam Ecclesiasticam in Anti-christianismo, in erroribus, idololatria & vitiis, à sede Romana in Ecclesias Papæ subjectas derivatis; sed in articulis & veritate fidei Christianæ, quæ ipsis adhuc reliqua erat.

XII. His ita distinctè expositis, nemo non videt, irrita esse omnia, quæ à D. Jureconsulto de Anti-Christo, ad infringendam exinde Reformatorum vocationem toties regeruntur. Papæ, ut dictum, nos nunquam tale quid tribuimus. Neque etiam illi magis tribui posset, quam functiones vitales aut naturales in corpore morbo alicui aut symptomati, corpus illud obsidenti ac vexanti tribuerentur. Noveris interim, ut, quæ adducis

Scripturæ loca, recte intelligas, aliam esse Christi negationem *occultam*, aliam *apertam*; aliam *realem*, aliam *verbalem*. Prior cadit in Anti christum, non item posterior: nam bestia illa Apocalyptica licet *loquatur ut draco*, (i. e. introducat *doctrinas dæmoniorum*, dicente Paulo 1. Tim. 4. 1) *habet tamen duo cornua similia agno* Apoc. 13. 11. id est, interprete Primasio in Apoc. c. 11. *agnum fingit, ut agnum, id est, Christi corpus invadat*. Licet proinde Anti-Christus reipsa sit lupus rapax, & ipso opere neget, *Christum venisse in carne* (1. aliud sacrificium ἱλαςικὸν, quam Christi, fingendo. 2. Præter verbum Christi, aliud introducendo. 3. Maximam redemptionis partem Christo surreptam in alias res transferendo. 4. Justificationem per solam in Christum fidem obtinendam negando. 5. Mediatoris officium aliis etiam commune reddendo. &c.) nihilominus tamen, quia id non facit aperte, directe & verbis; sed è contrario varia Religionis Christianæ fundamenta (V. G. Verbum Dei & publicam ejus prædicationem, Symbolum Apostolicum, Decalogum, Orationem Dominicam &c.) saltem oretenus & quoad externam professionem (utpote; sine quibus ipse constare non posset: ut enim gangræna tollitur corporis nece, & veneni nulla est propinatio crudi, sed in cibo vel potu; sic nulla esset Anti Christi vis, nisi templum Dei clamaret, hac specie populo illudendo & hoc vinculo conscientias illaqueando) in Ecclesiâ sibi subjectâ relinquit, vocatione ordinariâ illa non destituitur, quemadmodum hæreticas Judæorum tempore Christi, item Arianorum & Nestorianorum Ecle-

clesias eâdem non destitutas fuisse , supra audivimus.

XIII. Aliam longe esse hodiernæ Judaicæ, Turcicæ & Ethnicæ Ecclesiarum, ad quas provocas, rationem , nullus non videt : nam illæ Christianismi fundamenta prorsus negant : At Ecclesia Antichristiana Christi nomen, saltem externè, adhuc profitetur & varia Christianismi dogmata, quamvis varie corrupta, adhuc retinet ; plane ut olim idololatræ in Judaica Ecclesia Baalis cultum cum divino conjungebant, ut *jurarent per Deum & Milchom*, Ammonitarum idolum *Sophon c. 1. 5.* & ut Achaz altare Damascenum in templo juxta altare Dei collocavit 2. Reg. 16. Ita in Papatu ad principia Christianismi tot adjunxerunt depravationes & corruptelas, ut vere templum Dei cum idolis, lux cum tenebris & veritas cum mendacio consociata dici queant. Atque hoc est discrimen, quod inter hanc & alias falsas religiones, hæreses & schismata observari potest, quod *Mahumedismus*, *Iudaismus* & *Gentilismus* Christianismi fundamenta negent. Hæreses articulos singulares fidei lædant & pervertant : *Schismata* charitatis vinculum solvant : Sed illud *Anti-Christianismi* proprium , ut subjectum retineat, sine quo constare non potest.

XIV. Sed agedum pressius cum D. Jureconsulto nostro agamus. Dicat nobis, num vocatio Lutheri, aliorumque Reformatorum, quâ, Pontificiis fatentibus (vide Bellarminum *lib. 1. de Cler. c. 3.* & Volusium *Catechism Bibl. p. 237.*) primitius ab Ecclesia Romana instructi fuêre ad docendum, fuerit vera & legitima, an vero falsa

&

& illegitima. Si *prius*: ergo nostri, qui ea instructi opus Reformationis sunt aggressi, non sine vera vocatione hoc fecerunt. Si *posterius*: ergo vel ipso fatente, Ecclesia Romana erit falsa Ecclesia; *cum arbor bona malos fructus*, quibus & vocationem ille ipse annumerat, *non possit ferre*. Nec est, quod dicas, illos non vocatos fuisse, ut adversus Papam prædicarent, sed ut Pontificiam & non aliam populo proponerent doctrinam: nam etiam Ariani Episcopos & Pastores nō consecraverant, ut ad Orthodoxos se converterent, & illi tamen se eo laudabiliter converterunt, recepti etiā ab Orthodoxis sine nova ordinatione, ut supra ex Sozomeno audivimus. Nimirum distinguendus est hîc *finis primarius* Dei ac Christi vocantis & *secundarius* hominum, quorum ministerio Deus usus est ad vocationem illam conferendam. Haud inficias imus, eorum, qui vocationem ipsis contulerant, scopum & intentionem non fuisse, ut à doctrina recepta recederent: verum Reformatores ad finem primarium Dei vocantis & ad officii sui primævam obligationem respexerunt, nimirum ut non Papisticè, sed verè Catholice docendo traditam à Christo & Apostolis doctrinam, puram & illibatam auditoribus suis instillarent. Annon laude dignum hoc ipsorum factum D. Jurisconsulte? certe non minus quam eorum, qui ab Arianis vocati in castra Orthodoxorum pedem intulerunt. Quis enim culpet? quis non potius laudet eos, qui, missis hominum corruptelis & erroribus, omnia ad Christi institutum revocant? *Dices*, Reformatores obligatos fuisse docere ex intentione *vocantis & ordinantis Eccle-*

sia

siæ. Rx. Ergo si Ecclesia intenderet hæresin, omnis rite vocatus teneretur hæresin docere? Et si Episcopus ordinans esset schismaticus aut Simoniacus, non liceret Ordinatis damnare in illo Schisma, Simoniam & sic porro? quis non videat, hæc absona & insulsa esse?

XV. *Dices porro*, Reformatores ab Ecclesiâ Romana fuisse excommunicatos, adeoque eorum vocationem irritam evasisse. Verum respondeo 1. primos Reformatores fuisse quidem excommunicatos, sed non statim: Multi enim modo ad illos confluxerant, antequam Pontifex Romanus excommunicationis fulmen in eos vibraret. 2. Licet etiam statim fuissent excommunicati, quid tum? Excommunicatio injusta, ut brutum fulmen, suo illos non potuit privare jure, nec illos tetigit magis, quam Apostolos excommunicatio Synedrii Judaici, aut Athanasium aliosque vere Catholicos excommunicatio Arianorum. Si Pontificii crederent, doctrinam salutis vigere apud nos, excrementa autem Antichristi hærere in Ecclesiis suis; num excommunicationis Papalis fulmina à limpidis Reformatæ Ecclesiæ fontibus eos abstraherent?

XVI. Verum est, eos, qui ejurato Papismo ad Reformatos se recipiunt, plerunque (plerunque dico; nam id non semper fit, neque etiam fieri adeo necesse est) de novo ordinari: Sed quid inde? Num forte vocationem, ipsis in Ecclesiâ Pontificia collatam, non legitimam agnosci? erras, si tam *de substantia*, quam *de modo* intelligis. Agnoscimus, ipsorum vocationem *quoad substantiam* legitimam fuisse; sed, cum *quoad modum* varie inquinatam sciamus, illos de novo ordinandos judicamus, ut falsum à vero eò evidentius discernatur. Quæ proinde repurgatio prioris potius, quam nova ordinatio dici meretur. Et

quid opus est verbis? Ipsi Pontificii, dum eos, qui à nostratibus fuerunt reordinati, postquam ad monasteria & collegia regressi palinodiam canunt, de novo non ordinant, fatentur, primam ordinationem in Papatu factam per novam Reformatorum ordinationem non evasisse irritam. *In Episcopo haeretico*, inquit Asorius Institut. Moral. lib. 8. c. 19, *manet potestas conferendi ordines, quia id facit nomine, institutione & auctoritate Christi: Ideoque ab haereticis Episcopis ordinati & ad Ecclesiam redeuntes non iterum ordinantur. Aliqui etiam tenent, haereticos Episcopos potestatem quoque jurisdictionis non amittere.* Hoc si veritati congruit, licet nobis Episcopi Pontificii sint haeretici, non propterea nulla erit eorum ordinatio. Quod si nostros, quibus in Ecclesia Pontificia ordinatio collata fuit, haereticos censeant, manet tamen in illis ex Pontificiorum hypothesi jus ordinationis.

XVII. Lutheri, aliorumque Reformatorum vocationem fuisse immediatam, qualis erat Prophetarum & Apostolorum, nemo nostrum docet, aut hactenus unquam docuit: Sed tuum, tuorumque Jesuitarum est figmentum. Hoc autem est, quod docemus, fuisse aliquid in ipsorum munere extraordinarii & supra communem Ministrorum sortem, quatenus videlicet contra intentionem ordinantis tanto Zelo fuere Papatum aggressi. Nec est, quod objicias Lutheri & Calvini inconstantiam, aut etiam utriusque à se invicem dissensum. Nam, ad primum quod attinet, distinguendus est Lutherus incipiens à Luthero proficiente. Fatetur ipse Lutherus, se ab initio multa concessisse Papatui, quae postea revocavit. *Haec*, inquit in libr. contr. Reg. Angliae, *veritate agnita, coactus sum quaedam eorum immutare, sicubi bona de Papatu & de iis, quae extra Scripturam docentur, scripsi. Denique*

adhuc

adhuc revoco, & ex animo doleo, si quam syllabam pro bono Papatus & regni sui unquam scripsi, rogoque meos Lectores, dignentur prudenter meos ejusmodi errores cavere. Dicis, *spiritus Dei, quem ipsi tribuitis, non est inconstans & mutabilis.* ℞. Concedimus: Sed interim operatio ejus in subjectis fidelibus quandoque minor, quandoque major est. An negas? en Augustinum! en alios Patres! annon Spiritum Dei habebant, & tamen scripserunt libros Retractationum? En ipsum Petrum! annon Dei Spiritu præditus erat? & tamen initio *non recto pede incedebat*: Unde & Paulus *ei in os obstitisse* legitur, *quod condemnandus esset* Gal. 2.11. Calvinum nostrum quod spectat, fuit is, ut & Lutherus proficiens, contra Papatum constantissimus, nec ullum habet inter Reformatos in Religionis negotio à se dissentientem. Ex scriptura ipsa ita ipse scripturam est interpretatus, ut inter æquos rerum arbitros doctissimi Interpretis nomen sit jure meritus; adeo etiam, ut infensissimi ipsius hostes se continere non potuerint, quin hoc ei testimonium (quod mirandum sane) præberent, *Sane*, inquit Stapletonus vester (quamvis subinde iniquus) præfat. ad Antidot. Evangel. Oper. Tom. 3. *præter accuratam Catholicorum dogmatum vel refutationem vel reprehensionem (quo nomine suis mirabiliter placet) ubi ea aut refutandi aut reprehendendi locus non est, ita in reliquis quoad literam, interpres est DILIGENS, ita MORALIS, ita ELEGANS & SUAVIS est, ut hac varia esca proposita, & veluti in aureo poculo propinato veneno, etiam ab ipsis Orthodoxis AVIDE interdum legatur qui in DICTIONE PURA doctrinam vix cavent impuram, quos etiam aliquando exoptare audivi, ut resectis, quæ contra Ecclesiam & fidem disputantur, castratus prodiret; sic enim commentarios ejus perutiles fore.* Ad secundum quod attinet, verum est, Lutherum à Calvino & Calvinum à Lu-

thero hinc inde dissensisse : At interim non minus verum, in præcipua Papatus causa & in fidei orthodoxæ & salvificæ fundamento (id est, in iis doctrinæ Christianæ capitibus, quæ universis & singulis fidelibus ad salutem æternam in Christo consequendam scitu credituque sunt necessaria, & absque quorum fide nemo servabitur) eos, licet locorum distantia à se invicem sejunctissimos conspirasse quam optime. Qua de revide sis *Irenicum Cl. Paræi cap. 12. & seq.* Interim parumper tecum habita D. Jureconsulte, &, dum nostrum nobis objicis dissensum, vestrum Pontificiorum, qui tamen de concordia & consensu semper adeo gloriamini, prius perpende. Fidei mutatio apud vos adeo certa est, ut etiam non desint ex Vestratibus, qui publice defendere non dubitant, penes Romanam Ecclesiam esse, fidem pro lubitu mutare. Defendendum in se hoc suscipit Cardinalis Perronius lib. 3. cap. 3. Imo ante ipsum Cardinalis Cusanus ausus fuit scribere (Epist. 2. & 3. de Comm. sub una specie ad Bohemos) *Scripturas esse ad tempus adaptatas & varie intellectas, ita ut uno tempore secundum currentem universalem ritum exponerentur, mutato ritu iterum sententia mutaretur, ac mutato judicio Ecclesiæ, mutatum esse & Dei judicium*: Quod certe horrendum est cogitatu, nedum publice à Cardinale doctu. Hisce jam Cardinalibus tuis ingemina illud tuum; *Spiritus Dei non inconstans est ac mutabilis, ut hodie hoc, cras aliud cordi indat.* Et quot quæso D. Jureconsulte, inter vos Papistas sese non offerunt sectæ, concertationes veterum & recentium, non de ritibus solum & ceremoniis (ut extenuare soletis) sed & de gravissimis fidei articulis? Maximi momenti quæstio est; *Quæ proprie sit immediata regula & norma fidei nostræ?* Ad nos quod attinet, statuimus, verbum Dei scriptum

ptum esse unice hanc regulam & normam: Vos e contrario provocatis ad judicium Ecclesiæ, tanto autem cum consensu, quantus reperitur inter capita vulpium Simsonis: Quibusdam hoc judicium Papæ, aliis autem Concilio tribuentibus: Id est, his Concilium papæ, illis vero Papam Concilio præferentibus. Concilium præferendum esse Papæ, ante 400. annos modo conata est probare Sorbona Parisiensis, & etiamnum hodie perseverat in sua sententia, quam olim etiam duo Concilia Generalia nempe Basileense & Constantiense (hoc Sess. 14. illud Sess. 2. 3. 8.) confirmarunt. Alii è contrario, imprimis Jesuitæ, simul atque superiori seculo lucem viderunt, superioritatem Papæ supra Concilium defendere allaborarunt, eum in finem Papæ in decidendis fidei controversiis infallibilitatem tribuere ausi. Memoratu dignum, quod paucis ante annis hac super re contigit. A Jesuitis Parisiensibus die 12. Decembris anni 1661. in Collegio Claromontano publice affixa fuit hæc Thesis; *Christum nos ita caput agnoscimus, ut illius regimen, dum in cœlos abiit, primum Petro, tum deinde Successoribus commiserit, & NB. eandem, quam habebat ipse, infallibilitatem concesserit, quoties ex cathedra loquerentur. Datur ergo, in Ecclesia Romana controversiarum fidei Judex infallibilis, etiam extra Concilium Generale, tum in quæstionibus juris, tum facti.* Per hoc Jesuitæ, tanquam articulum fidei proposuerunt, Papam ejusdem infallibilitatis participem esse, cujus & ipse Christus particeps fuerit, & quidem non tantum in quæstionibus juris, sed etiam facti, quod posterius antehac, vel ipsis Cardinalibus Bellarmino & Baronio (hoc *ad An. 681. num. 30*, illo *de Summ. Pontif. lib. 4. 2.*) testibus, nemo credere voluit. Paulo post contra hanc temerariam Jesuitarum doctrinam in Galliâ à sanioribus Religionis

 Pon-

Pontificiæ Theologis libellus prodiit, cui titulus erat: *Nova hæresis Jesuitarum, defensa publicè Parisiis in Collegio Claromontano d. 12. Dec. 1661.* Hujus libelli verba inter alia hæc sunt: *Quod igitur notum sit universæ Ecclesiæ: Dies est XII Decembris An. 1661, quæ primum in lucem produxit monstrosam Jesuitarum opinionem quam tot jam annis foverunt; dies est, quâ illi velut assertionem Catholicam publice statuerunt; Papam, quoties ex cathedra loquitur, eandem habere infallibilitatem, quam habuerit Jesus Christus, non solum in quæstionibus juris, sed etiam facti, & fide divina credi posse quinque propositiones esse Jansenii.* Assertionem illam nuncupant *errorem non simplicem, nec vulgarem hæresin, sed errorum maximorum originem & generalem hæresin, quæ totam Religionem evertit.* En eximum Papistarum consensum! en Jesuitas, ipso Papistarum judicio, hæreticos! Non dicam jam brevitatis gratia de implacabilibus Sectis Dominicanorum & Franciscanorum (quibus ultimis & tandem accessere Jesuitæ) quantum ad immaculatam conceptionem B. V. Mariæ. Notum est, alteram ab altera non semel eapropter fuisse hæreseos accusatam. Nec ignota etiam miserabilis Dominicanorum, cum bonam causam pessimis & diabolicis artibus confirmare satagerent, Bernæ ann. 1509. combustorum, tragœdia. Non tangam etiam gravissimas earundem sectarum concertationes in doctrina de Gratia Dei & libero hominis arbitrio, de quibus fusius modernum Theologorum Helvetiorum Decus, Celeb. Heideggerus *Dissert. Select. 7.* Non quoque verba faciam de litigio vehementissimo, hoc seculo Cornelium Jansenium ejusq; asseclas inter & Jesuitas orto, & tanta animorum exacerbatione agitato, ut illi hos *Semipelagianorum & hostium gratiæ Dei*; hi vero illos *sacerdotum*

tum diaboli & Portarum inferni nomine traduxerint. Silentio pariter præteribo nota schismata ipsorummet Ecclesiæ Romanæ Paparum; quorum meminit Onuphrius *in Chronic. R. Pontif.* numero triginta, quorum vigesimum nonum 50. integros annos duravit, in quo Papa suum Antipapam Antichristi & præcursoris Antichristi nomine non raro insignivit. Evoluturus unicum Bellarminum, ad minimum ducentas & quinquaginta, ab eodem annotatas non logomachias, sed reales & veras Doctorum Pontificiorum contradictiones deprehendet, & quidem in præcipuis punctis Religionis; Ex. gr. *de S. Scriptura, de Deo, de Angelis, de gratia primi hominis, de amissione gratiæ & statu peccati, de peccato originali, de Christo, de providentia Dei, de justificatione, de operibus eorumque meritis* &c. Non est ergo. D. Jure consulte, quod de dissensu Lutheri & Calvini, qui exiguus est, dicas; in ipsum Ecclesiæ vestræ sinum descende, & passim passus Cadmeorum fratrum videbis. Quod si Lutheri & Calvini vocatio eapropter est nulla, quid ergo de vocatione Cadmeorum vestrorum fratrum dicendum? festucam in oculo nostro monstras, & trabem in tuo ipsius oculo non cernis.

XVIII. ℈. Sed audiamus jam etiam, quomodo secundum membrum negatæ à nobis supra Minoris, quod hodiernos Ministros Evangelicos spectat, D. JC. probet. Omnis ejus probatio huc redit. *Quicunq; succedunt Calvino & Luthero in ministerio, illi destituuntur legitima vocatione: Atqui hodierni Ministri Evangelici succedunt Calvino & Luthero in ministerio: Ergo destituuntur legitima vocatione.* ℟. Maior falsissima est: unde eam probabis? *Num forte*

hinc,

hinc, quod ipsi caruerint legitima vocatione? At hoc falsissimum esse supra demonstravimus. Posito autem, non tamen concesso, Lutherum, Calvinum, aliosque Reformatores à se ipsis ortos usurpasse ministerium sed acceptationem ac dispensationem Ecclesiæ de post facto aut confirmasse, aut de novo & legitime illis imposuisse totam ministerii potestatem, aut etiam quidquid auctoritatis ac potestatis deerat, sive nostro sive vestro sensu, id totum supplevisse; quid inde sacrilegii ad nos manare potuisset magis, quam ferrei istius seculi Baroniani diabolicæ artes, meretricia βδελύγματα, secularis tyrannis, Simoniaca pestis à capite, radice & sede Romana in universum Clerum Papalem ejusque sacerdotium nunc redundant? Norunt Pontifices, quibus successerint, à quibus sint orti; à Johanne scil. XI. spurio Papæ Sergii & meretricis Maroziæ: At nollent omnes dici filii meretricum & spuriorum & Ecclesiastice ex adulterio & incestu noti. *An forsan inde, quod non fuerint ordinati ab Episcopo?* At vero ordinationem non nisi ab Episcopo (opposite ad pastorem & presbyterum) legitime fieri posse, probari vellemus D. Jure consulte: Eosdem esse jure divino presbyteros & Episcopos, nec nisi solis nominibus differe, ex Scriptura patet quam evidentissime. Sic Paulus Tit. 1. v. 7. nuncupat illos Episcopos, quos præcedente v. 5. nuncuparat presbyteros. Sic idem Apostolus eosdem Ecclesiæ Ephesinæ præfectos, quos Act. 20. v. 17. vocaverat presbyteros, v. 28. vocat Episcopos. Et hinc idem 1. Tim. 3. 2. postquam Episcoporum officium descripserat & præscripserat, nulla presbyterorum mentione facta, ad Diaconos transit, quia nimirum presbyterorum & Episcoporum munus commune & idem erat Apostolorum tempore. Vide & Phil. 1. v. 1. Et quid? Annon

non Paulus diserte dicit, 1. Tim. 4. 14. *Ne negligito donum quod in te est, quod datum est tibi per prophetiam* μετὰ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ πρεσβυτερίου; Ergo ordinatio presbyterio specialiter competit. Paulo ac Barnabæ manus imposita est à Prophetis & Doctoribus Antiochenis Act. 13. v. 1. 2. 3. Ubi tum erat Episcopus Papalis, potestate ordinandi instructus? Assensum nobis præbent S. Patres, Tertullianus, Justinus, Cyprianus, Hieronymus, & alii, quorum testimonia vide apud Celeb. Voetium *in desperat. Caus. Papatus lib. 2. sect. 1.* Agnoscunt etiam hic nobiscum veritatem ex ipsis adversariis Carthusianus, Azorius, Durantes, Lombardus, & imprimis Jesuita Zanchez *Comment. in Act. 15.* Qui etiam probat ex Act. 20. Phil 1. 1. Tim. 4. Tit. 1. *Primis Ecclesiæ temporibus Synonymas fuisse voces* presbyteri & Episcopi.

XIX. Exemplum, quod Parisiis, in quodam Ecclesiæ Reformatæ Ministro, *Beaulieu* dicto, ad decrepitam usque senectutem munere pastorali functo, sed à nullis Pastoribus ad illud per impositionem manuum ordinato, contigisse narras, opimam fabulam (qualibus Papatus abundat) redolet. Dicis, *referri id à magni nominis Theologo de Verono in Tract. de Eccles. pag. 663:* Quis ergo, maxime cum Veronus fuerit Jesuita (& quidem tam felix in fingendo, ut etiam Catholicis suis novam methodum, Veronianam dictam, veteribus prorsus ignotam, ad illaqueandos hæreticos, effinxerit) non credat? At quid frequentius apud Jesuitas quam, missa veritate, Evangelicis, ad avertendos, ab eorum Religione, aliorum animos, aliena affingere? Hoc fine Jesuita Bailius Religionem Reformatam *sentinam omnium hæresium* nuncupare non erubescit: Jesuita Sylvester scribere non veretur pag. 26. *Lutherum suasisse, ventris flatu dæ-*

 monia

monia ejicienda esse: Imo Lutherum opera dæmonis incubi genitum esse, pag. 113. Jesuita Lessius eructare non dubitat, *Calvinum fuisse Sodomitam & Noviodunì ob hoc crimen ferro candente stigma ei inustum fuisse.* Addit Jesuita Sylvester, cap. 16. *Eundem Calvinum* (qui tamen ἄτεκνος vixit) *filium suum ad S. Hubertum misisse, ut à morsu rabidi canis curaretur.* Et quis omnes rancidas nænias, quas Jesuitæ cùm de Reformatoribus, & Pastoribus tum de Religione Reformata hactenus, ad eam coram mundo denigrandam, occinuerunt, enarret? Appello autem hîc fidem tuam D. Jureconsulte: Num mihi Papicolas tuos fidem habituros autumares, si hæc aut illa ad denigrandam Religionem vestram enarrarem, aut in Papam vel Cardinales vestros opprobria jactarem, non alio fulta testimonio, quam Lutheri, Calvini aut alius Pastoris Reformati? annon me potius cachinno quam fide excepturi essent? Ad quid Tu ergo cum tuo exemplo Jesuitico? Quanto rectius nos vobiscum agimus, qui, quæcunque de corruptelis Ecclesiæ vestræ & vitiis Pontificum asserimus, ex ipsis Auctoribus Pontificiis, acerrimis Papatus Assertoribus, depromimus ad æternum vestrum vestræque Religionis pudorem. Tu quoque f : simile contra nos, & eris nobis Theologis vestris, qui hoc hactenus non potuerunt, major. Posito interim, exemplum, quod narras, vere contigisse; quid tum postea? Cum enim jus vocandi non competat solis Episcopis, ut supra demonstratum, sed toti Ecclesiæ, ut infra thes. XXV. fusius probabitur, nec etiam impositio manuumquæ à solis presbyteris peragitur, sit de essentia Ministerii, quid obstat, quò minus Ecclesia, seu Seniores nomine Ecclesiæ in casu necessitatis, ubi Pastores desunt, nec haberi possunt, per se conferant vocationem immediate? Num dices, vocationem sic

non

non esse plenam & sufficientem? Frustra. Nam vocatio, spectatur vel *in se* seu ratione essentiæ, quæ consistit in triplici consensu, *Dei* scilicet, *Ecclesiæ* & *vocati*, vel respectu *modi* eam conferendi, nimirum ceremoniarum & rituum: Licet vocatio non sit plena & sufficiens quoad *modum* sine pastoribus; est tamen plena & sufficiens quoad essentialia. Ritus & ceremoniæ vocationis ubi observari possunt, ut possunt in Ecclesia rite ordinata, obtinere debent: At ubi observari non possunt, ut semper non possunt in Ecclesia collapsa & reformanda, ministerium, cum non sint de illius essentia, propterea non est nullum. Frustra quæres, quomodo Laici, utpote non pastores, queant constituere pastores: Nam proficiscitur hæc papicolarum quæstio ex falsa hypothesi, quasi vocatio sit aliquod Sacramentū Ordinis, imprimens Characterē indelebilem, qui sit qualitas physica inhærens menti pastoris, quæ est vocationis idea falsissima: Vocatio, ut infra audiemus, pertinet ad totam Ecclesiam, quæ licet ministerium non habeat *quoad exercitium*, implendo illius partes, habet tamen *quoad jus collationis*, ita ut ejus auctoritate & consensu, ministerii functiones existant validæ ex institutione Christi. Licet proinde illud exemplum vere contigisset, quod jam ponimus, quid tum D. Jureconsulte? quid inde lucratus fueris? Annon vos ipsemet in vocatione & ordinatione Ministrorum casibus necessitatis locum conceditis? Sic enim Gerson vester *Part. 2. Fit autem missio aut per Deum immediate &c. Aut per Deum mediante superiorum auctoritate &c. fit rursus nonnunquam ex ipsa necessitatis lege: Quando non aliter posset fidei seu morum veritas inviolata servari. Ubi verum est illud: Pasce fame morientem, si non pavisti, occidisti.* Et Antoninus *p. 1. tit. 20. In argumentum trahi nequeunt, quæ propter necessitatem aliquando sunt*

do sunt concessa. Etiam extra casum necessitatis, cum alii presbyteri haberi possunt, dispensatis tamen de plerisq; irregularitatibus, excogitantes aliquod *quid* pro *quo*, ut defectus ille suppleatur. *Cui virilia sunt abscissa*, inquit Toletus lib. 1. c. 63. *potest ea secum portare in pulverem redacta aut sicca*, ita erit membris scil. integer per analogiam eandem, qua cadaver est homo. Noli ergo amplius exclamare D. Jureconsulte, *ô miseros Pastores, quos supradictus ille Beaulieu ordinaverit! O misera Sacramenta, quæ & ordinans & ab ipso ordinati administraverint!* Vestrum potius excute sinum. Vos docetis, sacramentum Baptismi (cujus tamen administratio Jure divino Pastoribus demandata legitur Matth. 28. vers. 19.) in casu necessitatis etiam ab anibus, imo Judæis & Paganis administrari posse, etiam *in urina* (Sic enim quidam Doctores sentiunt, ut refert Guido de monte Rocherii *in Manip. Curator. de Baptis. c. 2 fol. 7.*) *in lixivio*, in *brodio* carnium & piscium, vide *Tolet. lib. 2. c. 18.* Item, infantem morientem conjici posse in flumen vel puteum profundum, quamvis mox suffocandum, referente Sylvestro, *in voce* Baptismus *num. 14. & 10.* En egregiam Papicolarum doctrinam! ad quam si Matrona d' Ameur dicta (ita turbata, ut refers, postquam percepit, dictum Beaulieu sine impositione manuum hactenus munus pastorale obiisse, ut etiam nullum ipsi amplius infantem baptizandum tradere voluerit sed tandem unà cum Conjuge suo ad Pontificios transierit) se contulit, *incidit* certe *in Scyllam, dum voluit vitare charybdin.* Tu interim D. Jureconsulte, quia tam libenter figura exclamandi uteris, hîc perge exclamare, *ô miserum baptisma, quod etiam ab anibus, Judæis & Paganis administratur, imo etiam in urina, lixivio & brodio carnium & piscium peragi potest! o miseram cœnam, cujus valor ab inten-*

tentione alicujus sacrificuli dependet! ô miserum creatorem, qui à creatura creatur! Eousque enim temeritatis procedere vestros Doctores, ut sic loqui non erubescant, infra audiemus.

XX. Sed en D. Jurisconsulte placuit tibi hactenus de vocatione Primorum Reformatorum ut & hodiernorum Pastorum nostrorum litem nobis movere; placuit tibi interrogare, *Tu Calvine, Tu Luthere, qui estis? Unde venistis?* Placet jam & nobis vicissim interrogare Papam, Cardinales, Episcopos qua papales, Monachos et sacerdotes vestros, *qui sint & unde venerint*, et quidem non duntaxat ratione ipsorummet munerum, utpote novorum et S. Scripturæ ignotorum: Cum è contrario vos Reformatorum et Pastorum nostrorum munus, ut sic, disputare non audeatis. Tu igitur Papa, *quis es? Unde venisti?* Papam qui hodie dicit, notat Ecclesiæ universalis Monarcham infallibilem, sedentem in templo Dei acsi Deus esset, & cui subesse sit omnino de necessitate salutis, ut definit Bonifacius VIII. *cap. Unam, Sanctam, Extra de major. & obed.* At unde Sanctissimus ille Pater? Ubi munus ipsius Monarchicum legitur in scriptura institutum? Dicit Apostolus Eph. 4. 11. *Christum dedisse alios quidem Apostolos, alios vero prophetas, alios autem Evangelistas, alios autem pastores & Doctores.* Ubi autem reliquit Papam, tanquam infallibilem Ecclesiæ Monarcham? Ille utique omnium primo fuisset commemorandus? Posito autem, non tamen concesso, Christum ejusmodi munus Monarchicum in Ecclesia sua instituisse? quis Episcopum Romanum ad illud vocavit? quis elegit? An dicis Cardinales: At quæro similiter, Vos Cardinales *qui estis? Unde venistis?* quis munus vestrum in Ecclesia instituit? Quis vos vocavit? de Cardinalatu ne γρῦ quidem in S. Li-

 teris.

teris. Faciunt sibi Domini isti (à 500. demum circiter annis nati) jus ut Apotheoseôn omnium, ita speciatim *supremum* illud *interris Numen* per prensationes, largitiones, ambitum & Simoniam multiplicem eligendi ac creandi; adeò ut, *nisi* istis *hominibus placuerit, nec sit Deus*, & *apud eos de humano arbitratu omnis divinitas pensitetur*, ut loquar cum Tertulliano *Apol.c.5.* Quid? sunt isti Domini Cardinales ex hypothesi Pontificiorum supra Papam: Cum enim Papa tantum possit in Missa creare *supremum in cœlis Numen* pro lubitu suo; illi etiam insuper creare pro arbitratu suo possunt *supremum in terris Numen*, uti blaspheme Stapletono dicitur Pontifex Romanus? quis hasce istorum hominum qualitates non admiretur? Et hinc forte intolerabilis ista eorum imaginatio & superbia, de qua conqueritur Nicolaus à Clemangis, Archidiaconus Bajocensis, de *Corrupt. Eccles. stat. cap. 13.* scribens; *Cardinalium, qui Papæ assident, verba tumentia & gestus tam sunt insolentes, ut, si artifex quispiam vellet superbiæ simulacrum effingere, nulla congruentius ratione id facere posset, quam Cardinalis effigiem oculis intuentium objectando. Ex sortis tamen infima clericatu, in hanc elationem cum sedis Apostolicæ pompatus incremento pervenerunt, quippe quibus id olim erat negotii, ut efferendis mortuis sepulturæque mandandis inservirent.* Cum jam vocatio, electio & ordinatio Papæ dependeat à Cardinalibus: Cardinales autem ipsimet legitima vocatione destituantur, quomodo ergo Papam (posito non tamen concesso, munus ipsius legitimum esse) legitime vocabunt?

XXI. At Episcopos Pontificios si transeamus, rursus quærendi ansam habemus, *vos qui estis? Unde venistis?* Obtinet quidem Episcopatus in scriptura, sed non Pontificius: Nam præter alia etiam maxime ab Episcopo

exi-

exigit Paulus, ut *verbum Dei prædicet, instet tempestive, intempestive, arguat, objurget, exhortetur cum omni animi patientia & doctrina* 2. Tim. 4. 2. Tit. 2. 7. 8. Quod adeo etiam necessarium ducunt reliqui Apostoli, ut etiam aliis functionibus Ecclesiasticis præferant Act. 6. 2. 1. Cor. 1. 17. 9. 16. Hoc autem tam necessarium muneris Episcopalis requisitum ubi ab Episcopis Pontificiis observatur? ubi & quando illi Evangelium Christi publice prædicant? ubi *peragunt opus Evangelistæ*? ut Paulus requirit 2. Tim. 4. 5. Annon sunt Principes & Domini certarum regionum, quibus regendis vacant, non secus ac alii Principes? Ubi autem ejusmodi munus Episcopale institutum legitur in Scriptura? unde nacti ad id vocationem? an ab Archiepiscopis? At vellemus scire, quinam & *illi sint* & *unde venerint*.

XXII. Præterea vos suffraganei, *qui estis? Unde venistis?* vos ordinatis Sacerdotes & confertis illis nomine Episcopi potestatem legendi Missas: At ubi legitur hoc vestrum munus in scriptura? quis vos vocavit? an Episcopi Pontificii? at illi, quà Pontificii, ipsimet vocatione carent. Ne jam addam, Episcopis haud licere, munia sibi propria in alios transferre: Hinc et talem abusum ipse Papa Damasus *Ep. 4.* varie reprehendit et ejusmodi Episcopos meretricibus comparat, *quæ postquam pepererunt, infantes suos aliis lactandos tradunt, quo de novo voluptatibus vacare possint.*

XXIII. Tandem vos Monachi, *qui estis? unde venistis?* novi vos esse cucullatos fratres, at quis vos vocavit? quis ordines vestros confirmavit? an Papa? at caret sanctissimus ille Pater vester ipsemet vocatione, ut supra audivimus: si tamen haberet, qui vos vocaret ad statum S. Scripturæ ignotum, priscis Christianis inauditum, imò

ver-

verbo Dei contrarium? ut in sequentibus evidentissime demonstrabitur.

XXIV. Vos demiq; Sacerdotes pontificii in genere, *qui estis? unde venistis?* Novi, vos ex hypothesi Pontificia esse homines perquam artificiosos: nam scitis coram altari vos mox huc mox illuc vertere, mox corpus inclinare, mox rursum erigere, mox frontes, mox pectora signo crucis ornare, & quidem tanta promptitudine, ut credam, ipsos Apostolos, si reviviscerent, & miros vestos gestus & vestes viderent, Missæ vestræ admiratione summa affectum iri: scitis præterea ex parva hostiola Christum & Deum vestrum facere: quoties vobis lubet, simul enim atq; hæc quinq; verba *hoc est enim corp⁹ meũ* pronuntiastis, substantia hostiolæ (ut pie Catholici vestri credunt) in corpus & sanguinem Domini convertitur, atque paulo post huncce Deum vestrum, postquam satis à popello adoratus est, vos soli (vobis enim forte solis debetur: quia licet populus concurrerit ad ejus adorationem, non tamen ad creationem) & quidem oppidò devote comeditis. Hinc Archiepiscopus vester Rovenius *Reipubl. Christ. lib. 1. c. 10.* scribit. *Quæ major esse potest dignitas quam repræsentare personam Christi & Dei, cum potestate consecrandi, offerendi & distribuendi corpus & sanguinem D. N J. Christi. Quid hoc aliud est, quam esse NB. quodammodo Deum & factorem sui factoris, non semel sed quoties lubet in altari sacrificare & quinque verbis prolatis panem in corpus Domini & paulo pluribus vinum in sanguinem ejusdem convertere, Deo obediente voci hominis?* Sic ergo juxta testimonium hujus Archiepiscopi estis quodammodo Dii, item factores vestri factoris, ita ut possitis (ceu refert Gabriel Biel super Can. Lect. 4) dicere; *Qui creavit me, dedit mihi creare se: Et qui creavit me sine me, is creatur nunc mediante me.*

me. Hem eximios artifices! Sed quid? vos ipsa B. Virgine, quæ tamen Ecclesiæ Catholicæ Alpha & Omega est, majores estis: *B. enim virgo*, inquit idem Rovenius loc. supra cit. *semel Christum nobis protulit: sacerdos eundem sæpius nobis sistit & communicat.* Denique licet omnes Catholici peccata sua in vos conjiciant, vos tamen tam artificiose scitis ea consarcinare, ut ne quidem bajulando defatigemini. Hoc, inquam, artificium vestrum novi & sæpius vidi. Sed latet me interim, qui sitis ratione hujus muneris & vocationis vestræ ad illud: Id est 1. Ubi legatur sacerdotium vestrum in S. Scriptura? ubi vel minimum γρῦ in S. literis de sacrificio vestro Missatico? Si illud tanti momenti est, ut, quod prætenditis, sine eo Religio Christiana stare non possit, cur ergo Christus & Apostoli ἀξιόπιστοι doctrinam, adeo cognitu necessariam omnibus fidelibus, tacere voluissent? legimus quidem, Christum emisisse Apostolos suos ad prædicandum Evangelium Matth. 28. Legimus etiam, Apostolos in prædicando Evangelio perquam operosos fuisse: Act. 6. At eos vel emissos fuisse ad legendam Missam, vel unquam etiam Missam legisse, velim mihi ostendi. 2. Posito, non concesso, sacrificium Missæ à Christo institutum esse, quis vos ad illud vocavit? quis vobis dedit istam auctoritatem? Nonne Episcopi vestri? at illi ipsi carent vocatione, ut supra audivimus, quomodo ergo vestra vocatio & ordinatio, ab ipsis facta, valida esse posset?

XXV. Præterea duo adhuc occurrunt culpanda circa vocationem Doctorum Pontificiorum. 1. Quod sine consensu populi & Magistratus vocentur, qui tamen olim præcise fuit requisitus, adeo etiam, ut ne quidem Papa, quem hodie soli Cardinales eligunt (quod tamen demum statutum ab Alexandro III. in Concilio

Lateranensi circa ann. M.C.LIX.) sine suffragio populi & consensu Magistratus, teste Rovenio lib. 1. cap. 15. eligi posset. Competit utique jus eligendi & vocandi Pastores toti Ecclesiæ (non solis Episcopis, ut hodie Papicolis lubet) & hoc quidem 1. Quia potestas Clavium, ad quam jus vocandi omnino pertinet, commissa est toti Ecclesiæ, uti patet ex Matth. 16. 19. & 18. 15. ad 18. Ubi non Petro soli claves regni cœlorum promittuntur, sed toti Ecclesiæ, *cujus personam Petrus gerebat figurata generalitate propter Apostolatus sui primatum*, uti loquitur Augustinus Tract. 124. in Johan. Agnoscunt hoc ex ipsismet Adversariis Tostatus quæst. 48. in cap. 15. Num. & Ferus in cap. 16. Matth. (2) Quia toti Ecclesiæ competit probare Spiritus & discernere veros Doctores à falsis Matth. 7. 15. 1. Joh. 4. 1. Ergo illi etiam competit jus eligendi & vocandi. Si enim Auditores debent sibi cavere à falsis Doctoribus, debent etiam eò laborare, ut veri Doctores eligantur & vocentur. (3) Quia Ecclesia Apostolica hunc vocandi ordinem observavit. Sic Apostoli ad multitudinem fidelium retulerunt de supplendo loco vacante post interitum Judæ Act. 1. 14. 15. & Matthias communibus calculis dicitur allectus cum undecim Apostolis vers. 26. Similiter ad multitudinem retulerunt de eligendis Diaconis Act. 6. 2. 3. Iterum Paulus & Barnabas dicuntur per suffragia constituisse presbyteros Act. 14. 23. (4) Quia jus vocandi pastores vindicant Ecclesiæ 1. Conciliorum decreta, in primis Nicæni primi (vide Epist. Synod. apud Theodoret. lib. 1. c. 9.) (2) Patrum testimonia, quæ congesta lege apud Celeb. Turretin. part. 3. Loc. 18. thes. 14 (3) Ipsæ ipsorummet Pontificiorum confessiones haud obscuræ, quas legere est *in aurea Confessione Catholic. Cl. Gerhardi l. 2. part. 2. Art. 6. c. 1.*

XXVI.

XXVI. 2. Secundum, quod circa Vocationem Pontificiam culpandum, est, quod valor ordinationis (quemadmodum & aliorum omnium sacramentorum) præcise restringatur ad intentionem Ordinantis, ita ut si illa desit, ordinatio desinat esse vera & legitima. *Si quis dixerit*, inquit Concilium Tridentinum Sess. 7 can 11. *in Ministris, dum Sacramentum conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem* (intellige *ex necessitate Sacramenti*, ut omnes subsecuti Scholastici verba Concilii, alias dubia, explicant) *saltem faciendi, quod facit Ecclesia, Anathema sit*. Qua doctrina quid, quæso, absurdius? Cum enim intentio Episcopi ordinantis sit interna & abscondita, de qua nemo, tanquam de re sibi certo comperta, potest testari (*quis* enim *hominum scit, quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui est in ipso?* inquit Paulus. 1. Cor. 2. 11.) quomodo ordinatus certus esse potest, se esse verum & legitimum sacerdotem? ac proinde, quomodo munera sacerdotalia absolvendo à peccatis & administrando sacramenta, peragere potest? Non nescio quidem, Papicolas, quod eis semel excidit de necessitate intentionis Ministri ad veritatem Sacramenti, progressu temporis emollire quæsivisse, prætendendo, à Conc. Tridentino intelligi non intentionem *actualem*, neque etiam *habitualem*, sed *virtualem*, *quæ* recensente Bellarmino lib. 1. de Sacr. in gen. cap. 27. *dicitur, cum actualis intentio in præsenti non adest ob aliquam evagationem mentis, tamen paulo ante adfuit & in virtute illius fit operatio*. Verum frustra: cum ordinatus de intentione ordinantis sic non minus dubius hæreat, ipsomet etiam post Catharinum *lib. de Intent.* (qui se Concilio Tridentino hac super re vehementissime opposuit) agnoscente Bel-

te Bellarmino *lib. 3. de justificat. cap. 8.* Hæc enim sunt ipsius verba (uncialibus characteribus scribi digna.) *Neque potest quis certus esse certitudine fidei, se percepisse verum Sacramentum : Cum Sacramentum non conficiatur sine intentione ministri, & intentionem alterius nemo videre possit.* Hæc doctrina papistas præsentissimo idololatriæ periculo exponit: nam si sacerdotem intentio non subiit consecrandi hostiam, adorant tantum frustulum panis: Quis autem illos certos reddidit de intentione sacerdotis? Imo juxta hanc doctrinam ipse Papa, nedum alii homines, potest esse certus, se esse vere baptizatum, adeoque esse Christianum, cum potuerit in sacerdote baptizante defuisse intentio baptizandi. Nullus etiam Papicolarum, quanticunque etiam faciant papam, potest esse certus papam suum esse verum Papam: cum eos Cardinalium, qui illum ad papatum evexerunt, lateat intentio. Et quis omnes Sacramentorum nullitates, quæ inde oriuntur & totum Papatum *reddunt* incetrum, enarret? quas etiam supracitatus Catharinus in ipso Concil. Tridentino non parum ursit. Defendunt etiam Sententiarii effatum hoc adeo languide, ut eos illius suppudere satis appareat. Id ex Thoma & Scoto inter se commissis ostendentem vide Cl. Forbesium *Instruct. Histor. Theolog. lib. 10. c. 1.* Præ aliis tamen hic ridiculus est Bellarminus, dum loco supra cit. scribere, non dubitat, *sufficere intentionem faciendi, quod facit Ecclesia aliqua particularis & falsa, quam ipse putat veram, ut Genevensem*: Sic enim sacerdotes Pontificii baptizantes infantulos, potuerunt habere intentionem baptizandi adultos: hanc enim intentionem habent Ecclesiæ Anabaptisticæ, aut non baptizandi *in nomine Patris, Filii & Sp. Sancti:* hæc enim intentio subit omnes Socinianos & Arianos: imo sic fiet transsubstantiatio à Missifice, quum

quum nihil minus intendit quam Transſubſtantiationem, quemadmodum Eccleſiam Genevenſem ab intentione Transſubſtantiationis alienisſimam eſſe extra dubium eſt.

XXVII. Nihil ergo erat D. Jureconſulte, quod nobis litem moveres de vocatione Lutheri, Calvini, aliorumque Reformatorum, ut & hodiernorum Paſtorum noſtrorum: habebas domi ſatis, quod ageres in examinanda vocatione veſtrorum Sacerdotum, Epiſcoporum qua papalium, Monachorum, imo ipſiusmet Papæ qua Papæ: huic ergo demonſtrandæ in poſterum prius vacare poteris, quam ad noſtrorum vocationem traducẽdam te convertas. Num dices, me ipſum vocationem Lutheri & aliorum, quam ſuperius ex Papatu adſtructum iverim, ſic deſtruere? longe falleris: Nam quicquid boni fuit in vocatione Reformatorum & proinde etiam in ordinatione (ſumimus enim vocem late, prout includit electionem, ordinationem, præſentationem & alia) non derivamus ex Eccleſia Pontificia, qua Pontificia, ſed qua Chriſtiana: ut ſupra pluribus demonſtratum.

CAPUT III.

PARAG. I.

DE *Traditionibus in genere.*

§. I.

DE ſtatu controverſiæ quædam ſunt præmittendà, antequam ad diluenda D. Juris Conſulti ſophiſmata

progrediamur. Vociferatur ille mox à limine hujus capitis, *notissimum esse, quòd Reformati traditiones rejiciant & execrentur.* Quod dum ita simpliciter, nullaque adhibita distinctione Reformatis attribuit, non parum in eos injuriosus existit. Distinguunt illi sedulo inter traditiones historicas, rituales & dogmaticas. *Historicas*, si à fide dignis proficiscantur & cum S. Literis non pugnent, non rejiciunt, imo ultro amplectuntur. Nec etiam *rituales*, quæ agunt de ritibus & ceremoniis adiaphoris, respuunt. Sed de *traditionibus dogmaticis*, i. e. quæ vel fidem vel mores spectant, seu de traditione ejusmodi didactica, quæ complicat hominum commenta cum textu indubitato, ad supplendum illius defectum in articulis quibusdam necessariis, tantum controversia est, adeoque quæstio inter nos & Pontificios huc redit; *An præter S. Scripturam detur aliquod Dei verbum non scriptum, seu traditio, quæ pari pietatis affectu & reverentia cum Scriptura sit recipienda?* Affirmant hoc Pontificii. *Vide Concil. Trid. sess. 4. & Bellarm. lib. 4. de V. Dei c. 2. & 3.* Sed nos merito negamus (1.) quia verbum scriptum vetat sibi quicquam addi vel detrahi Deut. 4. 2. & 12. 32. Jos. 1. 7. 1. Cor. 4. 6. (2.) quia sola S. Scriptura perfecta & apta est, *ut hominem Dei possit sapientem reddere ad salutem*, imo *perfectum & ad omne bonum* opus perfecte instructum 2. Tim. 3. 15. 16. 17. Joh. 20. 31. (3.) quia nihil omiserunt Scriptores Sacri *nobis revelare de voluntate & consilio Dei* Act. 20. 27. Imo sanctus idem Apostolus protestatur, se nihil docuisse *extra ea, quæ Prophetæ ac Moses prædixerant futura* Act. 26. 22. (4.) quia Salvator ipse nos ad solam Scripturam remittit Joh. 5. 39. Luc. 16. 21. (5.) quia *ultra & præter id, quod scriptum est, sapere* prohibetur 1. Cor. 4. 6. Gal. 1. 8. (6.) quia S. Scriptura data est, ut salutem & vitam ex ea habeamus Joh.

20. 31.

20. 31. 1. Joh. 5. 13. Rom. 15. 4. (7.) quia rejiciuntur omnes traditiones dogmaticæ extra Scripturam Matth. 15. 3. Coloss. 2. 8.

II. Præluxerunt Papicolis in traditionum amplexu Judæi, qui non minus præter legem scriptam maximè gloriantur lege orali, quam משה קבל מסיני ומסרה ליהושע ויהושע לזקנים וזקנים לנביאים ונביאים מסרוה לאנשי כנסת הגדולה *Moses in monte Sinai acceptam tradiderit Iosua: hic LXX. Senioribus: Hi Prophetis: Prophetæ Synagogæ magnæ:* & sic deinceps, donec tandem in Talmud relata sit. *Vide Pirke Abbot c. 1.* En eximios Papicolarum in Traditionibus Antecessores, qui etiam non minus, ut Pontificii hodie, παρέβαινον τὴν ἐντολὴν τοῦ θεοῦ διὰ τὴν παράδοσιν αὐτῶν Matt. 15. 3. Sed audiamus quomodo D. Jureconsultus dogmaticas suas traditiones probet. Provocat [a] ad locum illum πολυθρύλλητον 2. Thess. 2. 15. *Fratres tenete traditiones, τὰς παραδόσεις, quas edocti estis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* At frustra: Nam [1.] Apostolus ipsam Epistolam seu Scripturam complectitur sub vocabulo παραδόσεων, tanquam sub genere: ergo vocabulum illud non hic tantum notat *verbum non scriptum*, quo id sensu Pontificii usurpari volunt. [2.] Vocula disjunctiva εἴτε (quæ tamen etiam copulativè accipi potest, ut 1. Cor. 15. 8. Coloss. 1. 20.) non semper infert diversitatem rei, sed tantum diversitatem modi tradendi eandem rem. Sicut enim unus idemque est homo, qui ore docet præsens & scripto absens, sic potest scripto docere absens eandem doctrinam, quam ore exposuit. Thomas, Angelicus ille Ecclesiæ Pontificiæ Doctor, in Epist. ad Phil. 3. vers. 1. hæc Apostoli verba recensens: *Eadem scribere mihi quidem non est pigrum, vobis autem necessarium est, Eadem*, inquit, *quæ dixi in præsentia, non est mihi pigrum vobis scribere in absentia*

tia: verba enim de facili transeunt, sed scripta manent. Unde obvium, Apostolos in absentia eandem doctrinam scripsisse, quam ore præsentes auditoribus suis instillaverant. [3.] Sed demus, Paulum Thessalonicensibus suis multa, eaque ad salutem necessaria, vivâ voce proposuisse, quæ in Epistolis ad Thessalonicenses non continentur, quid inde lucri Pontificiis? quæ enim, quæso, consequentia, *Non omnia dogmata fidei sunt scripta ad Thessalonicenses: ergo non in toto sacro codice?* Norunt fideles distinguere inter partem canonis & totum canonem. In una Epistola ad Romanos multa occurrunt, quæ in Epist. ad Thessalonicenses non leguntur: quanto plura in toto canone? Et quid? annon ipse Apostolus testatur, *se nihil dixisse tam parvis quàm magnis extra ea, quæ Prophetæ & Moses futura prædixerant* Act. 26, 22. Ergo in Mose & in Prophetis, quæ Paulus tradebat, modo scripta extabant. Unde & idem alibi dicit; *Tradidi vobis secundum scripturas* 1. Corinth. 15. v. 3.

III. [β] Nihil etiam ad rem vestram verba Petri 2. c. 3. v. 1. 2. *Hasce jam alteras vobis literas scribo, dilecti, quibus sinceram mentem vestram per commonefactionem vestram excito, ut memores sitis verborum, quæ prædicta sunt à sanctis Prophetis, & mandati illius nostri, qui sumus Apostoli Domini & Servatoris.* Nam ubi hîc vel minimus color pro Pontificiorum traditionibus? quærisne eas in voce *mandati* seu [ut Vulgatus vester reddit] *præceptorum*? Audi tuum Jesuitam Salmeronem. *Præcepta seu mandata* [inquit ille Disp. IV. in cap. 3. poster. Ep. Petr.] Petrus *vocat illa dilectionis Dei & proximi; ad quæ duo præcepta omnia alia referenda sunt.* An hæc autem non scripta sunt D. Juris Consulte?

IV. [γ] Concilium Apostolicum, Hierosolymis ha-

habitum, traditionibus Pontificiis etiam nulla ratione favet. Nam 1. Apostoli dicentes, *Visum est Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra vobis imponere oneris, nisi hæc necessaria: ut abstineatis ab iis, quæ sunt immolata simulacris, & sanguine & suffocato & scortatione*, novam legem, ut vult Bellarminus, non condunt: sed potius veterem repetunt, quæ in Ecclesiâ Israëliticâ vigebat. Hanc Apostoli volunt interim & ad tempus observari, donec absque scandalo penitus omitti queat. Chrysostomus, ἀπὸ τοῦ νόμου ταῦτα λαμβάνουσι, *à lege hæc accipiunt*. Oecumenius, ἀπὸ τοῦ νόμου ταῦτα λέγουσι, *ex lege hæc dicunt*. Atqui vetera retinere, longè aliud est, quàm nova instituere. 2. Ab Apostolis ad reliquos Ecclesiæ Pastores, quæ consequentia D. Jurisconsulte? Illis aderat extra ordinem Spiritus sanctus, adeò ut, quæ ipsi proponerent, à Deo simpliciter manarent: his autem assistentia Spiritus nulla extra ordinem: sed de his paulò plura infra.

V. (*s*) Verum est, Paulum, *cùm* unà cum Timotheo *pertransiret urbes, tradidisse eis observanda placita illa, quæ decreta fuerant ab Apostolis & Presbyteris, qui erant Hierosolymis*. Act. 16.4. At quid inde pro traditionibus Pontificiorum non scriptis? cùm Apostolorum decreta fuerint scripta: ajunt Jesuitæ, hoc factum esse à Paulo, *ut disceret populus non semper ad Scripturas provocare*. Imò, respondemus nos, ut disceret populus scriptis Apostolicis inhærere, nominatim verò *Epistolæ ab Apostolis scriptæ fratribus, qui erant Antiochiæ, & in Syria & in Cilicia*. Act. 15.23. In qua habebantur dogmata, à Paulo prædicante commendata. Sic bonus noster Jureconsultus cum imprudentibus suis Jesuitis suo se jugulat gladio.

VI. (*t*) Verum etiam est, eundem Apostolum laudare Corinthios suos, *quod sicut illis tradiderat, tradi-*

 tiones

tiones retinebant. 1. Cor. 11. 2. At 1. non loquitur de traditionibus *dogmaticis*, de quibus nobis est quæstio, sed de *ritualibus*, quas, ut supra dictum, nos ultrò amplectimur: Loquitur, inquam, de indifferentibus ceremoniis & ritibus, ad ordinem tamen & decorum pertinentibus, ut ex sequentibus patet. Et hinc addit sub finem vers. 34. *Cætera, cùm venero, disponam*: promittit, se nonnulla coram dispositurum: διάταξις autem illa non ad dogma, sed ad ordinem pertinet. Agnoscit hoc maxima pars Veterum Interpretum, Chrysostomus, Oecumenius, Theophylactus, Ambrosius, Anselmus, &c. quos citatos vide apud celeb. Chamierum *Tom. 1. pag. 138.* (2) Sed demus D. Jureconsulto, Apostolo hîc sermonem esse de rebus ad salutem necessariis, quid inde lucri ad ipsum redibit? cùm constet, ipsam sacram Scripturam crebrò *traditionis* nomine non modò apud S. Patres, sed & in ipsis sacris Literis venire. Si nescit, legat 1. Cor. 15. 3. Act. 6. 14. &c. Audiat insuper suum Jesuitam Lorinum in hunc ult. loc. *Constat*, inquit ille, *voce Traditionis doctrinam quoque scriptam significari*. Videat eundem Lorinum ad Act. XVI. 4.

VII. (5) Verba Pauli ad Timotheum, *Ea, quæ audivisti à me per multos testes, committe fidis hominibus, qui sint idonei ad alios quoque docendos. 2. Tim. 2. 2.* incassum quoque allegat D. Jureconsultus ad stabiliendum traditiones non scriptas: Nam quæ, quæso, cõsequentia, Apostolus Timotheo suo commendat *ea, quæ ab ipso audiverat per multos testes*, ergò commendat ei traditiones non scriptas, ad salutem necessarias? An ergò positio prædicationis de aliquo fidei dogmate illico infert negationem de ejusdem scriptione? An non ipse Paulus testatur, se nihil docuisse *extra ea, quæ Prophetæ ac Moses futura prædixerant.*

dixerant. Act. 26. 22? Ergò *quæ* Timotheus *à Paulo audivit*, modò scripta extabant in Mose & Prophetis. Notant hoc in hunc ipsum locum, ad quem D. Jureconsultus hîc provocat, ex ipsius Pauli verbis Interpretes inter Pontificios non infimæ sortis. Glossa, *per multos testes, id est, per Prophetas confirmata.* Lyranus, *confirmata per Prophetas, legem & Hagiographa.* Anselmus, *per multorum testimonia Prophetarum confirmata.* Thomas, *quæ audivisti à me, & ego à Christo, & dico à me non singulariter, sed confirmata per multos testes, id est, legem & Prophetas.* En *Angelicum* & *subtilem* Doctorem vestrum! quàm *subtiliter* tibi occludit os? ut ne *angulus* quidem remaneat.

VIII. Infers tandem. *Quod Apostolis licuit, quid ni & liceret ipsorum successoribus? Atqui Apostolis* (sic enim vis ex mente tuorum Jesuitarum sublumi) *licuit novas leges ferre obligantes conscientiam, & præcipere, quæ jure divino non erant sancita. Ergò,* &c. Resp. Negādo Majorem & Minorem. *Majorem,* quia Apostoli erant ministri extraordinarii, & sic etiam eorum potestas extraordinaria: adeoque ab illis ad eorum in munere pastorali successores, tanquam ordinarios Nov. Test. ministros nulla est consequentia. Sic cùm Dominus ad discipulos suos dixit Luc. 10. 16. *Qui vos audit, me audit, &c.* Id in consequētiam trahi non debet, nec omnibus Pastoribus cōmune fieri: Illi enim certis privilegiis præ reliquis gaudebant: Et quamvis id communiter ad omnes pastores se extenderet, considerandum tamen, eos non audiendos esse, nisi in quantum & ipsi audiunt Christum, in verbo suo loquentem. *Minorem* etiam falsissimam esse, suprà modo audivimus. Apostoli quidem nonnulla præceperunt, quæ jure divino non erant sancita, at non sub ratione cultûs, ut fit in Papatu, sed quæ servarentur pro-

pter ordinem & scandali evitandi causâ. Decretum de sanguine & suffocato, non tam erat nova lex, quàm (ut suprà audivimus modo) veteris repetitio & commendatio. Nec est, quòd regeras vel 1. *veterem Legem fuisse modo abrogatam*: nam abrogata quidem erat morte Christi, ne obligaret, poterat tamen ad tempus commendari: Sicut Augustinus Epist. 19. scribit, *Paulum & alios rectæ fidei Christianos, tunc illa vetera Sacramenta paululum observanda veraciter commendare debuisse, ne putarentur ista Prophetica significationis observationes à piissimis Patribus custodita, tanquam sacrilegia diabolica, à posteris detestata.* Vel 2. *illa cum scortationis prohibitione conjungi, quæ sit juris perpetui*: nam non statim sequitur esse ejusdem generis, cùm sæpe disparia conjungãtur, & moralia cum ceremonialibus, ut Luc. 1. 6. 1. Tim. 3. 2. Possunt ergò moralia cum positivis cõbinari, maximè cùm talia ejusdem generis esse ex sensu hominum existimantur, quomodo scortatio à paganis ferè pro re adiaphora habebatur, præsertim apud Græcos, apud quos scortari, ut ait Comicus, flagitium non erat.

PARAG. II.
DE
Jejunio.

PErsuadere nobis vult D. Jureconsultus noster, Jejunium quadragesimale, in Ecclesiâ Pontificiâ usitatum, ab ipsis Apostolis institutum esse: At hallucinatur bonus ille vir: Apostoli nihil de Jejunio isto noverunt. Audi Augustinum. *Quibus diebus*, ait ille Epist, 86. ad Casulanum,

lanum, *non oporteat jejunare, & quibus oporteat, præcepto Domini vel Apostolorum non invenio definitum.* Socrates quoque Historicus fatetur, *lectionem nullam de hoc inveniri antiquam, adeoque Apostolos hoc singulorum reliquisse sententia, ut unusquisque operetur non timore & necessitate, quod bonum est.* Consentiunt his Chrysostomus, Cassianus, Isidorus, Hispalensis, Rabanus Maurus, Rupertus Tuitiensis, & alii, quos citatos vide apud Cl. Dallæum *de Jejun. & Quadrag. l.3. cap. 14.* Dicemus amplius, *illud* (Quadragesimale Papisticum) *ne Christianis quidem secundi, imò & tertij seculi fuisse cognitũ,* vel ex solius, si cæteri deessent, Irenæi ac Tertulliani obiter inspectis Tabulis constare posse. Irenæi notabilis est locus in Epistola ejus ad Victorem, Episcopum Romanum, cujus fragmentum Eusebio debemus, qui ex eodem retulit: *Non enim solum de die* (Paschæ videlicet) *sed etiam de ratione & modo est instituta ista controversia. Quidã namq; unum diem se jejunare oportere existimant, alij duos, non pauci plures.* οἱ δὲ τεσσαράκοντα ὥρας ἡμερινάς τε καὶ νυκτερινὰς συμμετροῦσι τὴν ἡμέραν αὐτῶν. Quæ Bellarminus bellè reddit. *Quidam autẽ quadraginta horis diurnis & nocturnis metiuntur suum diem.* Nam si post vocem τεσσαράκοντα distinctionem affixeris, ut non pauci solent, nullus erit sensus. Quò enim verba sequentia ὥρας ἡμερινὰς καὶ νυκτερινὰς &c. referentur? Num ad illos, qui unum diem, an ad hos, qui quadraginta dies jejunant? Videntur sanè ad ultimos referenda. Ad quos si retuleris, necessariò consequetur, eos, qui 40. dies jejunasse dicuntur, toto illo tempore nihil omnino comedisse, quandoquidem, Irenæo teste, ὥρας ἡμερινάς τε καὶ νυκτερινὰς *horas tam diurnas quàm nocturnas* jejunio deputabant; Ne jam addam, cùm Irenæus dixerit, alios uno die, alios duobus, alios verò pluribus jejunare, non ne-

necesse fuisse addere, *alios 40. dies jejunare*, cùm in eo, quòd plures dies dixit, quadraginta satis comprehendantur. Extra dubium ergò est, hanc esse Irenæi mentem, *quosdam uno, quosdam duobus, quosdam pluribus diebus, quosdam vero continuis 40. diurnis simul ac nocturnis horis jejunasse.* (Habet ergò *Quadragesima* nomen, non à totidem diebus, sed horis. Nimirum, quia Christus dixit Matth. 9. *Veniet tempus, quo Sponsus ab illis aufferetur, & tunc jejunabunt*, veteres proximum ante Pascha tempus, cùm eo fuerit Sponsus ablatus, jejunio destinârunt; Cùm verò illud tempus se ferè extendat ad 42. horas, hinc illud jejunium dictum fuit *Quadragesima.* Die autem Solis non jejunârunt, quia illo Sponsus fuit redditus.) Ignoravit itaque suo tempore hodiernum Papistarum jejunium Quadragesimale Irenæus, dicturus aliàs, *quosdam jejunâsse integros quadraginta dies.* Producimus insuper illustre Tertulliani testimonium atque argumentum, quod integro libro de Jejunio adversus Catholicos persecutus est: Quanquam verò in Montani deliria prolapsus contra Ecclesiam deinceps calamum stringens à Proclo obtentu Paracleti sui dementatus nova ista jejunia & austeritatem vitæ justô nimis extulerit; ita tamen pro Montani jejuniis disputavit, ut *Catholicos jejunantes nihili æstimaverit.* Quo argumenti genere non nisi stupidus uti potuisset, si moderna Romanorum Quadragesima inter Catholicos cognita aut in usu fuisset. Excerpemus ex disputatione illa, quæ ad rem præsentem faciunt. Volens itaque Montanistarum jejunia defendere Tertullianus, ait (*Oper fol. m. Edit. Basil. 1562. cum not. Rhenani 770.*) *Arguunt nos* (Catholici) *quòd jejunia propria custodiamus: quòd stationes plerumque in vesperas producamus, quòd etiam*

iam Xenophagias observemus, siccantes cibum ab omni carne & omni jurulentia & vividioribus quibusque pomis, nec quid vinositatis vel edamus vel bibamus. Infans sit, qui non videat, Catholicos tale quid non potuisse prudenter objicere Montanistis, si inter ipsosmet Quadragesimale, prout nunc est, majus longè Jejunium, obtinuisset. Parata enim Tertulliano, circumspecto disputatori, erat retorsio. Dicit ulterius fol. 770. & seq. *Catholici differenter jejunandum putant ex arbitrio, non ex imperio novæ disciplinæ pro temporibus & causis uniuscujusque.* Et vicissim fol. 779. *Convenio vos* (Catholicos) *interdiu pane & aqua victitantes, ut cuique visum est. Denique respondetis, hæc ex arbitrio agenda, non ex imperio.* At Romanorum hodierna Quadragesima non ex arbitrio, sed ex lege & imperio: nec pro temporibus & causis privatis singulorum, sed ex præcepto totius Ecclesiæ necessariò observãda est ab universis. Ergò ea à Catholicis Tertulliani ævo non observata fuit. Porrò ex Catholicorũ personâ subjicit ibid. *Sic & Apostolos observâsse, nullum aliud imponentes jugum certorum & in commune omnibus obeundorum Jejuniorum.* Igitur Apostoli hanc Papistarum Quadragesimam nec observârunt ipsi, nec aliis observandam imposuerunt, fatentibus ipsis Catholicis, Tertulliani ætate. Et quæso te, D. Jureconsulte, Qui Apostoli Jejunium istud instituissent? qui exprese dicunt: *Visum fuisse Spiritui Sancto, & sibi non imponere discipulorum cervici majora onera*, præter prohibitionem in Epistola Synodali scriptam, quam pro tempore *necessariam* judicârunt. Hinc itaq; sequitur, ipsos Quadragesimæ, utpote oneris majoris ac nõ necessarii, auctores non fuisse.

II. Quæ hic (eandem crambem recoquendo) replicas de sanguinis & suffocati prohibitione, facta ab

Apo-

Apoſtolis, aliena partim ſunt: nam Judæi, cùm abſtinebant à ſuffocato & ſanguine, non jejunabant; imò ipſe Paulus abſtinentiam Idolothytorum præcipiebat in mediis conviviis: partim etiam ad ea, quantum ſatis, reſponſum ſuprà.

III. Ut tota res clarior evadat, formandus eſt, antequam ulterius progrediamur, verus controverſiæ nos inter & Pontificios ſtatus, quem D. Jureconſultus, ut poſſit eò liberius extra ſepta vagari, pro more ſuo declinat. Non ergò hoc in quæſtione eſt; An aliquam Jejunia indicendi & conſtituendi Eccleſia habeat poteſtatem. Nemo enim Reformatorũ negat, poſſe Eccleſiam, ubi id conveniens eſt, & neceſſitas efflagitat, Jejunium indicere & inſuper etiã circumſtantias loci, temporis & perſonarum definire: praxis quoque Eccleſiarum noſtrarum ea in re omnium oculis eſt expoſita, quæ id teſtatur. Sed hoc quæritur 1. An ſtata, & perpetua ſingulis hebdomadis, menſibus, vel annis recurrentia Jejunia ſub peccato mortali lege Eccleſiæ indici poſſint? 2. An Eccleſia abſtinentiam à carnibus præcipere queat & debeat, quaſi earum uſus vero Jejunio eſſet contrarius, eaque abſtinentia ad pietatem utilis admodum eſſet ac penè neceſſaria? Affirmant Pontificii utrumque, ſed nos negamus. 1. Quia ea eſt Jejunii natura, ut non niſi tempora triſtia exigat Joël. 1. 14. *Venient dies*, inquit ipſe Dominus, *quando ablatus ab ipſis erit Sponſus*, *& tunc jejunabunt*. Matth. 9. 15. Marc. 2. 20. Ergò ſtata eſſe non poſſunt. 2. Quia diſcrimina dierum ſub Nov. Teſt. ſunt abrogata. Gal. 4. 10. Coloſſ. 2. 16. 3. Quia etiam diſcrimen ciborum, quod lex ceremonialis Vet. Teſtamenti exigebat, jam ſub Novo Teſt. eſt ſublatum, atq; adeò libertati Chriſtianæ contrarium,

trarium. Coloss. 2. 16. 17. 4. Quia à Deo omnium ciborum, quos ipse condidit, fidelibus suis jam sub Nov. Test. usus ordinatus. 1. Cor. 10. 25. 26. *Quicquid in macello venditur, edite nihil discriminantes propter conscientiam: Domini enim est terra & plenitudo ejus.* Vide & Luc. 10. 7. Coloss. 2. 20-27. 5. Quia apostatis ac deceptoribus, qui doctrinas dæmoniorum sectantur, tribuitur, quòd *jubeant abstinere à cibis, quos Deus condidit, &c.* 1. Tim. 4. 4. 5. Vide etiam Rom. 14. 3. 4. 6. 14. 17. 20. Tit. 1. 15. Matth. 15. 11.

IV. His præmissis, cuivis statim patescet, infirma esse & futilia omnia illa, quæ D. Jurisconsultus magno molimine in nos congerit argumena, utpote quæ vix attingunt id, quod propriè est in quæstione. Dicit, *Mosen jejunâsse 40. dies & noctes.* Non negamus; sed quid inde pro Pontificiis? Moses 1. per vitam semel jejunavit 40. dies & noctes: Pontificii autem Quadragesimam suam singulis annis repetunt. 2. Moses ita jejunabat, ut nec panem nec aquam sumeret Deut. 9. 18. Pontificii autem quomodo jejunant? constituunt jejunium suum in carnium abstinentiâ, de cætero vix quicquam de culinæ apparatu mutantes; Estne hoc imitari Mosen, D. Jurisconsulte? Dicis, *Annon & hodie licitum esset imitari Mosen?* Respondeat tibi Bellarminus tuus: Sic autem ille lib. 2. de Bon. Op. c. 16. *Nusquam legitur Moses datus Hebræis in exemplum.* Si non Hebræis, quomodo Christianis? Erat hic actus Mosis singularis & extraordinarius, in quo si quis eum imitari vellet, æquè ridendus veniret ac ille, qui ad imitandum Mosen conaretur virgam suam in serpentem transmutare, mare diffindere, aut solum ad murmurantes absorbendum apetire.

M V. Nihil

V. Nihil etiam præsidii pro Jejuniis Pontificiis in Jejunio Israëlitarum. Jud. 20. 26. Civium Jabesensium, 1. Sam. 31. 13. Davidis & Comitum ipsius. 2. Sam. 1. 12. & 2. Sam. 12. 16. Nehemiæ c. 1. 4. Danielis c. 9. 3. &c. Nam patet quidem locis citatis, homines illos ad tempus aliquod, exigente id dierum difficultate, Jejunia suscepisse: id quod etiam Reformati faciunt, prout videtur consultum & loco & tempori opportunum: sed de statis & perpetuis Jejuniis, ut & de delectu ciborum οὐδὲ γρῦ Quâ ergò fronte hæc & his similia exempla D. Jureconsultus nobis opponit? quasi nos essemus Jejuniorum hostes! cùm tamen & doctrinâ nostrâ & praxi absolvamur apud homines pietatis amantes & in calamitatibus, sive publicis sive privatis ad Jejunia, saccum & cinerem eundum non verbis tantum, sed & exemplo testemur.

VI. Verum est, *Johannem Baptistam nec edisse panem, nec bibisse vinum*: Sed quid inde? num propterea putandus jejunâsse? at *edit locustas & mel sylvestre* Matth. 3. 4. Marc. 1. 6. Imò Matthæus disertè ait, *ἡ τροφὴ αὐτοῦ alimentum ejus*; Quæ phrasis utique sonat rationem non jejunandi, sed potiùs vescendi. Si tamen jejunavit, haud dubiè jejunavit, ut ipsius discipuli, qui Jejunium suum non collocabant in delectu ciborum, more Pontificiorum, sed in abstinentiâ ab omni cibo: *Non* enim *edebant, nec bibebant*, cujus contrarium propterea exprobrabatur discipulis Christi Luc. 5. 33. Dicis, *Johannem de hoc vita instituto non habuisse mandatum.* Resp. Johannnis institutum peculiare fuisse, & tale esse debuisse, patet 1. ex vocatione extraordinariâ ad munus extraordinarium tum prodromi, tum præconis Christi, quod & prædictum à Malachia c. 3. 1. & 4. 5. & repetitum ab

ab Angelo Luc. 1. 16. 17. (2.) Ex Naziræatu Johannis prædicto & indicto ab Angelo Luc. 1. 15. *Vinum & siceram non bibet, & Spiritu sancto implebitur ab utero matris suæ.* Unde & ad similẽ temperantiam Johannes neminem adegit, secus ac consuetum est mitratis, qui verè Saliaribus & Pontificalibus epulis ventrem suum explentes, reliquæ Christianorum turbæ abstinentiæ legem figunt. Quæris, *quis Reformatorum in sacco, vel, quod eodem redit, in cilicio agit pœnitentiam, ut à Catholicis Evangelio convenienter fit* Luc. 10. 13. Quæro vicissim 1. *Quis Pontificiorum locustas & mel silvestre edit, quæ tamen Johannes, quem imitari volunt, edisse legitur*, Matth. 3. 4? (2) *Quis Pontificiorum in cinere agit pœnitentiam, cujus non minus ac sacci loco cit. nimir. Luc. 10. 13. Christus ex consuetudine populorum Orientalium facit mentionem?* Verum est, Pontificiorum Sacerdotes initio Quadragesimæ frontem hominum cinere adspergere: at hæc ceremonia pristino Orientalium mori (ad quem Christus loco cit. alludit) nullatenus respondet: Nam 1. Constat, Orientales, cùm cinerem adhibuerunt, per totum pœnitentiæ & Jejunii tempus vel caput habuisse aspersum cinere, vel in cinere sedisse: at Pontificii non nisi ad exiguum tempus cinere asperguntur, & nunquam in cinere sedent: Præterea parum cineris tantum, idque non ab ipso pœnitente, sed à sacerdote in crucis formam fronti imponitur, recitatis hisce verbis: *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris* (quæ desumpta ex Gen. 3. 19. etiam non appositè ad hanc actionem usurpantur, cùm in illis agatur, non de *cinere focali*, sed de *cinere terræ*) 2. Quid? ipsi Pontificii hanc actionem ludibrio habent, vel teste Bonifacio VIII. qui, referente tum Platinâ, tum Sabellico Ennead. 9. l. 7. Porchetum, Genuæ Antistitem

tistitem, partes Gibellinorum adversarias Pontifici tuentem, proprio quadragenarii Jejunii die signaturus cinere, ità est allocutus; *Memento homo, quia Gibellinus es, & cum Gibellino in cinerem verteris, &c.* Quæro 3. *Quis Pontificiorum cineri saccum adjungit, vestes lacerat? cùm tamen constet veteres hoc fecisse.*

VII. Addis: *Hac & his similia pœnitentiæ opera Reformati abrogârunt, acquiescentes in sola fide, & nihilominus volunt contra Evangelium esse Evangelici.* Itáne D. Jureconsulte? Ubi ergò *hæc & horum similia pœnitentiæ opera* (*ritus* vis dicere) leguntur instituta? Nusquam certè. Deus de iis nunquam aliquid in verbo suo observandum injunxit. Si autem nunquam fuerunt instituta, quomodo ergò à Reformatis abrogata? Fuerunt quidem in usu apud populos Orientales: at libero: Quo si adhuc hodie usurparetur à fidelibus sine hypocrisi & superbia, sine aliquâ consuetudine dicis gratiâ, sine superstitione & opinione meriti, vituperari hoc nomine non possent. *Acquiescere nos in sola fide*, oppositè ad veram pœnitentiam aliaque bona opera, nefanda est Pontificiorum calumnia, profecta ab eo, qui nomen gerit à calumnia. Toti in eo sumus, ut populum hortemur ad pœnitentiam & alia bona opera, tanquam ad rem adeò necessariam, ut sine ea nemo salutem adipisci queat. Imò tantum abest, ut *in sola fide acquiescamus*, exclusivè ad opera, ut ne quidem eam, quæ bonis operibus destituitur, fidem fidei nomine dignam cum Jacobo credamus, sed larvam fidei tantùm & titulum statuamus. Verum est, nos docere, hominem coram Deo solâ fide justificari: At longè aliud est *solâ fide & solitariâ fide*, id est separatâ ab operibus. De quo pluribus, volente DEO, seq. Cap. XII. Quomodo jam *sumus Evangelici contra Evan-*

Evangelium? edoce nos D. Jureconsulte? ostende nobis locum ex Evangelio, quo antiqui illi ritus præcipiantur? & eris nobis magnus Apollo.

VIII. Rectiùs nos dicimus, *vos esse Catholicos contra Catholicam veritatem.* Gaudetis nomine, caretis omine. Nomines enim nobis vel unicum ex Scripturâ Catholicum, id est, pium Dei hominem, qui vestram Pontificiorum praxin in cultu divino exercuerit, invocando Sanctos, venerando imagines, adorando hostiam, jactando propria merita, audiendo Missas, & quæ sunt id genus alia? Nullum nominare poteris; adeoque vos habetis peculiarem (si ita loqui liceat) Catholicismum, veræ antiquitati ignotum, id est, non nisi nominalem. *Quid* autem *est* (eleganter inquit Salvianus lib. 4. de Provid.) *aliud vocabulum sanctum sine merito, nisi ornamentum in luto?* Sed ut intra limites materiæ de Jejunio maneamus; Dic nobis D. Jureconsulte, quis Catholicorum opinione sanctitatis & cultus divini per se aut opinione meriti & satisfactionis, ut faciunt Pontificii, unquam jejunaverit? Quis pœnitentium tergum flagellis diverberaverit, corpus cruentaverit & immanis quantitatis cruces per plateas traxerit ad satisfaciendum non tantum pro suo ipsius peccato, sed etiam pro alienis? Nullum nominare poteris, adeoque Papistarum hoc proprium est, nisi fortè in consortium accersere placeat flamines & sacerdotes Baali: Hi enim æquè devoti, si non devotiores, erant: Laniabant enim se cultellis, ut idolo suo gratificarentur 1. Reg. 18. 28. Rem, credite egregiam! Polluerit aliquis se adulterio aut homicidio, præstò est remedium accommodatissimum. Conducit enim pretio aliquem, qui se flagellis diverberet & pro emptore satisfaciens aliena peccata in se transferat: Sic Deo abunde satisfit. S. An-

 ton.

con. *in vit. S. Dominici* refert, Dominicum sibi corpus quotidie ter diverberâsse catenâ ferreâ, semel pro suis ipsius peccatis, quæ fuerint paucissima, deinde pro peccatis hominum in terra degentiũ; tertiò pro animabus purgatorii. O magnam sanctitatem! sed antiquitati Catholicæ planè ignotam! Cui similem etiam præstitit S. Franciscus Assissens. Is enim, ceu ex Legendis ipsius cõstat, adeò devotus fuit in Jejunio suo, *ut se etiam volverit in luto, formaverit sibi uxorem ex nive & pediculos, de vestimento suo forte in terram delapsos, illicò recollectos vestimento apposuerit.* Quis has nugas non rideat? Defendere interim eas conatur Jesuita Forerus *in sua Antiquitat. Papatus* exemplo Pauli, utpote qui etiam corpus suum castigaverit. Egregiè sanè! quasi verò ὑπωπιάζειν τὸ σῶμα (hac enim phrasi utitur Paulus) idem sit, quod se *in luto volvere, uxorem sibi ex nive formare, aut pediculos delapsos recolligere!* cui hæc cachinnum non moveant?

IX. Locus Pauli 1. Tim. 4. 1, 2, 3, rectissimè adducitur à Molinæo nostro adversus Pontificiorum Jejunia. *Spiritus autem*, inquit Apostolus, *disertè dicit fore, ut posterioribus præstitutis temporibus desciscant quidam à fide, attenti spiritibus deceptoribus ac doctrinis dæmoniorum, per hypocrisin falsiloquorũ, quorum conscientia cauterio resecta est, prohibentium contrahere matrimonium*, jubentiũ *abstinere à cibis, quos Deus condidit ad participandum cum gratiarum actione fidelibus & ijs, qui agnoverunt veritatem.* Hinc Cl. Molinæus & nos cum ipso ità arguimus. Qui prohibent contrahere matrimonium, & jubent abstinere à cibis, quos Deus condidit ad participandum cum gratiarum actione fidelibus, illi censentur ab Apostolo defectores à fide, &c. Atqui hoc faciunt Pontificii. Ergò, &c. Annon benè ità argumentamur D. Jureconsulte? Dicis: Minorem esse falsam; Itáne? An ergò non

sacer-

sacerdotibus vestris interdicitis matrimonio? Annon Jesuitæ vestri docent, *quod sacerdos, si fornicetur, aut domi concubinam foveat, tametsi gravi sacrilegio se abstringat, graviùs tamen peccat, si contrahat matrimonium? Vide Costerum in Enchirid. Tract. de Cælibat.* Dices fortè cum Jesuita Bailio Cat. Controv. Tract. 2. q. 24. *Ecclesiam neminem, ut ad sacerdotalem dignitatē aspiret, cogere:* at frustra: Annon enim Ecclesia prohibet matrimoniū, cùm omnes ad sacerdotium aspirantes matrimonio renuntiare cogit, & cunctos à sacris ordinibus arcet conjugatos, atque ad eos votum cœlibatus, tanquam necessariam conditionem, requirit? Præterea annon etiam hominibus certis temporibus esu carniū interdicitis? quâ fronte ergò Minorem negas?

X. Cribro aquam hauriunt, qui cum Jesuitâ Salmerone *Tom. 15. disp. 13.* excipiunt, damnari tantum ab Apostolo Manichæos, Marcionitas, Encratitas, & horum similes hæreticos, qui cibos quosdam absolutè prohibuerint, tanquam ex se immundos; non verò Catholicos, qui Jejunii tempore tantum carnium usum vetent: nam ubi Scriptura non distinguit, hominum non est distinguere. Loquitur Apostolus in genere de doctrinis quorumcunque Religionis causâ jubentium abstinere à cibis quibusdam, sive id fiat sub prætextu immunditiei, ut à suprà dictis hæreticis, sive sub schemate obedientiæ Ecclesiæ, ut à Papicolis. Rationes ab Apostolo additæ 1. Quod *Deus condiderit cibos ad participandum.* 2. Quòd, *quicquid Deus condidit, bonum sit, nec quicquam rejiciendum, si μετ' εὐχαριστίας sumatur,* non minus stringunt contra hos, quàm contra illos. Futile etiam est commentum Jesuitæ Costeri, qui participium κωλυόντων *prohibentium* construi vult cum verbo ἀπέχεσθαι *abstinere*, ut

sic

ſi non Pontificios, ſed Evangelicos faciat ab Apoſtolo damnari: nam verbum κελευόντων *jubentium*, oppoſitum τῶν κωλυόντων, hîc ſubaudiri, patet cum ex proximè ſequẽtibus, *quos Deus condidit ad participandum*, quæ utique non continent rationẽ dãnationis κωλυόντων, ſed κελευόντων ἀπέχεσθαι βρωμάτων (id quod fatetur Cajetanus, *contra præceptum abſtinentiæ à cibis*, inquiens, *adfert Paulus rationem ex inſtitutione divina.* Et Thomas, dicens: *Improbat Apoſtolus hanc erroneam doctrinam dupliciter, ſcilicet ex intentione Dei creantis, ſecundò ex conditione creaturæ*) tum ex verſione Syriacâ, ומפרקין מן מאכלתא *& faciunt abſtinere à cibis.*

XI. Sed quid? noſtro ipſorum cultro D. Juriſconſultus nobis jugulum petere conatur! Dicit, *Reformatos etiam jejunare, ſe hoc non ſemel in regione, ubi habitârit, comperiſſe, &c.* Sic eſt, D. Jureconſulte; Non improbamus Jejunia: ſed appendices illas tantum remotas volumus, quas Jejuniis annexuit ſuperſtitio, opinionem *neceſſitatis*, opinionem *ſanctitatis & cultus divini per ſe*, & opinionem *meriti & ſatisfactionis*, & quæ ſunt alia humanæ fabricæ & πονηροῦ κόμματος. Jejunamus, inquam, etiam: at non ut vos, lautiſſimo interim genere panis, omniſque generis piſcibus veſcendo, ac illis non rarò largum vini Maſſici & Theologici hauſtum ſuperaddendo. Quæſo te D. Juriſconſulte, optimis piſcibus veſci & pane, eſtne jejunare? Veſtri Monachi jejunia colunt, ut votam ſuam paupertatem: Sunt pauperes ſine defectu: jejunant ſine fame. Si hoc eſt jejunare, tunc etiam populus, quem Chriſtus pane & piſcibus ſaturavit Joh. 6. revera jejunâſſet: Jejunâſſent etiam perpetuò antediluviani, qui à carnibus juxta Bellarminum *lib. 2. de Bon. Oper. cap. 8.* abſtinuére. Præterea potu generoſo

neroso, piscibus Eois, leguminibus & herbis delicatè apparatis ingluviem stomachumve oblectare estne hoc *carnem mortificare?* Audi elogia jejunii vestri ex Martino Peresio vestro. *Putamus*, inquit Tom. I. de Tradit. P. 3. fol. 244. *nos jejunare, si semel in die usque ad ingluviem prandium faciamus, probe poti & melius pasti, sumentes cibos non pro naturæ sustentatione, aut unius diei duntaxat, sed in tanta quantitate, ut vel Miloni olim pro tribus diebus potuisset sufficere. Taceo qualitatem & differentiam cibariorum & condimentorum. Iam enim neque mare, neque terra, neque aër, neque salsamentarii sufficiunt gulæ nostræ. Et utcunque tolerabile esset, si hæc ingluviei contagio solos Laicos comprehenderet, & non potius multos nostri ordinis sacerdotes, religiosos & prælatos Ecclesiæ pervaderet, quos video huic rei tantum invigilare, ut potius ad ventris voracitatem natos esse dixeris, quam ad Apostolicam modestiam, in fraudem pauperum & destructionem castitatis, quæ cum sanctis jejuniis terras jam videtur reliquisse.* Huic adjunge Bernhardum de monasticis jejuniis Apolog. ad Wilh. Abbat. fol. *Inter prandendum*, inquit ille, *quantum fauces dapibus, tantum aures pascuntur rumoribus, quibus totus intentus modum nescias in edendo &c. Interim autem fercula ferculis apponuntur, & pro solis carnibus, à quibus abstinetur, grandia piscium corpora duplicantur, cumque prioribus fueris satiatus, si secundos attigeris, videberis tibi nondum gustasse pisces. Tanta quippe accuratione & arte coquorum cuncta apparantur, quatenus quatuor aut quinque ferculis devoratis prima non impediant novissima, nec satietas minuat appetitum.* En devota Catholicorum tuorum jejunia! quæ devotius adhuc, nimirum Bacchanalia vivendo, inchoant: Audi enim ex Vestro Stapletono, alioqui vera dicere non assueto, quomodo ad Quadragesimam suam celebrandam accedant. *Quadragesimale* (inquit Prompt.

 Moral.

Moral. Domin. quinquages. in parte hyemali) *jejunium, jam jam incepturi, nos interea totos ingurgitamus, ventrique & abdomini servimus, quasi post biduum non Christo; sed Veneri sacra facturi.* En devotos Catholicos ! Non male sub finem Jesuita, si bene ejus dictum intelligatur, *voluptuosam libertatem causam fuisse, quod multi è Romana Ecclesia castris egressi sint:* At noster D. Jureconsultus è contrario, hac Catholicorum haud dubiè devotione motus, pedem suum *in Ecclesiæ Romanæ castra intulit.* Quod interim Domini Monachi & Sacerdotes tempore jejuniorum, quicquid mare ac flumina delicati continent, consumunt, largum subinde vini Theologalis Cratera superaddentes, relictis pauperum civium & rusticorum turbæ halecibus & trichiis rancidis, non adeo mirandum; cum alioqui peccata populi, quæ quotidie devorant, commode digerere in stomachis non possent!

XII. Ejusmodi jejunia absint à nobis! Jejunium propriè dictum est *abstinentia ab omni cibo & potu* (figuratum *à vitiis*) unde in N. Test. νηστεία ἀπὸ τοῦ νηστεύειν, quod est ἀπὸ τοῦ μὴ ἐσθίειν, *à non comedendo* dicitur : Et apud Suidam νῆστις & ἄσιτος, *impastus, qui nihil edit.* Quod jejunii genus תענית seu *afflictio animæ* vocatur. Scripturæ enim phrasi *animam affligere* idem est ac *jejunare* Levit. 16. 32. Num. 29. 7. Sic jejunârunt oblatâ occasione omnes fideles cum V. tum N. Testamenti. Et ad illorum exempla solent etiam Reformati, quum videtur id consultum, & tempus ac occasio requirit, jejunare. At regeris ; *Si nostra jejunia damnantur ab Apostolo loc. supra citato. Ergo & Reformatorum.* ℞. Apostolus non damnat verum jejunium, consistens in omnimodâ abstinentiâ à quolibet cibi & potus genere, quale obtinet apud Reformatos (alioqui non aliorum fidelium duntaxat, sed & suam ipsius pra-

praxin damnaret, vide Act. 14.23. 1. Cor. 7.5. 2. Cor. 11.27. Act. 9.9.11.) Sed fictum, consistens in delectu ciborum, quale apud vos obtinere suprà audivimus.

XIII. Locus Pauli Coloss. 2. 16. 17. rectissime etiam à Celeb. Molinæo contra vos urgetur. Vult Apostolus, *ne quis nos damnet ob cibum vel potum, aut respectu festi, aut novilunii, aut Sabbatorum.* Hoc autem vos facitis, dum propter comesas diebus vetitis carnes homines mortaliter peccare prætenditis. Adjungit Apostolus mox rationem; *Quæ sunt umbra rerum futurarum; at corpus est Christi*, innuens, discrimen ciborum non convenire temporibus N. Testamenti. Et non longe post denuo sine exceptione vetat *adstringi* ejusmodi *placitis, ne esitâris, neque gustâris, neque tetigeris.* Atqui talia sunt quoque placita Papicolarum. Paulo post porro delineat hæc placita v. 21. 22. dicens; *Quæ omnia sunt ad corruptionem ipso usu, ex præceptis & doctrinis hominum. Quæ rationem quidem habent sapientiæ in cultu voluntario & submissione animi, & in eo, quod corpori non parcant.* Quis non videat, hæc ita quadrare in Pontificios, ut ovum ovo non sit similius? Dicis; *Apostolum loqui de antiquis Traditionibus Judaicis.* Rx. Vetus hæc Papicolarum cantilena est: At prorsus ἄνω μελῳδίας. Reprehendi Judaicas observantias, verum: sed non nisi Judaicas, falsum. Verba Apostoli generalia sunt, & loquuntur de ejusmodi placitis, quæ sunt *ex præceptis & doctrinis hominum*: hæc autem non minus cadunt in Pontificios quam Judæos. *Dixit Paulus* (ais) v. 17. *Quæ sunt umbra rerum futurarum: at corpus Christi: Ergo improbavit Judæos.* Sed dixit idem, *Quæ rationem quidem habent sapientiæ in cultu voluntario & animi submissione, & in eo, quod corpori non parcant*: alios ergo improbavit præter Judæos: Neque enim Judæis hæ fuêre abstinendi ullæ causæ: Quinam

nam autem illi? num Philosophi aut hæretici illi, qui cibos suâ naturâ immundos arbitrabantur? at his nullis etiam eæ abstinendi causæ. Damnavit igitur Pontificios, quia his abstinendi causæ cultus voluntarius & ἀφειδία σώματος: has enim proferunt & jactant.

XIV. Quemadmodum autem Apostolus in genere & citra exceptionem de discrimine ciborum: ita etiam in genere loquitur de observatione temporum religiosa. Nuncupat autem eam hîc *umbram rerum futurarum* & Gal. 4. 10. *elementa* respectu populi judaici, ut simul præoccupet objectionem, quæ à Judaizantibus poterat moveri, observationem temporum ab ipso Deo fuisse institutam, & dehortationem suam eo fortius adstringeret. Hæc nimirum Apostoli mens est, male observari tempora, quandoquidem tum etiam, quando tempora observanda ab ipso Deo præscripta fuerunt, fuerint hæc tantum *elementa* & *umbra rerum*. Verba itaque *elementa, umbra rerum*, non restringunt res damnatas, sed rationem continent damnationis. Denique hæc ratio talis est, ut contra quamcunque observationem religiosam temporum valeat, destitutam præcepto divino. Verum est, observare & Ecclesias Reformatas nonnullos dies festos, ut dies circumcisionis, Nativitatis, Passionis, resurrectionis, ascensionis Christi &c. Nec falsum, eas etiam non raro dies supplicationis & Eucharisticos celebrare: at non observant & celebrant hosce dies tanquam festa proprie dicta (de quibus hîc sermo est) id est, non celebrant eos *ratione mysterii*, *non sunt* apud ipsas *verè alius sanctiores & sacratiores*, nec *pars quadam divini cultus*: quæ Bellarminus *lib 3. de Cult. Sanct. cap. 10.* ad festa proprie dicta requirit (nam talia festa propriè dicta, quæ sint de necessitate fidei, obligantia per se & sub ratione ministerii Novum

vum Testamentum ignorat, imo diserta voce Evangelii abrogantur Rom.14.5.6.Gal.4.10.) sed liberè, ratione ordinis & Politiæ Ecclesiasticæ tantum. Christi beneficia, omniaque in Evangelio memoratu digna mysteria diligenter recolenda esse, nemo negat: at ut id fiat speciali temporis anniversarii ad id deputatione, nulla exigit necessitas. Potest enim fieri, quoties sacri cœtus habentur.

XV. Ad diem Dominicum quod attinet, patet satis praxis & usus Ecclesiæ Apostolicæ ex Actor. 20. 7. 1. Cor.16.2. quem merito sequimur. Desinat ergo D. Jureconsultus objicere nobis illius diei observationem, velut non scriptam Traditionem. Quamvis interim causæ nostræ minimè obesset, si ex sola Scriptura quæstio hæc decidi non posset; cum non sit de dogmatibus fidei & morum, sed publici cultus quadam circumstantia.

XVI. Ad Ecclesiam provocare & in ejus auctoritatem unice transscribere omnem delectus rationem, frivolum est. Habet quidem Ecclesia potestatem, ut supra audivimus, jejunia indicendi, etiam, quamdiu jejunandum sit, definiendi: sed inde non sequitur, quod vult D. Jureconsultus: *ergo etiam potestatem habet, hominibus, certis diebus, carne interdicendi:* nam, ut supra demonstratum modo, delectus ciborum, si fiat religionis causâ, in N. Testamento damnatus est & omne discrimen ciborum sublatum, ita ut Christianis liceat *edere, quicquid in macello venditur absq; disquisitione propter conscientiam,* imo *quicquid ipsis apponitur* 1.Cor.10.25.27.Luc.10,7. Nulla autem Ecclesia eam habet potestatem, ut libertatem hominibus jure divino concessam stricta lege abroget & observationem delectus faciat actum obedientiæ & cultus divini. Imo quæ hoc sibi imperium sumit Ecclesia, o-

N 3 sten-

stendit, se non esse veram Ecclesiam, præcipiendo id, quod Deus damnat, tanquam doctrinam *deficientium à fide, imò dæmoniorum* 1. Tim. 4. 1. 3. Nec huc facit Jonadabi, patris Rechabitarum, mandatum ad filios suos *de non bibendo vino*. Nam 1. Jonadabus ipsis abstinentiam vini *religionis causâ & ad cultum* (de quali abstinentia nobis quæstio est) non commendavit, sed propter causas temporales & politicas, ut fatentur & Hebræi & Christiani Interpretes plerique, etiam Pontificii nonnulli, inprimis Caspar Sanctius *Comment. in Ierem. 35.* (2.) Si valeret argumentum, posset simili ratione Ecclesia præcipere, ne quisquam *exstruat domum, serat sementē, plantet vineam*, ut *omnes habitent in tabernaculis* (hæc enim etiam à Rechabitis ex præcepto patris observabantur) sed etiam, ne ullus Christianorum unquam carnibus vescatur, cum Jonadabus rebus supra nominatis in perpetuum filiis suis interdixerit. Quid videtur D. Jureconsulte? num putas, Ecclesiam, fidissimam Matrem vestram id præcipere posse? non permitteret forte *Matris vestræ* vel potius *Patris Romani* (nam per metamorphosin miram ex Matre vestra fit Pater, demonstrante Bellarmino lib. 2. de Concil. Auctor. c. 19.) in vos indulgentia, quæ non raro tanta est, ut temperariam jejunii legem mitiget, quî ergo perpetuam vobis imponeret? Quis enim omnes Papæ circa jejunia vestra dispensationes recenseat? Vide interim sis Toletum de Instr. Sacerd. cap. 1. 6. & Laymannum Theol. Moral. l. 4. tr. 8 c. 3. Nisi forte dicas, *Matrem illam* ad largas hasce dispensationes moveri amore pecuniæ inde corradendæ, austeritate alioqui non cessuram *Patri* Rechabitarum. Cui rei fidem facit, quod legitur in Taxa Cancellariæ Romanæ fol. 3. & 4. *Licentia comedendi carnes pro una persona grossis decem*. Item

quod

quod laicus non teneatur jejunare diebus, quibus per Ecclesiam astrictus existit, & quod possit uti caseo, grossis viginti. Quod quidam comes propter infirmitatem diebus vetitis possit uti carnibus & ovis, grossis duodecim. Et pro familiaribus sibi servientibus, addatur pro quolibet unum. Addendum erat, quantum mariti, *qui non possunt uxoribus debitum jejunando reddere*, (circa hos enim etiam dispensatio obtinet, ut vult Laymannus, Toletus & Sanchez l. 9. disp. 3.) dare teneantur! Sed ad priora. (3.) Jonadabi & Ecclesiæ N. Testamenti ratio est diversissima. Nusquam enim legitur Deus vetuisse in V. Testamento, ne vel Jonadabus vel alius filiis suis vini usum prohiberet: At audivimus supra, Deum per Apostolum in N. Testamento prohibuisse, ne quis Christianos à certis cibis abstinere jubeat. Nec est, quod regeras, factum hoc laudari Jerem. 35. v. 18. nam laudatur quidem obedientia filiorum: at non consilium Patris. Potest quis autem recte obedire, etiamsi alter durius imperet, quomodo Petrus servos vult obedire *dominis non solum bonis & æquis, sed etiam* σκολιοῖς *iniquis, pravis*, c. 2. 18. Verbo. Est hæc actio singularis, quæ in exemplum trahi non debet, nec *cultum*, de quo disputamus, attingit.

XVII. Edictum Regium, in Angliâ de non comedendis per Quadragesimam carnibus publicatum, cum non prodierit *religionis causa*, incassum à D. Jureconsulto adducitur. Incassum etiam (eandem cramben ad nauseam recoquendo) ad festa Nativitatis, Paschatis, Pentecostes, Ascensionis relabitur. *Si adhuc Reformatus essem*, inquit, *præberet mihi Textus ad Coloss. 2. 16. à Molinæo ad infringendum Catholicorum jejunium male citatus ansam persuasissimum habendi, quod violatores horum festorum non peccent &c.* Sed quid ita D. Jurisconsulte?

Pau-

Paulus loco cit. damnat sub N. Testamento festa propriè dicta, qualia obtinebant in V. Testamento, ut supra audivimus: Talia autem non sunt festa Nativitatis, Resurrectionis & alia. Non enim adiguntur homines ad eorum observationem sub peccato mortali, nisi in generali; non constituunt ea necessariam cultus divini partem, non sunt ipsis dies in se cæteris sanctiores, nec celebrantur ab ipsis sub ratione mysterii, sed ordinis duntaxat & Politiæ Ecclesiasticæ. Ut verbo absolvam, habentur pro institutis humanis, & ut auctoritate humanâ sunt constituta, ita etiam eâdem abrogari possunt & mutari, si utilitas aut necessitas Ecclesiæ id efflagitaverit. Si proinde quædam Ecclesiæ Reformatæ festa illa abrogarunt, quid tum D. Jurisconsulte? hoc utique, cum divinitus non sint instituta & præcepta, libertati cujusvis Ecclesiæ est relictum. Non interim negligunt beneficiorum Dei in nos & mysteriorum Christi ad salutem nobis acquirendam patratorum memoriam recolere diebus Dominicis: nec etiam damnant alias Ecclesias, quæ festa illa sine superstitione adhuc retinent & celebrant: sed utræque statuunt, sicut olim Augustinus de jejunio monuit, *ejusmodi rerum dissonantiam non tollere fidei consonantiam*. Nec sequitur, te, *si adhuc Reformatus esses* (quantum vero naufragium tuo ad Pontificios transitu Ecclesia Reformata fecit!) violando festa illa, non peccaturum: licet enim legum Ecclesiasticarum transgressio non inducat culpam per se, quæ est ἀνομία & legis solum divinæ violatio: inducit tamen per accidens propter turbatum ordinem & scandalum Ecclesiæ datum. Vide 1. Cor. 14. 40. Hebr. 13. 17.

XVIII. Verum est, veteres etiam festa quædam celebrâsse: at non affixerunt ipsis aliquam sanctitatem, nec

nec vim & efficaciam illis inesse crediderunt, quasi reliquis diebus multò essent sanctiores: non etiam celebrârunt ea ex necessitate fidei, ut fit in Papatu; sed pro arbitratu & consuetudine. Audiamus Socratem. *Nusquam*, inquit ille lib. 5. Histor. Eccles. cap. 22. *Apostoli, nec ipsa Evangelia jugum servitutis illis imponunt, qui ad prædicationem accedunt, sed Paschatis festum & alios dies festos, ipsi homines suis quisque locis propter remissionem laborum & memoriam salutiferæ Passionis.* NB. *Pro suo arbitratu* (Græcè ὡς ἐβουλήθησαν, *sicut voluerunt*) *ex consuetudine quadam celebrarunt. Neque Servator aut Apostoli hoc nobis lege aliqua observandum esse mandârunt, neque pœnam nobis aut supplicium Evangelia aut Apostoli, sicut Iudæis lex Mosis, comminantur.* Et, paucis interjectis, addit; *Namque Apostolis propositum fuit* οὐ περὶ ἡμερῶν ἑορτασικῶν νομοθετεῖν *non de festis diebus celebrandis leges ferre, sed pietatis & rectè vivendi rationem nobis præscribere. Ac mihi quidem videtur, sicut alia multa per singula loca ex more quodã introducta sunt, ità etiam* ἡ τοῦ πάσχα ἑορτὴ παρ' ἑκάστοις ἐκ συνηθείας τινὸς ἰδιάζουσαν ἔσχε τὴν παρατήρησιν *Paschatis festum ex quadam consuetudine apud singulos populos observationem privatam habuisse,* διὰ τὸ μηδένα τῶν ἀποστόλων οὐδενὶ νενομοθετηκέναι, *eò quòd nullus Apostolorum ulli de eo legem tulerat.* Eadem etiam apud Nicephorum leguntur lib. 12. c. 32. Unde nemini non obvium, pietatem & vitam Christianam optimè posse consistere sine festorum celebratione, ac proinde in Ecclesia Christianâ ad pietatem veramque vitæ sanctimoniam festorum institutionem haud necessariam esse.

XIX. Dicis, *annon autem horrendum auditu & lectu, quòd personæ Ecclesiasticæ natalem Regis sui cœlestis abrogare, eique æternum vale dicere haud erubescant!* O devotum Jurisconsultum! Si is tempore Apostolorum, qui na-

talem Christi nec celebrâsse, nec aliis necessariò celebrandum commendâsse leguntur, vixisset, eâdem haud dubiè indignatione in eos invectus fuisset; *Annon horrendum auditu, quòd persona Ecclesiastica* (Apostolicæ) *natalem Regis sui cœlestis non celebrent*! O te devotum Catholicum! Dicas autem nobis D. Jurisconsulte, quis natalem Christi celebrari præceperit? num Christus ipse? demonstra: an Apostoli? ostende. Quod addis, *si Princeps hujus mundi hâc à subditis suis afficeretur ignominiâ, eum severissimè in illos animadversurum esse*, vanum ac frivolum est, quamdiu non demõstraveris, quod certè in æternum non poteris, Christum natalem suum à nobis necessariò celebrari velle; quemadmodum Principes hujus mundi à subditis, præsertim à ministris aulicis suos celebrari volunt. Quanto ipsis Apostolis vos sapientiores & devotiores venitis censendi, qui, dum illi ne hodierna quidem Christi festa Ecclesiæ necessaria ducebant, è contrario etiam Sanctis demortuis dies festos consecratis, & quidem tot numero, ut festa vestra (præter magnum eorum numerum, quæ certis Episcopatibus & Parochiis sunt peculiaria) cum diebus Dominicis ferè tertiam anni partem constituant, adeoque Ecclesiam Christianam longè pluribus observationibus oneratis, quàm olim judaica hac in parte onerata fuit. Quomodo verò illa celebratis? tempus matutinũ audiendæ Missæ impenditis, tempus verò pomeridianum in multam usq; noctem Baccho & abdomini suo inserviẽdo pleriq; consumunt, gravissimè puniendi, si opera manuũ exercerent, ad suam inde familiam sustentandum, & *ut possent impertiri, cui opus fuerit* Eph. 4. 28. Audi vestratium gravissimas è medio Papatus querelas. *Quàm olim* (inquit Polyd. Vergilius de Inventor. rerum lib. 6. 8.)

ex

ex usu fuerit festa instituere, tam nunc præstare videtur, eadem antiquari, cùm bona pars hominum otium istud festorum non ad orandum, sed ad omnifariam bonorum morum corruptionem augendam in dies magis magisque impudenter consumat. Nicolaus de Clemangis lib. de novis Festivitatibus an. 1416. edito inter alia probat, *vetera potiùs Festa aliqua abolenda esse propter ingentem abusum, quàm nova instituenda.* Queritur etiam, *tam multa de Sanctis legi & dici in templis, ut* NB. *S. Literarum lectio planè omittatur. In antiqua Ecclesia planè diversum fuisse morem. Itaque Deum jam suo loco detrusum & deturbatum esse, & Sanctos pro eo in Templis regnare.* Vide & Petrum de Alliaco *de Reformat. Eccles.*

XX. Paschatis sanè Festum antiquum est; At illud à Christo vel Apostolis institutum, aut etiam à sanâ antiquitate unquam celebratum esse ex necessitate fidei, nunquã certè probabitur: imò contrarium modò suprà à nobis demonstratũ ex Socrate *lib. 5. Hist. Eccl. c. 22.* Ridiculus autem est D. Jureconsultus, dum, eò quòd in Germania suprà nominata Christi festa Reformati adhuc observant, sequi vult, illis admittendas esse Traditiones à Molinæo rejectas: Nam aut intelligit Traditiones rituales & historicas, aut dogmaticas: Si *priores*, vanus est: nam illas, ut suprà dictum, ultrò amplectimur. Si *posteriores*, apertè falsus: quia festos illos dies, ut etiam suprà dictum, non celebramus ex necessitate fidei, non sunt nobis pars cultus divini, nec in se aliis diebus sanctiores, ut Pontificiis; sed spontaneæ observationis, id est, celebramus eos *pro arbitratu & ex consuetudine quadam*, ut etiam veteres fecisse, suprà ex Socrate audivimus.

XXI. Baptismum, administratum ab hæreticis, qui essentialia baptismi retinẽt & verã doctrinam, in formu-

lâ baptiſmi contentam tuentur, non iterandum eſſe, ſupra Cap. 1. Theſ. 30. ſatis probatum dedimus ex ipſa Scriptura, unde, ut idem hîc repetamus, haud neceſſe. Si tamen hoc non pateret ex Scriptura, quid inde D. Jureconſulte? Num fortè, Scripturam ergò non complecti omnia ad ſalutem ſcitu neceſſaria, adeoq; recurrendum eſſe ad Traditiones dogmaticas? longè falleris. Probandum tibi prius, hoc dogma, *baptizatos ab hæreticis non rebaptizandos eſſe*, ad ſalutem ſcitu eſſe neceſſarium.

XXII. Crambe de Sabbato & die Dominica toties cocta & recocta ad quid? Eſt nobis quæſtio de dogmatibus fidei & morum; non proprie de temporis circumſtantiâ. Patet interim ſatis ex verbis Pauli Coloſſ. 2. 16. 17. *Ne quis vos damnet ob cibum vel potum, aut reſpectu Feſti aut Novilunij aut Sabbatorum, quæ ſunt umbra rerum futurarum*, nos ſub Novo Teſt. ab obſervatione veterum Sabbatorum liberos eſſe. Conſtat etiam ex Act. 20. 7. 1. Cor. 16. 2. & Apoc. 1. 10. diem Dominicam, quam hodie celebramus, ab Eccleſiâ Apoſtolicâ celebratam fuiſſe. Audi tuum Jeſuitam Laymannum Theol. Moral. lib. 4. Tract. 7. c. 1. *Porro*, inquit ille, *hanc unius integri diei ex quavis hebdomade, ad Dei cultũ, deſignationem, tanquã naturali æquitati maximè cõſonam, Eccleſia mox Apoſtolorum tempore recepit, & hactenus ſtudioſè ſervavit: Præterquam, quòd ſublato Sabbatho, tanquam pertinente ad Judaicam legem & umbratiles figuras, quibus nova lex non aſtringitur, imò nec uti debet (ſicuti Apoſtolus ad Galat. oſtendit & admonet Laociden. Concil. c. 29.) ejus loco Dominicam diem inſtituit, &c. Quemadmodum Act. 20. legimus, una Sabbathi, id eſt, prima die hebdomadis (ſecundùm Hebraiçam phraſin, qualis etiam legitur apud S. Marcum cap. 16.*

Chri-

Christum resurrrexisse una, id est, prima Sabbathi) convenisse fideles ad frangendum panem. Regeris, *loco citato ex actis Apostolorum non nisi Sabbati mentionem fieri.* Ridiculum sane! Annon legis, ἐν δὲ τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων, *primo autem die Sabbatorum* in plurali, quomodo ergò dicis, *non nisi Sabbati mentionem fieri?* Vocabulo autem σαββάτων quid intelligitur D. Jureconsulte? si nescis, disce ex tuo Laymanno jam citato: Ipsa, ut ille bene dicit, intelligitur hebdomada, ex consuetudine Hebræorum, apud quos plurali numero שבתות vocatur septimana, ut Levit. 23. 15. & 25. 8. &c. Convenerunt ergò discipuli Christi primo die hebdomadæ. Vulgata vestra reddit *una autem Sabbati*: Erasmus, *uno autem die Sabbatorum.* Vide Matth. 28 1. quò minus autē possimus interpretari, *quodam die*, obstat 1. quòd μιᾷ σαββάτων pro σαββάτῳ τινὶ nusquam occurrat: 2. quòd articulus adjunctus declaret hanc particulam indefinite accipi non posse. Primus itaque dies septimanæ hîc omnino intelligendus venit. Nec diffitetur hoc præter Laymannum vester Cornelius à Lapide *Comment. in. h. loc.* scribens; *Una autem Sabbati, id est, prima die hebdomadæ (quæ à præcipua die vocatur Sabbatum) vel prima die post Sabbatum, puta Dominicâ: Unde in eâ Paulus celebravit Eucharistiam, ad quam fideles de more convenerunt. Ita sanct. Chrysostomus, Beda & S. Augustinus Epist. 86.*

XXIII. Quæ regeris ad locum Apoc. 1. 10. ubi Johannes dicit, *se raptum fuisse in spiritu* τῇ κυριακῇ ἡμέρᾳ *die Dominicâ*, pariter frivola sunt. Si Johannes intelligi voluisset Sabbatum Judæorum, quidni illud nominâsset? Num temporibus Johannis & Pauli celebratio diei primæ in usu fuerit, quia dubitas, disce ex vestro Jesuitâ Riberâ, qui in hunc locum annotat, ex eo clarè perspici,

etiã tempore Apostolorum Sabbati solemnitatem mutatam fuisse in Dominicã diem, Resurrectione Domini consecratam : cujus meminit Paulus 1. Cor. 16. jubens, ut in ea collectæ fiant, quoniam tunc omnes ad Ecclesiam conveniebant solemnitatis diei causâ. Consentit huic Laymannus, ut supra audivimus, & Viegas cap. 1. sect. 22. Imò ipse Catechismus Romanus cap. 4. §. 7. colligit ex tribus supra adductis Scripturæ locis, quòd *Apostoli diem Dominicum pro Sabbatho colendum ordinaverint.* Desine ergò tandem illius diei observationem (quam cùm Molinæus doctrinam ad salutem non necessariam vocat, subaudit, *cum opinione cultus, & sanctitatis in se*) velut non scriptam traditionem nobis objicere.

XXIV. Sanctissimam Matrem Christi Mariam fuisse Virginem ante partum & in partu, est articulus fidei, vel ipsis Pontificiis fatentibus, satis apertè in Scripturâ positus. An vero post partum manserit virgo, cum Scriptura non definiat, non est articulus fidei. Interim id pie credimus, fide humana, assensum præbentes iis, qui de sanctâ hâc Virgine, tanquam selectissimo Dei templo, unde Salvator noster in hunc ingressus est mundum, sanctissimè sentiunt. *Credimus*, inquam, contra Helvidium ejusque asseclas, uterum illum, qui GLORIOSISSIMUM JESUM nostrum novem menses gestavit, tanto hospite ita consecratum fuisse, ut Maria intacta viro SEMPER manserit, sed *fide humanâ, fide non adeo necessariâ*, quâ prius illud credimus, in Scripturis tam clare expressum; seu, ut Cl. Molinæus noster loco à te cit. bene dicit, μᾶλλον εὐπρεπείας ἢ ἀνάγκης ἕνεκα. Photinum & Bonosum in Concilio Arelatensi negatæ ἀειπαρθενίας Marianæ ergo hæreseos damnatos esse, dicit quidem D. Jureconsultus, sed non probat. Ostendatur Canon: demon-

demonſtrentur verba, & erit nobis, quod reſpondeamus. Audi interim Baſilium Homil. de Nativitate Dom. *Non enim*, inquit, *cognovit eam, donec peperit filium ſuum primogenitum. Hoc verò nunc ſuſpicionem generat, ne forſan, poſtquam puritate ſua generationi Dominicæ, per Spiritum S. administratæ, ſervivit, tum demum nuptialia opera viro Maria non negaverit. Nos verò* εἰ καὶ μηδὲ τῷ τῆς εὐσεβείας παραλυμαίνεται λόγῳ *licet hoc nihil doctrinæ pietatis officiat, nam donec diſpenſabatur Chriſti generatio, neceſſaria erat virginitas: quid verò poſtea factum ſit, ad myſterij hujus doctrinã non anxiè conquirendum eſt. Veruntamen ne hoc eorum, qui Chriſtum amant, ferre cogantur aures, quòd genitrix DEI aliquando deſierit eſſe virgo, has rationes ſufficere putamus, &c.* Audis, Baſilium apertè docere, non officere doctrinæ pietatis, ſi quis dicat, Mariam poſt natum Chriſtum operam dediſſe liberis? Sed quid D. Juriſconſulte? An non veſtra Pontificiorũ communis eſt ſententia, B. Mariam, eò quòd dixerit; *Virum non cognoſco* Luc. 1. 34. profeſſam eſſe, ſe perpetuam voviſſe virginitatem? *Voverat Maria*, inquit Nicolaus Papa 28. quæſt. 1. cap. *ſe virginem perſeveraturam. Unde ait Angelo: Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? id eſt, me non cognituram propoſui.* Hoc autem ſi verum, patet utiq; ſecundùm vos Pontificios ex Scriptura, Mariam ſemper manſiſſe Virginem, niſi velitis dicere, quod impium eſſet, eam fœdifragam fuiſſe. Etiam Jeſuita Salmero tom. 3. tr. 4. ſcribit, *Mariæ PERPETUAM Virginitatem fuiſſe prædictam à Ieſaia 6. 7. Fuiſſe etiam tantum Virginitatis donum præfiguratũ multis Prophetarum oraculis.* Etiam non longè poſt reprehendit Brentium, Petrum Martyrem & Centuriatores, quòd non agnoſcant, eam in Scripturis doceri: Ergò juxta hunc Jeſuitam, Mariæ ἀειπαρθενία ex Scripturis liquet. En

ergò

ergò, quam aptum attuleris causæ tuæ exemplum!

XXV. Æquè autẽ conveniens est illud, quod promis de canone Scripturæ. *Illum*, inquis, *non nisi ex traditione habemus.* ℞. Si sumis *traditionem activè*, pro actione tradentis, concedo. Traditio autem talis non est dogma diversum à scripto canone, de quo nobis est quæstio, sed fidelitas Ecclesiæ, cui concredita λόγια τοῦ Θεοῦ, ut eorum sit præco & custos. Si autem sumis *passivè & materialiter* pro doctrinâ & quidem ore tantum traditâ, nego. Quo tempore libri Nov. Test. cœperint scribi, ex antiquitate non certò constat: interim nostra nihil refert. *Fuerit Novum Testamentum demum post elapsos ab Ascensione Christi quinquaginta annos scriptum*, quod dicis; quid tum? Causa nostra inde non læditur. Non enim sequitur, primos Christianos propterea credere debuisse ex Traditione sine ullâ Scripturâ. Audi S. Petrum. *Habemus*, inquit ille 2. cap. 1. 19. *firmissimum sermonem Propheticum, cui rectè facitis*, quòd attendatis velut *lucernæ splendenti in loco obscuro, &c.* An hinc non liquet, primos Christianos non credidisse sine Scripturis? Annon & Paulus contestatur, *se nihil quicquam dixisse parvis & magnis extra ea, quæ Moses ac Prophetæ futura prædixerint?* Act. 26. 22. Annon Apollo legitur fuisse *potens in Scripturis* Act. 18. 24? Annon Beroënses, auditâ Pauli concione, *scrutabantur Scripturas* Act. 17. 11? Quomodo autem potuissent Scripturas scrutari, si nullas habuissent? En quàm longè à veritatis tramite aberres D. Jurisconsulte! Quid si autem daremus, primævos Christianos ex sola traditione sine ullâ Scripturâ credidisse, quid inde lucri causæ vestræ? quæ consequentia ad Ecclesiam hodiernam? habebant illi familiariter & immediatè sibi assistentes Apostolos, viros θεοπνεύστους,

viros

viros αὐτόπται καὶ ὑπηρέται τοῦ λόγου Luc. 1. 2. An nos etiam adhuc hodie illos immediatè audimus? Dicis, *Apostolos etiam fuisse homines & errare potuisse.* Vah! quid audio? potueruntne illi in docendo errare, *quos Spiritus veritatis deduxit in omnem veritatem* Joh. 16. 13? & *quos* idem iste Spiritus *docuerat, & fecerat commeminisse omnium, quæ dixerat ipsis* JESUS Joh. 14. 26? *Fuerunt homines*, ais: quis negat? Concedimus etiam, eos peccâsse quandoque in vita & conversatione Gal. 2. 14. At negamus, illos in docendo peccare potuisse. Vide autem, quò prolabaris D. Jureconsulte? Apostolis, qui tamen Spiritu Dei afflati, ex ipsius quasi ore loquebantur & scribebant, in docendo infallibilitatem derogas, quam tamen Papæ tuo affingis! Rem egregiam & Papatui valde honorificam! scilicet!

XXVI. Verum est, Lucam ea scripsisse, quæ ex traditione eorum, qui fuerant αὐτόπται καὶ ὑπηρέται τοῦ λόγου *spectatores & ministri verbi* (non Sacrificuli seu Missifices) noverat: At dubium interim non est, eum præter auditionem τούτων τῶν ὑπηρετῶν, quæcunque in Evangelio & Actis scripsit, scripsisse dictante Spiritu S. cui aliorum relatione non fuit opus. Audi Jesuitam Salmeronem. *Deus Lucæ,* inquit Tom. 2. Tract. 32. *per Spiritum S. astitit, ne in scribendo errare posset.*

XXVII. *Non speraverim*, inquis, *ullum Christianorum eò temeritatis & impietatis processurum, ut non credat, in Biblijs unicam, ad obtinendam salutem per Christum patefactam viam, hoc est, sanctum Dei verbum nobis proponi, &c.* Quibus verbis, nescio, quantus S. Scripturæ æstimator vis videri: sed sunt hæc concinnata ad palpum simplicibus obtrudendum. Profiteris utique Religionem Pontificiam D. Jureconsulte? Ergò credis, *S. Scripturam non*

 esse

esse necessariam: non esse Dei jussu scriptam: esse obscuram: esse plebi lectu perniciosam: esse hæresium matrem & semen: esse imperfectam & inutilem: esse mutam, voce Papæ animandam: esse instar nasi cerei flexibilem, & quæ sunt id genus alia convitia, in Jesuitarum libris non rarò obvia, non alium in finem in Scripturam conjecta, quàm ut, illâ sic de ponte dejectâ, solus Papa, ceu alter Apollo Pythius, pro arbitratu suo oracula fundere & ex divite scrinii sui penu mysteria promere queat. En jam Jesuitas! En JCtum Scripturæ æstimatorem! *Si in Bibliis unica* (quod scribis) *ad obtinendam salutem via, h. e. Dei verbum proponitur*; quî ergò non sunt necessaria? quî non scripta Dei jussu? quî imperfecta, quî lectu perniciosa? Verum est, vos fateri, in Bibliis contineri Dei verbum: at externis duntaxat verbis, reipsa negatis. An vis probari? quid factu facilius? Audi vestrum Andradium: dicit ille lib. 2. desens. Concil. Trid. pag. 675. sine rubore; *Nihil inesse divinitatis quicquã in illis libris, quibus sacra mysteria conscripta sunt, nec inveniri aliquid in ijs libris, quod nos Religione cogat & constringat ad credendum, quæ in illis continentur, sed Ecclesiæ tantam esse vim & amplitudinem, ut nemo sine maximâ impietatis notâ repugnare possit.* Audis D. Jureconsulte? si Scripturæ nihil inest divinitatis & nihil invenitur in eâ, quod nos Religione cogat ad credendum, &c. quomodo ergò est Dei verbum? Sed audi & Jesuitam Bailium. *Ad Ecclesiam*, inquit ille Tract. 1. Catech. quæst. 12. *pertinet de libris Canonicis determinare, sine cujus auctoritate non plus fidei adhiberem Matthæo, quàm Tito Livio.* En eximium Jesu socium, qui Jesu per Matthæum loquenti non plus fidei adhibet sine Ecclesiæ, id est, Papæ auctoritate, quàm Tito Livio, scriptori Ethnico! Quin reperiuntur in Papatu, qui eructare non dubitant, *Scripturas valere,*

lere, quantum Æsopi fabulas, si destituantur auctoritate Ecclesiæ. Cujus dicti licet videatur pudere Hosium, allaborat tamen incrustare & comprobare, dum asserit lib. 3. de Auctor. Scriptur. contra Brent. fol. 271. *illud pio sensu dici posse.* Nec etiam suprà citatus Bailius huic blasphemiæ calculum suum renuit, dum quæst. 17. Tract. 1. sic loqui non erubescit; *Quis vobis dixit, Scripturam divinam esse? & ei potius credendum, quàm historicis profanis & fabulis?* Quis hanc istorum homuncionum blasphemiam & impietatem non horrescat? Titum Livium & fabulas Æsopi pares faciunt cum Scriptura; ità ut Ecclesia, si vellet, eandẽ illis auctoritatem apud Pontificios & fidem conciliaret. Frustra igitur *speras* D. Jureconsulte, non repertum iri ejusmodi temerarios & impios homines: reperiuntur enim in medio Ecclesiæ vestræ humanæ: Reperiuntur, inquam, qui credunt, illud, quod in Bibliis proponitur, *quoad se*, non magis esse Dei verbum quàm fabulas Æsopi. Nominavi suprà tales. Num vis videre plures? Converte oculos tuos in Eckium vestrum. *Scriptura*, inquit ille de Auctor. Eccles. *non est authentica, nisi auctoritate Ecclesiæ.* Intuere Stapletonum, qui lib. 1. cap. 7. advers. Witaker. rotundè scribit, *sic attestari Scripturam, ut non secus Ecclesiæ testimonio credere debeamus, ac Christi testimonio crediderunt Apostoli, & non credi Deum esse, nisi propter Ecclesiam.* Audi denique & ipsum Bellarminum. *Etsi*, inquit ille lib. 4. de Verb. Dei c. 4. *Scriptura dicat, libros Prophetarũ & Apostolorum esse divinos, tamen non credam id certò, nisi prius credidero, Scripturam, quæ hoc dicit, esse divinam. Nam etiam in Alcorano Mahumeti passim legimus, ipsum Alcoranum è cœlo à Deo missum, & tamen non credimus.* Quid hæc sibi volunt aliud, quàm Scripturam omnem auctoritatem habere à solâ Ecclesiâ?

Qui enim credit, Lunam non esse luminosam, nisi lumine Solis, is certè credit, Lunam omne lumen habere à solo Sole. Verum est, non paucos ex recentioribus Ecclesiæ Pontificiæ Doctoribus progressu temporis durarum & crudarum istarum locutionum pudore suffusos, cautiùs loqui cœpisse, ita mentem suam explicando, ut fassi fuerint, Scripturam quidem *absolutè* & *quoad se* authenticam & divinam esse, sed tamen *relatè* & *quoad nos* ista auctoritate non pollere, nisi propter testimonium Ecclesiæ. Et hac distinctione se etiam elapsurum opinatur D. Jureconsultus noster, dum ait pag. 63. *Etsi quidem Eccesiæ Traditio libros Biblicos quoad se non reddat sanctos, nihilominus tamen quoad nos talem illis conciliat auctoritatem, ut fide persuasi esse debeamus, omnes libros, quos S. Ecclesia nobis proponit, esse Canonicos, &c.* Verùm si rem ritè putemus, liquebit, D. Jureconsultum cum hodiernis suis Jesuitis nihil aliud reipsâ efflare, quàm quod ipsorum antecessores affirmârunt, adeoque hanc distinctiunculam *quoad se* & *quoad nos* à recentioribus ad fucum faciendum duntaxat excogitatam esse. Etenim quis nescit, omnem auctoritatem esse relativam & in ordine ad alios, qui eâ obligantur: imò id, quod auctoritatis nomine designari solet, est ejusmodi, ut neque dici neque esse possit citra respectum ad aliquem, apud quem valere debet: Si jam Scriptura est authentica *quoad se*, est etiã authentica *quoad nos*. Quis enim neget, nos, eo ipso, quo scimus, Scripturã esse divinitus inspiratam & divinæ auctoritatis *quoad se*, eo ipso, inquam, & eadem de causa sufficiens planè habere fundamentũ acceptandi illam Scripturam & doctrinã in normam fidei & morum? Sin verò Scriptura nullã habet auctoritatem *quoad nos* sine testimonio Ecclesiæ: Ergò nec habet auctoritatem *quoad se*, sine ejusdem Ecclesiæ testimonio. Quem igitur jam lateat, quantopere Scri-

ptura

ptura obstricta sit Ecclesiæ Romanæ, verbum Dei verbo Apollinis Romani? Verbum Dei, nisi ipsi allubuerit, verbum Dei non erit. Poterit ille pro arbitratu *Vetus Testamentum* in Alcoranum, *Novum* in Titum Livium, aut etiam *utrumq;* in fabulas Æsopi mutare. Saltem id efficere, ut apud D. JCtum nostrum (qui venerationis, quâ se Biblia prosequi dicebat, jam immemor pag. 60. eructare non dubitat; *Biblia summi Dei mandata & leges, nullos verò errores complecti, aliunde non scimus, nisi ex traditione, id est, quia Ecclesia ejusque Doctores dicunt.*) aliosque Pontificios plus auctoritatis non habeat. Hem Ecclesiam artificiosam! ad quam proinde quòd se D. J. noster contulerit, quis miretur?

XXVIII. Ad nos quod attinet, tria in hac controversiâ accuratè distinguenda (non interim divellenda) censemus. 1. Scripturæ auctoritatem. 2. Ecclesiæ in eâ prædicandâ officium. 3. Spiritus S. testimonium, seu beneficium, quo corda nostra perfundit. Quantum ad primum, nempe Scripturæ auctoritatem, statuimus, eam nec *quoad se*, nec *quoad nos* pendere à testimonio Ecclesiæ, & probamus 1. Quia Scriptura ipsa fert secum divinitatis suæ certitudinem independenter ab ullius cœtus judicio. *Qui voluerit facere voluntatem illius, qui misit me, cognoscet de hac doctrina, an ex Deo sit, an de me loquar*, inquit ipse Servator Joh. 7. 17. Vide & 1. Cor. 2. 4. 5. 1 Thess. 2. 13. Rom. 1. 16. E. (2.) Quia vera Ecclesia exstructa est *super fundamento Apostolorum & Prophetarum* Ephes. 2. 20. *& sanctificata in veritate Dei*, quæ est *verbum ipsius* Joh. 17. 17. Non ergò verbum Dei scriptum ejusque auctoritas obligatoria nititur Ecclesia; sed è contrario Ecclesia in fide suâ nititur Dei verbo, per Prophetas & Apostolos exhibito. (3.) Quia verbum

 Dei,

Dei, antequam ſcripto traderetur, per ſe erat authenticum iis, ad quos perferebatur, nec externum aliquod teſtimonium exigebatur, ut ei fides haberetur: Ubinam enim erat externum tribunal, quod S. Patriarchæ aliique fideles, ad quos fiebat Dei verbum, conſulerent? Cùm lex à Deo è Sinai promulgaretur, an exſpectandum erat judicium Eccleſiæ iis, qui audiebant? Annon ſtatim pro divina agnita fuit? annon ſtatim omnes obligavit ad ſui obſervationem? Ergò nec hodie, poſtquam ſcripto conſignatum, opus tali Eccleſiæ teſtimonio ad ei auctoritatem conciliandam: cùm per ſcriptionem nihil auctoritatis amiſerit. *Vide 2. Timoth. 3. 16. 2. Petr. 1. 21.* (4.) Quia Chriſtus dicit, *ſe teſtimonium ab homine non captare* Joh. 5. 34. Accepit quidem à Johanne teſtimonium, ſed non auctoritativum: Unde addit, *ego majus teſtimonium habeo* teſtimonio *Iohannis* verſ. 36. Idem ergò tenendum de Deo aut Chriſto, loquente in verbo ſuo ſcripto. *Confer 1. Ioh. 5. 9.* (5.) Quia Deus omnibus principiis notas indidit, quibus ab omnibus cognoſcantur: quî ergò tales non poſuiſſet in ſancto hoc Principio, ad ſalutem ſummè neceſſario? Agnovit eas in eo David Pſal. 19. 9. dicens; *Mandata Iehovæ ſunt recta, lætificantia animum: Præceptum Iehovæ purum, illuſtrans oculos.* Et verſ. 8. *Sapientiam afferens imperito.* Agnovit etiam illas Petrus, dum Scriptura ei eſt *veluti lucerna ſplendens in obſcuro loco* 2. c. 1. 19. ità ut neceſſe non ſit teſti alicui externo inhærere, qui ei teſtimonio ſuo auctoritatem apud nos conciliet, ſed ſufficiat, aperiendo oculos, luci ipſi, tam potenter ſeſe ingerenti, intentum eſſe. Agnovit non minùs etiam Paulus Hebr. 4. 12. ſcribens. *Vivus eſt ſermo Dei & efficax, & penetrantior quovis gladio ancipiti, & pertingit usque ad diviſionem animæ ac ſpiritus, compagumq;*

&

& medullarum, & dijudicat cogitationes & conceptus cordis. (6.) Quia Scripturæ auctoritatem suspendere ab Ecclesiæ testimonio, nihil aliud est, quàm auctoritatem humanam divinæ præferre: quo nihil absurdius esse, nemo non videt. Dicebat quondam Servator ad Judæos: *Si Scripturis Mosis non creditis, quomodo mihi credetis?* Joh. 5. 47. At Ecclesia Romana inverso ordine dicit; *Si verbis meis non creditis, quomodo credetis Scriptis Mosis & reliquorum etiam Prophetarum? Si testimonium hominum,* ait S. Johannes 1. c. 5. 9. *accipimus, testimonium Dei majus est.* At Papicolis nostris è contrario testimonium hominum majus est testimonio Dei, cùm illud juxta ipsos huic vim & auctoritatem largiatur. Antea, cùm adhuc Reformatus esset D. Jureconsultus noster, credebat, *Jesum ex Virgine esse natum, dari resurrectionem mortuorum, & vitam æternam, &c.* ob Scripturæ hoc asserentis auctoritatem: Jam verò, ex quo evasit Papicola, non magis hoc crederet, quàm *Turcarum Mahumetem esse magnum Prophetam*, nisi accederet Papæ Romani, idem asserentis, auctoritas: Nimirum Papa, postquam pedem in ipsius castra intulit, dignior ipsi est fide, quàm ipse Deus. Si bonus ille vir tempore Thessalonicensium vixisset, dissuasisset illis haud dubiè, *ut acceptum de Deo sermonē, quem audiebant ex Paulo, exciperent* (sicut expressè leguntur excepisse 1. Thess. 2. 13.) *ut sermonem Dei*, sine auctoritate Ecclesiæ. (7.) Quia manifestus committitur circulus; dum Ecclesiæ auctoritas probatur ex Scriptura, & vicissim auctoritas Scripturæ ex Ecclesia. Quid? Pontificii, sic auctoritatem Scripturæ suspendendo ab auctoritate Ecclesiæ, causam ipsi suam produnt & Ecclesiæ Romanæ fundamenta subruunt. Interrogati enim, cur tantam Ecclesiæ suæ auctoritatem concedant, eamque infallibilem prædicent, respondent, se ideo id facere, quòd

sciant,

ſciant, Spiritum S. eam deducere in omnem veritatem: interrogati porrò, unde id noverint, illico provocant ad dicta Joh. 16. 13. Matth. 16. 18. & 28. 20. Hæc autem quotiescunque adhibent ad præſidium ſuæ cauſæ, vel inviti huc rediguntur, ut fateantur, auctoritate Scripturæ, utpote quæ Eccleſiam probat, niti auctoritatem Eccleſiæ, adeoq; illam hac, quæ ex Scriptura probatur, certiorem & majorẽ eſſe. (8.) Agnovit hanc hîc nobiſcũ veritatẽ Jeſuita de Valẽtiã. *Cùm multa*, inquit ille Anal. fidei l. 1. c. 25. *ſint in ipſa Chriſtiana doctrinâ, quæ ipſa per ſe fidem illi & auctoritatẽ conciliare poſſunt: tamen mihi maximum illud eſſe videtur (ut à Clement. Alex. & à Lactant. & ab aliis eſt obſervatum) quod ſuâ neſcio, qua admirabili vi, divinè prorſus hominum animos afficit atque ad virtutem impellit. Eſt ſcripta verbis ſimplicibus & caret ferè artificio orationis & ornamentis. Nihilominus ità vehementer lectoris mentem commovet, ut nulla alia doctrina. Quod argumento eſt, illius auctoritatem omnino divinam, non humanã eſſe: hæc enim ſine verborũ arte & orationis quaſi lenociniis ad efficiendum animorũ motum, non valet.* Agnovit & eandem Canus *Loc. Theol. l. 2. c. 8.* Veniat ergò Bellarminus cum *ſuo Alcorano*, Bailius cum *ſuo Tito Livio*, Hoſius cum *ſuis Æſopi fabulis*, & hiſce collegis ſuis *admirabilem iſtam virtutem*, quâ verbum Dei hominum animos afficit, in profanis illis Auctoribus demonſtent! Obſerva interim hîc D. Jureconſulte, antequam progrediaris, fœdam & vertiginoſam Bellarmini, Coryphæi veſtri contradictionem. Lib. 4. de verb. Dei c. 4. palã negat, ex Scriptura ipſa *ullo modo* haberi poſſe, libros ſacros eſſe divinos: at lib. 1. cap. 2. argumentis validis aſſerit, ex Scriptura ipſa abſque Traditione, libros ſacros eſſe divinos. Quin & aliam adhuc hoc capite eructat contradictionem: aſſerit enim, *ſacris Scripturis, quæ Propheticis & Apoſtolicis literis continentur, nihil eſſe notius, nihil*

hil certius. Alibi autem, nempe *lib. 4. c. 2. de Not. Eccleſ.* id ipſum rurſus elidit apertis verbis; *Reſpondeo, Eccleſiam ſimpliciter eſſe priorem & notiorem, quàm ſit Scriptura.* Hæc nonne fœdiſſima contradictio? Nimirum ubi contra Fanaticos agit, veritatem nobiſcum adſtruit: at ubi contra nos, eandem, ſui immemor, rurſus deſtruit.

XXIX. Concedimus interim & Eccleſiæ ſuas partes, ſed tantùm miniſteriales. Eſt ipſius officium. (1.) λόγια τοῦ Θεοῦ ſibi concredita aſſervare Rom. 3. 2. (2.) Verum eorum ſenſum ſcrutari κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως Rom. 12. 6. (3.) Ea tueri & vindicare 1. Timoth. 3. 16. (4.) Ea promulgare & teſtari, &c. Sed iſta omnia Eccleſiam *Miniſtram*, non *Magiſtram* conſtituunt. Teſtatur illa quidem de luce; ſed non eſt lux ipſa aut lucis cauſa: Verùm luce colluſtrata teſtimonium ei apud alios perhibet. Credimus δι' Ἐκκλησίας *per Eccleſiam*, ſed non δι' Ἐκκλησίαν *propter Eccleſiam. vide Ioh. 1. 7. 8.* Conatur quidem D. Jureconſultus hæc eludere, ſed conatu planè irrito. Dicit, *S. Apoſtolos & Evangeliſtas etiam fuiſſe teſtes vitæ & Paſſionis Chriſti* Act. 1. 8. & 10. 39. 1. Petr. 5. 1. &c. Sic eſt D. Jureconſulte: ſed quid inde? *Quemadmodum jam*, inquis, *Scriptis à diſcipulis Chriſti relictis nihilominus credimus, &c. ſic etiam licet Eccleſiæ traditio libros Biblicos quoad ſe non reddat ſanctiores, iis tamen quoad nos talem conciliat auctoritatem, ut nos fide perſuaſos eſſe oporteat, omnes libros, quos S. Eccleſia nobis proponit, eſſe verè Canonicos, &c.* Nugæ nugaciſſimæ! Si libri Biblici *quoad ſe* ſunt ſancti & authentici, ità ut Eccleſia ſuo teſtimonio non reddat ſanctiores, quî ergò Jeſuitæ tui docent, illis ſine auctoritate Eccleſiæ nihil ineſſe divinitatis, iiſque ſine hac non magis credendum quàm Tito Livio? &c. Item,

quî, quod *quoad se* est Canonicum, non erit *quoad nos* Canonicum? Hoc tantùm quæro, an Apostoli, relictis à se scriptis istam, quam *quoad nos* habent, auctoritatem contulerint, ut nos propter illos tanquam dominos oporteat credere? Si *affirmas*, tibi ipsi contradicis; cùm expressè fatearis, *Apostolos redemptioni per Christum factæ* (quæ utique etiam in relictis ipsorum scriptis memoratur) *non conferre vim & auctoritatem*. 2. Falsus es: nam non credimus *propter Apostolos*, sed *per Apostolos*: Audi Paulum. *Sic de nobis*, inquit ille 1. Cor. 4. 1. *reputet homo, ut de ministris Christi & dispensatoribus mysteriorum Dei.* Audi & Johannem. *Is venit*, ait de Baptistâ, *ad testimonium, ut testaretur de illa luce, ut omnes* δἰ αὐτȣ̃ *per ipsum* (non δἰ αὐτὸν propter ipsum) *crederent*, Joh. 1. 7. Si negas, quorsum tua ἀπόδοσις? 2. Quæ comparatio (posito, non concesso, Apostolos Scripturæ Nov. Test. eam, quam *quoad nos* habet, auctoritatem contulisse) Apostolorum & Evangelistarum cum hodiernis Romanæ Ecclesiæ Doctoribus? virorum θεοπνεύςων cum viris errori obnoxiis? Quod addis; *Si Ecclesia nos, quemadmodum Iudæi per Talmudem, & Turcæ per Alcoranum decipiuntur, decepisset, hoc est, loco veri Messiæ maledictum Mahumetem obtrusisset, &c. actum fuisset de nobis in æternum*, aut intelligis de nobis, ut modò Christianis, aut adhuc infidelibus, quales quondam omnes eramus: Si *prius*, longè falleris; nam si Ecclesia aliqua, imò ipsi Angeli, nobis loco sanctæ hujus Scripturæ Talmudem aut Alcoranum obtrusissent, vel etiamnum obtruderent, pronuntiassemus, & etiamnum pronuntiaremus in ejusmodi Ecclesiam & Angelos anathema cum Paulo Galat. 1. 8. Si *posterius*: verum quidem dicis: sed quid inde D. Jureconsulte? *Hinc*, inquis, *sequitur evidentissimè, ab omnibus Christianis fundamen-*

damentum vitæ æternæ in iis libris, quos Ecclesia illis, tanquam Dei verbum, credendos commendat, collocandum esse. Hem virum! Quis Reformatorum hoc negat? Sic inferre debebas, contra nos conclusurus. *Hinc sequitur, libros Biblicos non esse divinæ auctoritatis quoad nos, nisi ex traditione, id est, propter testimonium Ecclesiæ.* Sed hæc consequentia est falsissima: Sequitur enim tantum, eos, qui nondum Spiritu Dei sunt illuminati, Ecclesiæ testimonio ad docilitatem induci, ut Christi fidem ex Evangelio sustineant, atque ità hoc modo Ecclesiæ auctoritatem esse isagogen, quâ ad fidem Evangelii præparamur. Quo sensu & olim S. Augustinus dixit contra *Epist. fund. cap. 5. Ego non crederem (i. e. non credidissem :* quæ est phrasis apud Afros usu recepta: vide eundem Tom. I. de vit. beat. cap. 483. & Retract. lib. 1. c. 3.) *Evangelio, nisi me Ecclesiæ Catholicæ auctoritas commoveret (i. e. commovisset)* Loquitur sanctus ille vir de se, ut adhuc Manichæo, & ostendit, quòd occasione Ecclesiæ, tanquam manuductricis, invenerit veritatem, ad modum civium Samaritanorum ad veritatem Christianam deductorum voce mulieris Samaritanæ de Christo testificantis Joh. 4. 39. 40. 41. 42.

XXX. Ad tertium quod attinet, Spiritus S. testimonium omni exceptione majus esse docemus, quo Canonicas agnoscimus Scripturas. Sine hoc enim testimonium Ecclesiæ, cui alioquin suas hîc etiam esse partes, suprà dictum modò, prorsus esset inefficax. Quis namque Judæorum aut Turcarum libris nostris fidem habet, licet ipsis probè constet, eos commendari ab Ecclesia? Johannes olim Christo perhibebat testimonium Joh. I. 7. sed *quis* propterea *ex primoribus credidit in eum, aut ex Pharisæis?* Joh. 7. 48. Si proinde quæratur,

 cur

cur vel propter quid credamus, Scripturam esse divinam, respondemus, propter notas divinitatis Scripturæ insitas. Si quæratur, *unde seu à quo* credamus; respondemus, à Spiritu sancto, qui hyperphysicâ efficaciâ nos idoneos reddidit ad percipiendos & agnoscendos istos divinitatis characteres. *Unctio* enim, teste Johanne 1. c. 2. 27. *docet nos de omnibus*: ergò maximè & primo de principio Religionis Christianæ. Vide & 1. Cor. 2. 12. Si denique quæratur, *quo* seu *per quod medium* hoc credamus, respondemus, per Ecclesiam: hâc enim Deus in promulganda & tuendâ Scripturâ utitur: quare & à Paulo στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας appellatur 1. Tim. 3. 15.

XXXI. Hanc internam Spiritus operationem & testificationem D. J. *periculosam* judicat, & *magis consistere in imaginatione, quàm in opere ipso*. Alii *lepidum somnium, elusionem & diverticulum* nuncupant. Sed quare D. Jureconsulte? Si *unctio*, ut supra ex 1. Joh. 2. 27. audivimus, *nos docet de omnibus*: Quî ergò non de principio Religionis Christianæ? *Non acceperunt* utique fideles *spiritum mundi, sed spiritum, qui est ex Deo, ut SCIANT, quæ Deus ipsis est gratificatus* 1. Cor. 2. 12. unde Psaltes ait, eos באור אלהים *in lumine Dei* (i. e. efficaci illuminatione Spiritus sancti) *videre* אור *lumen* (nempe sancti ipsius verbi) & spiritus & verbum individuo nexu in fœdere gratiæ conjunguntur Jes. 59. 21. *Spiritus Dei*, inquit Paulus Rom. 8. 16. συμμαρτυρεῖ *testatur unà cum spiritu nostro, nos esse filios Dei*: si testatur de nostra υἱοθεσία, quomodo nō de nostra fide? cùm *per eam simus* υἱοὶ τοῦ Θεοῦ *filij Dei* Joh. 1. 12. Imò idem ille Dei Spiritus ducit fideles suos (gradu licet inferiori quàm Apostolos) *in omnē veritatem* Joh. 16. 13. Si *in omnem veritatē*: ergò utiq; etiam in hāc cardinalem veritatē, *hos scilicet & illos S. Scripturæ libros*

esse

esse infallibile Dei verbum. Addis, *Iudæos & Turcas etiam interna motione, ratione Scriptorum suorum, gloriari: ejusmodi stolida quoque somnia Enthusiastis, Weigelianis aliisque innumeris sectis perquam familiaria esse.* En Catholicam Catholici Jurisconsulti in verbum Dei reverentiam! Si is tempore Johannis vixisset, dissuasisset haud dubie fidelibus credere, se *ab unctione doceri de omnibus*, quod Johannes ipsis prædicabat: cùm Judæi & Turcæ de eadem re gloriari possint: num ergò statim idem est, verè habere rem, & gloriari de re? Num vana Judæorum & Turcarum imaginatio tollet firmam fidelium Christianorũ persuasionem? Num propter Sedechiam Pseudoprophetam Micheas, cui contradicebat, desiit esse Θεόπνευστος? Num Lydiæ cor Deus ideo non adaperuit, quia Simon Magus fidem aliquamdiu simulavit? Num, quemadmodum verè fidelis agnitos illos divinitatis characteres perspicuè monstrare potest, ita & Judæus in suo Talmude & Turca in suo Alcorano? Sed en D. Jureconsulte, laqueum, quem nobis parâsti, tuo ipsius collo apto. Quæro ex te, *num Ecclesia Romana, id est, Papa vester*, cùm vos docet, hoc, quod habetis, esse Dei verbum, *habeat certam probationem, notas & κριτήρια*, per quæ ipsi certò constet, esse Dei verbum & non Talmudem vel Alcoranum, *an verò non habeat?* Si non habet: Libri Biblici juxta Ecclesiam vestram sunt Dei verbum, quia *sic vult, sic mandat, stat pro ratione voluntas.* Quod utiq; omni absurdo absurdius est. Si habet. Quænam illa? Estne testimonium alterius Ecclesiæ? at sic daretur progressus in infinitum: Aut est forte afflatus immediatus? at hoc esset litare Enthusiasmo, à quo D. Jureconsultus suam Ecclesiam vult esse quàm alienissimam. Quid ergò tandem, D. Jureconsulte?

Num dices, Ecclesiam hoc ex infallibilibus verbi divini notis cognovisse ope Spiritus sancti ? quemadmodum omnes vestri fatentur, qui Ecclesiam Scripturam non facere anthenticam concedunt, sed solùm declarare, adeoque prius eam talem esse; sic autem Papam tuum non minùs ferit objectio tua, si esset alicujus momenti, quàm nos Si pergis jam quærere ex nobis cum Jesuitis tuis, unde sciamus, Evangelium Matthæi esse verum Evangelium, potiùs quàm Evangelium Bartholomæi aut Barnabæ: quærimus vicissim; unde Ecclesia vestra hoc sciat? Si respondetis, Ecclesiam hoc cognoscere ex Scripturæ notis per testificationem Spiritus sancti, respondemus, & nos inde hoc cognoscere. Hic enim est *Spiritus sapientiæ* & *revelationis*, quem DEus omnibus suis fidelibus largitur 1. Johan. 4. 13. Unde Paulus ad Philippenses suos ait cap. 2. 1 2. *Si qua igitur consolatio est in Christo, si quod solamen charitatis, si qua communio spiritus, &c. explete gaudium meum, ut eodem sitis affectu, eandem charitatem habentes, unanimes & sententiis unum:* Et ad Corinthios 2. c. 4 13. *Quoniam habemus eundem Spiritum fidei*, &c. *nos quoq; credimus.*

XXXII. Patet ex iis, quæ diximus, quàm evidentissimè, nos à spiritu privato & Enthusiastico, quem D. Jureconsultus nobis affingit, abesse quàm longissimè. Quî enim nobis conveniat Enthusiasmus, qui hoc Spiritus sancti testimonium non statuimus quærendum esse extra verbum in immediatis afflatibus aut raptibus, sed in & cum Scriptura esse conjunctissimum, Quî etiam nobis tribuatur spiritus privatus, qui nullum alium spiritum nos habere credimus, quàm spiritum omnibus fidelibus communem? *Eundem spiritum fidei omnes habemus* 2. Cor. 4. 13. 1. Cor. 2. 12. Sed en D. Jure-

D. Jureconsulte, dum volebas loqui de spiritu privato & Enthusiastico, oculos tuos Romam ad Apollinem vestrum vertere te oportebat; Nam quis est *spiritus privatus*, nisi qui attribuitur illi soli *privatim*, sive jam in cathedrâ sive extra eam loquenti? Et is spiritus ideo non est Spiritus S. sed Enthusiasticus & erroris, quia non ab omnibus explorari potest, hoc est, quia juxta eam regulam, quæ omnibus tradita est, non potest se probare spiritũ lucis omni conscientiæ. Vellem discere ex te D. JCte, qualis fuerit ille spiritus, cujus ductu Concilia, Basileense & Constantiense, decreverint, Concilium esse supra Papam? Et qualis è contrario fuerit ille, qui Concilum Lateranense ultimum induxit ad statuendum, Papam esse supra concilium? unum eorũ manifestè falsum docuit: cùm autem Spiritus Dei falsum non doceat; fuerit, oportet *spiritus privatus*.

XXXIII. Quamvis autem unus idemque sit Spiritus, qui in fidelibus operatur, non est tamen æqualis illius in omnibus operatio: posito ergò, *inter pios & in Scriptura benè exercitatos Reformatos*, ut loqueris, reperiri, qui in divinitate librorum Biblicorũ dijudicãda non per omnia cõsentirent, si de ea interrogarẽtur, quid tum? sicut enim ille Dei Spiritus non conceditur omnibus æqualiter, ita nec omnes cognitionis luce ęqualiter ab ipso perfunduntur, vel æquali efficaciâ ad assensum permoventur. Hæsitaverit ergò Lutherus initio circa Epistolã Jacobi, vocaverit illam stramineam: quid ad rem? factum id, quia nondum satis illustratus erat lumine Spiritus sancti. Ostendant autem nobis Pontificii, si possint, post annum M. D. XXVI. in ulla editione Bibliorum *stramineam Epistolam*: Si lapsus judicio fuit Lutherus, nonne ei licuit (quemadmodum multis ex

Vete-

Veteribus idem licuit) sententiam corrigere? Lutheranos à nostratibus in dijudicandis libris Canonicis dissentire non *quotidiana experientia*, sed à veritate aliena Jesuitarum lingua docet. Nemo eorum (quod ego sciam) hodie est, quin libros Apocryphos rejiciat, alios verò cùm Veteris tum Novi Testamenti, qui nobis sunt Canonici, nobiscum pro Canonicis agnoscat: dubitationem superioris temporis non ad *auctoritatem*, sed ad *auctorem* referunt. *Disputatum apud quosdam fuit*, inquit Cl. Rudrauffius, Theologus Gissensis *Theol. tripart. pag. 74. non de auctoritate, sed auctore, quo scribente ad Ecclesiam venerint, utpote Epistola ad Hebræos, posterior Petri, secunda & tertia Iohannis, Iacobi & Iudæ Epistolæ & Apocalypsis Iohannis, &c. sed potius erant pia scrutinia & disquisitiones, quàm eorundem librorum rejectiones. Erant dubia non de re, vel doctrinæ sanctitate, sed de testimoniorum & judiciorum humanorum qualitate & varietate.* Ne ergò tibi amplius risum moveat D. Jureconsulte *Spiritus Lutheranus à Reformatorum Spiritu* hac in re dissensus: nullus enim est: Quod si tibi interim ridere porro volupe, rectiùs effundes istum risum tuum in Papas vestros, Sixtum V. & Clementem VIII. qui authenticam pronuntiarunt Vulg. versionem, quàm vulgò, sed falsò Hieronymi vocant, scatentem licèt vitiorum millibus. Dicas enim nobis D. Jureconsulte, qualis ille fuerit Spiritus, qui Sixtum Papam impulit ad hanc Versionem authenticam pronunciandam? Num fuit Spiritus sanctus? At ille Papas juxta vos ducit in omnem veritatem: Sixtum autem errâsse, agnovit successor ejus Clemens VIII. dum ejus versionem à multis vitiis emendavit. *Clemens VIII.* inquit Sorbona Parisiensis in Censur. edit. die 3. Febr. Ann. 1665. *nunquam suppressurus fuisset & Biblia,*

quæ

quæ Sixtus V. imprimi curaverat, & Bullam, quâ approbabat illorum editionem, nisi hic Papa errasset tam in uno, quàm in altero. Quæro autem porrò, qualis Spiritus Clementem moverit ad hanc eandem versionem deinceps de novo authenticam declarandam? Num ei Spiritus immediatè per internum afflatum & instinctum; an verò mediatè revelavit? *Prius* vix dixeris: augeret forte alioquin Sanctissimus Pater, quem ab Enthusiasmo alienum vis, Enthusiastarum numerum: Si autem *posterius*: Aut ergò Clemens ille exactè intellexit linguam Hebraicam & Græcam; aut non intellexit. Si non intellexit, quomodo potuit ille de Versione authentica judicare? Si intellexit: cur ergò tot etiamnum scatet ipsius versio vitiis & erroribus? de quibus vide supra cap. I. num. VII. Num fortè dices, quod Papa non intellexerit, intellexisse concilium? frustra: nam, prætérquam quòd hoc non daretur laudi Sanctissimo Patri vestro, sic credidisset Papa, quod Concilium; & Concilium, quod Papa: utraque autem pars de fidei suæ fundamento dubia hæsisset.

XXXIV. Gratias autem debemus D. Jureconsulto nostro, quòd fateatur, dari inter Reformatos etiam *pios homines*. Quòd si pii: ergò etiam salvandi: cùm, teste Apostolo 1. Tim. 4. 8. *Pietas habeat promissionem vitæ præsentis & futuræ.* Hoc autem si ei cordi est, quid judicaverint de ipso Jesuitæ sui, qui omnes Reformatos & Lutheranos, *exceptis iis, qui laborant ignorãtiâ invincibili*, ut loquũtur, i. e. qui melius capere non possunt, æternùm damnant. **Dieses ist ein hartes Nüßlein zu kracken/** (inquit Jesuita Elffius in suo Cathol. Simpl. ad quæstionem, **sollen dann alle Lutherische und Reformirten verlohren gehen?**) **muß gleichwohl gekrachet seyn/ rc.**

Ja/ Ja alle Un-Catholische gehen verlohren. Ich rede nicht von den kleinen Kindern der Evangelisch- und Reformirten/ die vor dem Gebrauch der menschlichen Vernunfft/ nach empfangener Tauff sterben/ dann selbige durch den Tauff von der Erb-Sünd befreyet/ und mit keiner andern würcklichen Todsünd beschmitzet/ seynd Kinder des ewigen Lebens. Ich rede auch nit von denen auffgewachsenen Lutherisch- und Reformirten/ qui laborant ignorantiâ invincibili, &c. Von welchen rede ich dann? Ich rede von den auffgewachsenen vernünfftigen Menschen/ welche anhangen der Evangelischen oder Reformirten Religion/ und wissen wohl/ daß ihre Religion nicht recht sey/ oder aber können es leichtlich besser wissen/ und haben darzu genugsame Gelegenheit/ gehen täglich mit uns Catholischen umb/ etc. Solche/ solche seynd verlohren ewig. Et ante ipsum Jesuita Costerus *in lib. Sodal. mox ab init. Extra hanc fidem Catholicam* (id est professionem fidei juxta decretũ Concil. Tridentini editam) *nemo salvus esse potest.* Et quid frequentius in concionibus Jesuitarum & Monachorum, quàm Lutherum & Lutheranos, Calvinum & Calvinistas, ut loqui amant, æternis Inferni ignibus adjudicare? Quoties ego ipse non audivi cani hanc cantilenam? Imò quoties mihi ipsi, ex quo scholas Papisticas frequentavi, non ingeminatum; *Ad orcum, ad orcum relegaberis, nisi amplexus fueris fidem Catholicam*, id est, Papisticam. Vah pectora non Christiana, sed prorsus Antichristiana! Ubi hîc charitas Christiana, quæ, dicente Apostolo, *omnia sperat* 1. Cor. 13. 7. Viderint autem novi isti Pharisæi (quorum damnationem non pluris facimus, quàm

olim

olim Pharisæorum veterum, Apostoli) ne, dum adeò prompti sunt in aliis damnandis, ipsi aliis damnationi sint propinquiores. Mitius hîc D. J. nostri judicium, fortè autē in gratiam uxoris suæ, matronæ honestissimæ, cujus honoris ergò hîc memini: hæc enim cùm, quantopere ipse etiam cum Jesuitis suis ei Papismum commendaret, in Religione Evangelicâ semper manserit, & etiamnum maneat constantissima, voluit hîc à cæteris Papicolis dissentire, ne in propriæ uxoris damnationem consentiret.

XXXV. Quòd libros, qui vulgò Apocryphi vocantur (quales sunt libri Tobiæ, Judithæ, Sapientiæ, Ecclesiastici, Maccabæorum, Baruchi, additamenta ad Danielem & Esteram, &c.) in censum Canonicorum non referamus, rationes sese nobis offerunt variæ. א Quia Ecclesia Judaica, *cui* tamen *fuerunt concredita* Λόγια τοῦ Θεοῦ Rom. 3. 2. hos libros nunquam agnovit pro Canonicis, sed in eodem nobiscum Canone, teste Josepho *lib. 1. contr. Appionem*, acquiescit, non effugitura certè Christi & Apostolorum reprehensionem, si ei libelli suprà dicti non minus ac alii concrediti fuissent. ב. Quia nec Christus nec Apostoli suprà nominatos libros in defensione & declaratione doctrinæ suæ unquam citârunt: nunquam etiam populum ad eos ablegârunt; adeoque nec illos pro Canonicis agnoverunt: Sed è contrario ipse Servator omnes V. T. libros in *Legem*, *Psalmos*, & *Prophetas* Luc. 24. 44. distribuendo, Canonem Judæorum apertè approbavit. ג. Quia Πᾶσαι θεῖαι βίβλοι τῆς παλαιᾶς διαθήκης τῇ ἑβραίων γλώττῃ ἐξ ἀρχῆς ἦσαν συντεθειμέναι, ut Chrysostomus loquitur *Hom. 4. in Genes.* i. e. *omnes divini libri V. T. primitus linguâ Hebraica fuerunt conscripti*: hi autem exarati sunt non Hebraicâ, sed Græcâ. ד.

Quia non ſunt compoſiti à Viris Propheticis, ſicut alii Rom. 16.26. 2. Petr. 1. 19. cùm prodierint poſt Malachiam (ut liquet ex Joſepho *lib. 1. contra Appion.* ex Euſebio *Demonſtrat. lib. 8.* Imò ex ipſis Apocryphis. *1. Maccab. 9. 27.*) quem fuiſſe Prophetarum ultimum conſtat *ex Malachia 4. 6.* & fatetur vetus Eccleſia, apud Hieronymum *libro 13. Comment. in Eſai. cap. 49.* in hæc erumpens verba; *Poſt Aggæum & Zachariam & Malachiam nullos alios Prophetas, uſque ad Iohannem Baptiſtam videram.* ה Quia à veteri Eccleſiâ Chriſtiana nulli libri, niſi quos & jam nos agnoſcimus, pro Canonicis fuerunt agniti; liquet id ex Hieronymo *in Prolog. Galeat.* Athanaſio *in Synopſ.* Epiphanio *in Hæreſ. Epicuraor.* inprimis ex Concil. Laodic. cap. 59. ו Quia complectuntur multa ſuſpecta, tradunt varia mendacia & fabulas, continent non pauca ἀσύςατα, quæ pluribus demonſtrata vide *in præfat. Belg. Interpr. ad libr. Apocryph.* Confer interim jam ἐν παρόδῳ *Sapient.* 8. 19. 20. *Eccleſiaſtic.* 46. 20. *Eſdr.* 6. 40. *Tob.* 5. 12. & 6. 8. *Iudith.* 9. 2. 2. *Macchab* 14. 42. & 16. 39. cum 2. *Macchab.* 2. 4. & diſces ex his paucis, cujus farinæ ſint reliqua.

XXXVI. Cl. Molinæo, dum hanc ultimam rationem inprimis urget, reſpondet D. Jureconſultus, *etiam in aliis libris, ejusmodi abſurda,* ἀσύςατα *& contradictoria, ſi rationi velimus locum eſſe, occurrere, qui tamen nihilominus à nobis pro Canonicis agnoſcantur.* Itáne D. Jureconſulte? Videamus, quî probes: *pius Lothus,* inquis, *ſuas ipſius filias, aliis viris modò deſponſas, Sodomitis ad impudicitiam obtulit* Geneſ. 19. 8. *Rex Abimelechus Saram uxorem Abrahami, cùm jam ſenex eſſet & vergeret ætate, imò illud vivendo aſſecuta tempus, quo ei deſierat eſſe ſecundùm conſuetudinem mulierum, allectus ipſius pulchritudine, adſe aſſum-*

assumpsit Gen. 20.2. *quod utique de mulieribus tantæ ætatis gradum assecutis auditu mirabile.* Ejusmodi exempla plura in sequentibus adfers, ut de Isaaco, *qui interrogatus de Rebecca, præ metu responderit, illam esse suam sororem, quod tamen non verum fuerit* Gen.11.27. & cap. 22. De Jacobo, *qui, exstinctu matris, se coram patre suo pro Esavo venditarit* Genes.27. De gallicinio, de alabastro unguenti, de itinere Jacobi in Æpyptum, *de quibus inter Sacros Scriptores non conveniat.* &c. Ad quæ antequam respondeam, quæro ex D. Jureconsto, num ἀντιλογίας, quas in libris nobis Canonicis occurrere dicit, existimet esse *revera* tales, an verò *apparenter* tantum: Si *prius*: pugnat cum ipso Deo, utpote ex cujus Spiritu libri illi inspirati sunt, ac proinde de libris, quos Pontificii æque ac nos pro Canonicis agnoscunt, blasphemè loquitur. Si *posterius*: nihil dicit: nam sic, ipso fatente, in libris nostris veræ contradictiones, quales occurrunt in Apocryphis, non reperiuntur. Ad loca, quæ demonstrandæ ἀντιλογίας ergò adfert, facilis responsio. Nam 1. quod attinet ad Gallicinium, dicit quidem Matthæus cap. 26. 34. Christum dixisse Petro, *ista nocte, antequam gallus vocem emittat, ter me abnegabis*: dicit etiam Lucas c.22. 34. Christum dixisse eidem, *nequaquam emittet vocem hodie gallus, priusquam ter neges, quòd tu me noveris.* Marcus verò dicit, Dominum dixisse, *priusquam bis gallus vocem miserit, ter abnegabis me* cap. 14. 30. Quæ autem hîc contradictio D. Jureconsulte? Solet gallus duobus distinctis temporibus canere: nimirum 1. à media nocte. 2. medio inter μεσονύκτιον & auroram spatio: unde adagium vetus apud Parœmiographos, de quo multa Erasmus; πρὶν ἢ τὸ δεύτερον ἀλεκτρυὼν ἐφθέγγετο, *priusquam gallus secundo canat*, id est, summo mane. Hoc ultimum gallicinium semper in-

intelligendum est, si quid legitur factum esse sub gallicinium, sine numeri adjectione: quod sic nuncupatur καθ' ἐξοχὴν, vel quia tum galli alacriores sunt in canendo, vel, quia hominibus tum majorem utilitatem, revocando scilicet eos ad consueta negotia, præbent, vel denique, quia prioris gallicinii tempus alio, nimirum μεσονυκτίου nomine insigniri solet, vide Macrobium *Saturnal. lib. 1. cap. 3.* & Censorinum *cap. 19.* Liquet hinc, Marcum optimè conspirare cum cæteris Evangelistis. Nimirum cùm Petrus Christum primâ vice abnegaret, circiter mediam noctem, tum gallus primò cecinit: cùm verò ipsum tertiâ vice abnegaret, nimirum sub illud tempus, quod vocari solet *gallicinium*, gallus secundo cecinit. Quæ hîc pugna? Cæteri Evangelistæ, cùm gallicinium simpliciter nominent, intelligunt secundum, ut suprà demonstratum: Hoc autem, cùm disertè expresserit Marcus, optima omnium est conspiratio. Dicit quidem D. Jureconsultus, trinam Petri abnegationem antecessisse primum gallicinium: at sine ulla veritate: desidero probationem: ℣. 69. & seqq. cap. 26. Matthæi & vers. 34. cap. 22. Lucæ, ad quos provocat, nihil tale liquet.

XXXVII. Pugna, quam prætendis Matthæum inter & Marcum & Johannem de unguento à Maria in caput Christi effuso intercedere, pariter imaginaria est: Matthæus c. 26. 7. refert, fuisse ἀλάβαστρον μύρου βαρυτίμου, *alabastrum unguenti gravis pretii:* idem, vel te fatente, testatur Marcus, qui & addit, νάρδου πιστικῆς πολυτελοῦς cap. 14. 3. Cùm his vero quomodo pugnat Johannes, cùm ait; Mariam accepisse λίτραν μύρου νάρδου πιστικῆς πολυτίμου *libram unguenti, nardi liquidæ, multi pretii?* quis, licet vel ipse Argus, hîc viderit contradictionem? videt tamen D.

Jure-

Jureconſultus noſter. J*ohannes contrà refert*, ait, *non fuiſſe aquam, ſed unguentum*. At quid eſt adverſus ſolem loqui, ſi hoc non eſt. Teſtantur Matthæus & Marcus non minus quàm Johannes, fuiſſe *μύρον unguentum* & ille tamen non niſi apud Johannem *unguentum* legi, prætendere non erubeſcit. Verum eſt, Johannem dicere, *Mariam* hoc unguento *unxiſſe pedes Ieſu*, ſed non dicit, *ſolos pedes*: an repugnat, utrumque ab illa factum eſſe? Sed reſpondeat tibi Jeſuita veſter Salmero; *Epiphanius* (inquit ille Part. 3. Tract. 29.) *addit lib. de ponder. & menſuris, alabaſtrum menſuram eſſe olei, libram capientem, non quidem ponderalem, ſed menſuralem: ut ita mirificè conſpirare videantur duo Evangeliſtæ priores cum* Johanne. *Nam quod illi vocant alabaſtrum unguenti, alter vocat libram unguenti.*

XXXVIII. Cùm Paulus dicit Act. 27. 33. ad eos, qui cum ipſo in navi erant; *dies eſt hic decimus quartus, ex quo exſpectantes, jejuni permanetis*, μηδὲν προσλαβόμενοι *nihil* cibi *accipientes*, ſenſus eſt, *quaſi nihil*: ut liquet verſu 21. ejusdem capitis, πολλῆς δὲ ἀσιτίας ὑπαρχούσης, *exiſtente autem multa inedia* ſeu *cibi defectu*. *Non eſt intelligendum, nihil omnino accepiſſe*, inquit idem Jeſuita veſter Salmero Tom. 12. Tract. 57. *quia vitam protrahere non potuiſſent: ſed humano modo & more loquitur, quo dicimus, eos non edere, qui parum edunt: quemadmodũ Iohannes Baptiſta veniſſe dicitur, neque manducans, neque bibens, & quod id, quod parum admodum eſt, quaſi nihil ſolet reputari.* Diſcis ergò ex ipſo Jeſuita tuo, qua ratione verba Pauli non pugnent cum natura.

XXXIX. Nulla etiam pugna Stephani Act. 7. 14. dicentis, *Ioſephum accerſiiſſe patrem ſuum Iacobum, omnemq; cognationem, capitum 75.* cum Moſe, aſſerente Gen. 46. 27.

omnes

omnes animas familiæ Iacobi , *quæ venerit in Ægyptum, fuisse septuaginta* : nam Moses genealogiam Jacobi, eorumque, qui ex lumbis ejus descenderunt, describit ab amplitudine; quàm ampla nimirum familia Jacobi fuerit tempore ingressus ipsius in Ægyptum : *Omnes animæ familiæ Iacobi, inquit*, הבאה מצרימה *quæ venit in Ægyptum, fuerunt 70.* Stephanus autem recenset, quales Josephus in Ægyptum curaverit adducendos, & quàm ampla tum temporis fuerit universa Josephi cognatio in terra Canaan, nimirum 75. Hoc numero excluditur Jacobus ipse, utpote qui speciatim hîc memoratur; præterea Josephus & ambo ejus filii, tanquam modo in Ægypto degentes; porrò filii Pharesii, Hezrom & Hamul, utpote nondum nati. Sic remanent undecim Josephi fratres cum sorore Dina & suis 52. liberis. Horum undecim cuivis si jam sua adnumeretur uxor (nam uxores ad hanc etiam συγγένειαν pertinuisse, quis ierit inficias?) prodibunt 75. animæ.

XL. 2. Sam. 23. 8. nihil quoque occurrit, quod repugnet loco 1. Chron. 11. vers. 11. illic enim non dicitur filius Hachmoni (seu Tachcemonita) octingentos viros hastâ confodisse, ut tu scribis, sed dicitur *octingentos viros invasisse animo confodiendi:* Ita enim habet Hebraica veritas הוא עדינו העצנו על שמנה מאות חלל בפעם אחת *huic gratum fuit hastam suam* (arripere) *adversus octingentos viros, qui una vice confossi sunt:* hîc autem (1. Chron. 11. 11. dicitur trecentos confodisse. Quæ pugna? octingentos invasit sed trecentos confodit: hos ille solus, cæteros autem alii confoderunt.

XLI. Imaginariæ ergò tantùm sunt D. J. contradictiones, quas monstrare hactenus allaborâsti, non veræ: id quod tu ipse negare non potes, nisi inter blasphe-

phemos referri velis: In suprà dictis autem Apocryphis innumera ferè ἀσύςατα & contradictoria occurrunt, verè & reipsa talia; & quidem non rarò tam manifesta, ut manibus quasi palpari queant. Demonstratu mihi, & quidem per singulos libros esset facillimum, nisi ad alia instituti mei me vocaret ratio. Inspiciamus jam brevitatis gratiâ parumper libros Macchabæorum; quot in eis non ἀσύςατα? quot absurda? quot contradictoria? v.g. 2. Macch 1.16. dicitur Antiochus in templo Nanææ lapidatus fuisse & in partes dissectus: contrà 1. Macch. cap. 6. 8. 16. dicitur idem decumbens lecto incidisse in infirmitatem ex tristitia, & hinc diem suum supremum obiisse Babylone. Alibi autem, nim. 2. Macch. 9. 28. dicitur idem peregrinus in monte, postquam ob immedicabilem viscerum dolorem de corpore ipsius vermes eruperint, misertimè vitam finiisse. Porrò 2. Macchab. 10. 2. 3. legitur templum purgatum fuisse post obitum Antiochi: contrà 1. Macch. 4. 36. legitur id factum esse à Juda, postquam ille adversus Lysiam victoriam reportaverit, ac proinde ante mortem Antiochi, utpote quæ demum sequitur cap. sext. Porrò 1. Macch. 9. 3. 18. Judas Macchabæus dicitur in prælio interiisse anno centesimo, quinquagesimo secundo: contra 2. Macch. 1. 1. 9. 10. dicitur idem anno 188. literas exarâsse in Ægyptum (in textu enim originali illic versu 10. non habetur *Johannes*, sed *Judas*) Plures ejusmodi palmarias cõtradictiones vid. *in præf. Belg. Interpr. ad libr. Apocryphos.* Quid? non duntaxat sibi, sed & ipsi Dei verbo expresse hic Auctor contradicit: nam 2. Macchab. cap. 14. 37. 41. 42. dilaudat factum Rhazis, qui contra præceptum sextum Exod. 20. 13. sibi ipsi vitam ademit. (2.) 2. Macch. 2. 4. 5. narrat, Jeremiam invenisse domi-

S cilium

cilium in spelunca factum, & tentorium & arcam atque altare suffitus intulisse illuc, usque ad reditum populi, contra illud, quod legitur Jerem. 3. 16. Plura hujus commatis vide 2. Mac. 1. 18. 22. & 2. Mac. 12. 43. Tegumenta, quæ hic quærit Bellarminus vester, verè ficulnea sunt, ut pluribus contra ipsum ostendit Cl. Chamierus noster *lib. 5. de Can. cap. 8.* Et quid tandem opus verborum ambagibus? Cùm ipse Auctor fateatur, se non ex inspiratione divina scripsisse. 2. Macch. 2. 24. dicit, *se tentâsse uno volumine contrahere, qua à Iasone Cyrenao* (qui utique Propheta non fuit) *declarata libris quinque fuerint*, & quidem in hunc finem, *ut volentibus legere exhiberetur delectio.* Illéne jam est liber divinus, qui ex libro profano ad concitandam lectori delectationem compilatus est? Postea sub finem cap. 15. vers. 39. dubitat, an rectè scripserit: *Si quidem*, inquit, *benè & prout compositionem perstringi convenit*, præstitero, *hoc etiam volui*: εἰ δὲ εὐτελῶς καὶ μετρίως, *Sin autem exiliter & tenuiter, hoc tamen est, quod potui assequi.* Cæcior talpa sit, oportet, qui non videat, hæc merè humana esse; adeoque hunc librum ex inspiratione Spiritus sancti, utpote qui de opere suo non dubitat, an benè fecerit, non prodiisse. Imò secundùm vulgatam Pontificiorum versionem, petit Auctor ab hominibus veniã, si fortè lapsus fuerit. *si quidem bene*, inquit, *& ut historia competit, hoc & ipse velim: si autem minùs dignè, concedendum est mihi.* Quæso te D. Jureconsulte, num Spiritui sancto convenit, labi posse? an eidem convenit, homines veniam lapsuum rogare?

XLII. Ex hoc jam de Macchabæorum libris specimine disce etiam metiri dignitatem aliorum. Verum est, etiam in libris Canonicis mendacia, impia & absurda

absurda recenseri. At longè aliud est, *absurda & impia recensere* : & aliud , *ea laudare & approbare. Prius* quidem etiam in libris Canonicis obtinet (recensent enim sacri Scriptores non rarò hominum dicta mendacia & facta impia, quæ aliàs ignorâssemus) At non *posterius*: obtinet autem id quàm evidentissimè in libris Apocryphis. Exemplo nobis jam sit, quem ipse citas, liber Judithæ: præterquam quòd in eo occurrant manifestæ pugnæ cum Scripturâ Dei Canonicâ (V. G. cap. 9. 2. legitur Juditha cædem in Sichemitis à Simeone commissam laudâsse ; cùm è contrario Jacobus eam fuerit detestatus Genes. 49. 5. 6. &c.) Auctor hujus libri non duntaxat blasphemias , mendacia & fraudes Judithæ, quibus circumvenit Holofernem, recenset (V.G. quòd ad Deum dixerit ; *percute hunc servum fraude labiorum* c. 9. vers. 12. Item, δὸς λόγον μοι καὶ ἀπάτην, *da mihi sermonem & fraudem*. ℣. 18. &c.) sed etiam approbat per totum ; imò etiam eam introducit , *tanquam fœminam perquam prædicabilem, quæ Deum timuerit valde, nec fuerit, qui eam ullius rei insimularet* cap. 8. 8. Ostende nobis simile quid in Auctoribus Canonicis D. Jureconsulte ? Verum est, ut suprà modo dictum , etiam illos de sanctis hominibus recensere, quæ Legi Dei contrariantur : At aliud longè est aliorum peccata referre ἐγκωμιαστικῶς , aliud διηγηματικῶς : tantum abest, ut illi impia aliorum facta extollant (quemadmodũ hic Auctor mendacia & fraudes Judithæ in decipiendo Holoferne laudibus ubiq; extollit) ut è contrario illa reprehendant aut Dei judicia, quæ eos propterea corripuerint, enarrent, ac proinde eorum errores sic quasi clam redarguant. Ne jam addam, tale nunquam peccatum à sancto homine per Spiritum Dei acto commissum legi, ut non tantùm pe-

tierit, ut Deus benediceret fraudi & mendacio, sed etiam, ut sibi fraudem inspiraret. Quod quid aliud est, quàm Deum in Satanam convertere?

XLIII. Sed unum adhuc est D. Jureconsulte, de quo, antequam ad alia progrediar, à te erudiri vellem: nimirum, quare Concilium Tridentinum, cùm occuparetur in libris Apocryphis canonizandis, non etiam in censum librorum Canonicorum retulerit reliquos libros Apocryphos, ut *tertium & quartum librum Esdræ*, item *tertium & quartum librum Macchabæorum* & *Orationem Manassis, &c.* Nos hosce libros rejicimus ob easdem causas, ob quas & alii Apocryphi dicti, à nobis rejiciuntur, suprà numero XXXV. recensitas: sed cur Concilium vestrũ Tridentinum potiùs rejecerit librum 3. & 4. Macchabæorum, quàm primum & secundum, & sic deinceps? ex te discere vellem. Aut enim dictum jam Concilium habuit causam libros illos præ aliis rejiciendi, aut non habuit. Quòd non habuerit, non dixeris. Si habuit, monstrari mihi velim, quid in illis divini observaverit præ his. Quanto Papicolæ oculatiores sunt ipsis S. Patribus! qui hos libros non minùs allegant (adeoq; non minoris authoritatis esse agnoscunt) quàm etiam alios Apocryphos. Sic Ambrosius *de bono mortis cap. 10.* sub titulo *S. Scripturæ* allegat quartum librum Esdræ. Tertium & quartum etiam allegant Athanasius *Serm. 3. contr. Arianos*, & Cyprianus *advers. Demetr.* Sic quoque Appendix Jobi à variis Patribus Origene, Augustino, Chrysostomo, Athanasio & aliis, teste Jesuita Bonfrerio, *Praloq. in S. Script. cap. 5.* citatur. Dicant autem nobis Pontificii, num argumentum, quod à citatione S. Patrum desumunt ad probandum alios libros Apocryphos, quos ipsi habent pro Canonicis, esse Cano-

Canonicos, agnoſcant validum, an verò non: Si *poſterius*: quare eo utuntur? Si *prius*: liquet eodem, non minùs hos libros, quos ipſum Concilium Tridentinum tanquam Apocryphos rejicit, eſſe Canonicos. Genebrardus veſter non dubitavit etiam hos libros pro Canonicis venditare: qui eapropter vapulat à Bellarmino lib. 1. de Verb. Dei c. 20. At Bellarmino non major cauſa erat reprehendendi Genebrardum, quàm ipſum Concilium Tridentinum, utpote quod quidem hos libros juſtè ex Canone excluſit, ſed è contrario alios Apocryphos, qui melioris non ſunt cõmatis, incluſit. Fortè ut ad incluſionem illorum, ſic ad excluſionem horum movit ſanctos illos Patres Tridentinos illud tritum: *Sic volo, ſic jubeo, ſtat pro ratione voluntas.*

XLIV. Devolvit tandem D. J. omnia in Eccleſiam, *exiſtimans longè tutius eſſe, ut in omnibus alijs ſalutem æternam concernentibus rebus, ita quoque in hac, communi à tot centenis multorum ſeculorum Patribus facto, & usque ad adventum Lutheri ſine interruptione obſervato S. Eccleſiæ decreto, quàm uni aut alteri perſonæ privatæ, erroribus magis, quàm tot in nomine Dei congregati Patres, obnoxiæ, adhærere & ſequi.* Ad quæ multa reponi poſſent: quæ tamen (commodiori loco reſervata) jam, brevitati intenti, præterimus. Vult, ut hac in re audiamus veterem Eccleſiam, Concilia & Patres: Non renuimus: ſed nihil certè lucri inde ad ipſum redibit. Syllogiſmus ex ipſius mente erit talis. *Libri, qui à vetere Eccleſia pro Canonicis fuerunt agniti, verè ſunt Canonici: atqui libri, quos Reformati vocant Apocryphos, ſunt libri, qui à veteri Eccleſia pro Canonicis fuerunt agniti: Ergò libri, quos Reformati vocant Apocryphos, verè ſunt Canonici.* Minor falſiſſima eſt: Univerſa Eccleſia cùm Judæorum, tum Chriſtianorum dictos libros in enu-

meratione Canonicorum omisit, aut expressè rejecit. De Ecclesia Judaica id suprà *num. 35.* demonstravimus: de Christianâ idem etiam & quidem de seculo in seculum contra Jesuitam Ottonem nuper adhuc peculiari Tractatu, qui ab ipso inscribitur ΗΑΛΗΘΕΙΑ ΠΑΝΔΑΜΑΤΩΡ, evidentissime demonstravit Celeb. Heideggerus noster, quò brevitatis gratiâ te ablegatũ volo. **Wer hat einem außgesprungenen Mönch** (interrogat Jesuita Elffius lib. suprà cit. Tract. 2. cap. 1.) **nemblich dem Luther/ und einem von uns abtrinnigen** Novio**dunischen Capellan/ nemblich dem** Calvino **die Gewalt geben/ jetzt erzehlte Bücher/ gegen den Schluß und Meynung der Allgemeinen Kirchen auß dem Wort GOttes nach ihrem Belieben außzumustern?** En papisticam modestiam! En Jesuiticam veritatem! Lutheri & Calvini nomen vix exprimere possunt sine bile & rancidarum de ipsis næniarum occentu: Interrogamus autem interrogantem vicissim: quis Jesuitæ, à Lutheranis apostatæ, dedit potestatem ità apertè mentiendi? nam mendaciũ est, *Calvinum fuisse Novioduni Capellanum, seu Diaconum:* mendacium etiam est, *eundem cum Luthero suprà dictos libros adversus decretum & sententiam Ecclesiæ Catholicæ ex verbo Dei pro lubitu suo expunxisse.* Quî enim, quæso, Lutherus & Calvinus suprà dictos libros ex Canone expunxissent, adversus sententiam Catholicæ Ecclesiæ, qui nunquam ex mente veteris veréq; Catholicæ Ecclesiæ fuerũt in Canone sacro? Audi Hieronymum. *Hic prologus*, inquit ille in prolog. galeat. *Scripturarũ quasi galeatum principium, omnibus libris, quos de Hebræo vertimus in Latinum, convenire potest, ut scire valeamus, quicquid extra hos est, inter APOCRYPHA esse reponendum. Igitur Sapientia, quæ vulgò Salomonis inscribitur, & Jesu filij*

Sirach liber & Iudith, & Tobias & Pastor, NON SVNT IN CANONE. *Macchabaeorum primum Hebraicum reperi. Secundus Graecus est.* In praefat. in Esdr. *Quae non habentur apud Hebraeos, nec de XXIV. senioribus sunt, sunt rejicienda.* Et in praefat. in Proverb. *Sicut ergo Iudith & Macchabaeorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter Canonicas Scripturas non recepit: sic & haec duo volumina* (loquitur de Jesu filii Sirach libro & de alio pseudepigrapho) *legat ad aedificationem plebis, non ad auctoritatem Ecclesiasticorũ dogmatum confirmandam.* Idem (veterem scil. Ecclesiam eosdẽ nobiscum & non alios libros canonicos agnovisse) patet ex *Concil. Laodic.* cap. 59. *Melitone* Sardensi Episcopo, qui vixit An. Ch. 16. *apud Eusebium Hist. lib. 4. cap. 25. Epiphanio* in haeres. Epicur. *Athanasio* in Synopsi, &c. Sed quid nos fundimus verba? Jesuitis affirmantibus incumbit probatio. Probent illi suprà negatam *Minorem*: probent illi veterem Ecclesiam libros, quos nos *Apocryphos* dicimus, agnovisse pro *Canonicis*.

XIV. Ad Concilium Carthaginense tertium, habitum Ann. Christi 397. frustra provocat Elsius cum suo Bellarmino: nam 1. Canon 47. quem allegat, huic Concilio falsò adscribitur, agnoscente ipsomet Cardinale Baronio *ad A. 419. n. 95.* cùm meminerit Papae Bonifacii, qui demum Ann. 22. post habitum Concil. Carthaginense tertium Papa evasit. Unde à Surio Carthusiano Monacho *Tom. 1. Concil.* hic Canon non huic tertio, sed septimo Carthaginensi Concilio vindicatur. (2.) Hoc Concilium non fuit universale, sed nationale, quod nihil determinare potuit in praejudicium totius Christianismi, nisi velint Domini Jesuitae Aphricae Episcopos potuisse leges ferre universali Ecclesiae. (3.) Concilium

cilium hoc (ac proinde etiam Augustinus, qui huic Concilio ipse interfuit) cùm dictos libros Canonicos vocat, non sumit vocem *Canonis strictè* & *propriè* de Canone fidei, sed latè, quo sensu catalogum librorum omnium, qui in Ecclesia ædificationis qualiscunque gratiâ legebantur, notat, opposité ad illos libros, qui ceu impii & scandalosi publicè rejecti fuêre, adeò ut ne digni quidem in Ecclesiâ lectu judicati fuerint: cujusmodi erant illi, qui sub nomine Adami, Abrahami, Mosis & aliorum à variis Sycophantis venditati fuerunt, quos ea-propter etiam Augustinus expressè *Apocryphos* nuncupavit *lib. 11. contr. Manich. cap. 5. & lib. 5. de C. Dei cap. 24.* Hanc esse mentem hujus Concilii in suprà dicto Canone 47. non uno modo evincitur. (1.) Quia ante illud Concil. eos nemo inter Canonicos propriè dictos retulit, & post illud Gregorius Romanus, & promulgatores Bibliorum omnium per Occidentales Ecclesias, quibus Hieronymi prologus Galeatus præfixus est, Glossæ ordinariæ & Decreta, Hilarius, Damascenus, Lyranus, Abulensis & alii, quoties accuratè locuti sunt, Hieronymi Canonem fuerunt secuti. (2.) Libris Canonicis etiam *passiones Martyrum* annumerat. *Liceat & legi passiones Martyrum*, inquit, *cùm Anniversarij eorum dies celebrantur*. Paulò ante autem dixerat. *Placuit, ut præter Scripturas Canonicas nihil in Ecclesia legatur*. Unde evidentissimé patet, supra memoratum Concilium vocem *Canonis* non *strictè* & *propriè* (quo sensu utique vel ipsis Pontificiis fatentibus *passiones Martyrum* Canonicis adscribi nequeunt) sed *latè & inclusivè ad Canonem Ecclesiasticum usurpâsse*. (3.) Idem etiam ex Augustino, qui Ecclesiæ Aphricæ primas tenuit, liquet: includit ille *lib. 2. de Doctrina Christ. cap. 8.* Canoni S. Scripturæ

etiam

etiam libros Apocryphos: Quòd autē vocem *Canonis* sumat sensu latiori, quo etiā complectitur libros humanos, qui cum fructu in Ecclesiâ legi possunt, ex eo haud obscure patet, quòd non solū libros Canonicos opponit iis, qui *periculosis mendaciis atq; phantasmatibus eludunt* (adeoque Ecclesiæ nihil utilitatis præstant) & huic Canoni inserit Syraciden & libros Macchabæorum, cùm tamen *Retract. l. X. 11. 10.* post scriptum suprà dictum librum de Doctrina Christ. expresse dicat, se Syraciden ejusque verba non habere Prophetica: Et *Contr. Epist. Gaud. lib. 11. 23.* Scripturam Macchabæorum ab Ecclesia esse receptam *non inutiliter, si sobriè legatur vel audiatur, maximè propter illos Macchabæos, qui pro lege Dei sicut verè Martyres à persecutoribus tam indigna atque horrenda perpessi sunt*: sed etiam in enumeratione hujus Canonis expressè distinguit; *Tenebit*, inquiens, *igitur hunc modum in Scripturis Canonicis, ut eas, quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis Catholicis, præponat eis, quas quædam non accipiunt. In eis verò, quæ non accipiūtur ab omnibus, præponat eas, quas plures gravioresque accipiunt, eis, quas pauciores minorisque authoritatis Ecclesiæ tenent, &c.* Ubi nemo non videt, Augustinum à mente Tridentinorum, qui Apocryphos *pari pietatis effectu* recipi volunt cum Canonicis, abfuisse quàm longissimè. Sed quid multis? Audiat Jesuita Cardinalem suum: Est is Cajetanus, qui *in fin. Comment. in V. Test.* ita ait. *Ne turberis, si alicubi reperies libros istos* (Apocryphos) *inter Canonicos supputari, vel à S. Conciliis vel à Doctoribus. Nam ad Hieronymi limam reducenda sunt tam verba Conciliorum, quàm Doctorum: Et juxta illius sententiam ad Chromatium & Heliodorum Episcopos libri isti (& si qui alij sunt in Canone Bibliæ similes) non sunt Canonici, id est, non sunt regulares ad formandum ea, quæ sunt fidei: possunt*

tamen dici Canonici, id est, regulares ad ædificationem fidelium, utpote in Canone Bibliæ ad hoc recepti & authorati. Cum hac distinctione (arrige aures D. Elffi) *discernere poteris dicta Augustini & scripta in Provinciali Concilio Carthaginensi.* Cesset ergò Bellarminus scribere lib. 1. de Verb. Dei cap. 20. *Augustinum non fuisse æquè certum de omnibus libris, quos enumeraverat, an essent Canonici.*

XLVI. Huic distinctioni si D. Elffio suam de *Protocanonicis* & *Deuterocanonicis* libris accommodare placeat, per nos quidē licebit, dūmodo id non tam referatur ad temporis, quàm ad auctoritatis gradus, ut suprà etiam hanc inæqualitatem ex Augustino audivimus. Aliàs sensu Papistico vulgari (quo volunt in Ecclesia Christianâ diu de quibusdam libris utriusque Testamenti dubitatum esse, eos autem, quos Ecclesia primùm receperit, nuncupatos fuisse *Protocanonicos*, alios verò *Deuterocanonicos*) falsissima est & toti antiquitati ignota. Et redarguitur etiam ex professo à Driedone Professore Lovaniensi eruditionis nomine celeberrimo, dum ait de Catal. S. Scripturæ lib. 1. cap. 2. *Certò cognoscimus primitivam Ecclesiam, immediatè à Christo & ab Apostolis edoctam, nonnullis etiam Apostolis adhuc viventibus easdem habuisse Scripturas.* Porrò. *Concors omnium Patrum professio secundùm successionis seriem, unanimiter utentium sacrosanctis 4. Evangeliis, aliisque Scripturis Apostolicis, in nostro Canone designatis, efficax est argumentum, hunc, quem nunc habemus Scripturarum Canonem, esse verum & Apostolicum Canonem, certis suis libris & terminis definitum.*

XLVII. Frustra porrò provocat D. Elffius ad Innocentium I. Gelasium & Concilium Florentinum, tanquam à quibus Canon supradictus fuerit confirmatus: Nam 1. ad Gelasium quod attinet, adjungit illo qui-

quidẽ libros Apocryphos reliquis V. T. libris(omisso tamen Baruchi & alterutro Macchabæorũ libro) at sine ulla mentione, an pari cum aliis dignitatis gradu recipiendos censeat. Titulus ità se habet. *Ordo librorũ V. T. quem S. & Catholica Rom. suscipit & veneratur Ecclesia, digestus à Gelasio Papa cum 70. Episcopis.* Quis autẽ Reformatorũ negat, libros Apocryphos esse libros Vet. Test. & quidem (eò quòd multa utilia complectantur) dignos veneratione? 2. Concilium Florentinum quod spectat, id 1. non fuit Concilium Oecumenicum. 2. etiam in hoc Concilio ne γρῦ quidem de Canone S. Scripturæ occurrit: ut hoc ex hujus Concilii Actis à Surio, Binio & aliis conscriptis liquet. Sed demus D. Elffio, Gelasium, demus, hoc Concilium, demus, deniq; Innocentium I. quem adjungit (qui tamen in enumeratione librorum manifestum commisit errorem, dum numeravit 5. libros Salomonis, adeoque Sapientiæ & Sirachi libros Salomoni attribuit) suprad. Canonem Conc. Carthaginensis confirmâsse, quid inde pro Pontificiis? Acceperunt vocem *Canonis* non *strictè* & *propriè*, quatenus Catalogum librorum absolutè divinorum ad confirmationem dogmatum fidei & morum valentium, significat: sed *latè* & *impropriè* pro Catalogo librorum omnium, qui in Ecclesia ædificationis qualiscunque gratiâ legebantur, quô latiori sensu etiam Concilium Carthaginense & Augustinum vocem *Canonis* accepisse suprà audivimus.

XLVIII. Inaudita proinde audacia fuit Concilii Tridentini, quâ, & quidem præsentibus tantum 70. Concilii membris, iisq; præcipuè Hispanis aut Italis, nec ipsis hac in re satis conspirantibus (contradixisse enim huic temeritati non infimæ sortis Theologos Pontificios, ipse testatur Paulus Suavo Polanus Pontificius Hist.

T 2 Concil.

Concil. Trid. lib. 2. pag. 134.) libros Apocryphos tanquam divinos & *pari pietatis affectu* suscipiendos sess. 4. Ann. 1546. die 8. Aprilis Ecclesiæ obtrudere non erubuit. Ostendite nobis, vos Domini Jesuitæ, ex tota antiquitate vel ullum Concilium, vel ullum S. Patrum, qui scripserit, Apocryphos esse *pari pietatis affectu ac reverentiâ* cum Canonicis suscipiendos? nullum nominare poteritis. Solius Concilii Tridentini vestri id opus est: illud hîc more solito ædilitatem gessit sine suffragiis, suo arbitrio Divinitatem dispensavit, adeoq; in Dei ipsius jus involavit.

PARAG. III.

DE

Cœlibatu & vitâ Monasticâ.

I.

MOnachi & Moniales, quales hodie in Romana Ecclesia conspiciuntur, quorumque Religionem Bellarminus lib. 2. de Monach. cap. 2. definit, quòd *sit status hominum ad perfectionem Christianam per paupertatis, continentia & obedientia vota tendentium*, nova sunt orbis Christiani monstra, Scripturæ & veræ antiquitati prorsus ignota, quantumcunque etiam D. Jureconsultus noster nobis vitæ Monasticæ antiquitatem commendare allaboret! Quis enim quæso, Apostolorum temporibus aut seculis ea proximè secutis ejusmodi cucullatos aut discalceatos Monachos ostenderit, qui, nuncupato triplici voto, imaginatione singularis meriti turguerint!

guerint! Sed quicquid sit de vestibus corporisque habitu, de quibus plura deinceps: dicemus jam tantùm de essentialibus Monachatus, id est, tribus votis, quæ statui Religioso, teste Zanchez *tom. 2. oper. moral. lib. 5. cap. 1.* ita sunt annexa, ut illis sublatis, & iste tollatur: unde & ab Azorio *Inst. moral. tom. 1. lib. 11. cap. 32.* substantialia dicuntur. Rationem suppeditat Bellarminus *lib. 2. de Monach. cap. 2. quia tres illæ virtutes, Paupertas, Continentia & Obedientia sunt instrumenta aptissima atq; utilissima ad* Monachis propositam *perfectionem acquirendam. Concupiscentiam carnis* tollit *Continentia, concupiscentiam oculorum Paupertas, superbiam vitæ Obedientia.* Lynceis si quis prioribus Christianismi seculis instructus fuisset oculis, tamen ejusmodi Monachos Pontificios videre non potuisset.

II. Persuadere tamen nobis conatur D. Jureconsultus, *multos tales non modò Apostolorum temporibus, sed etiam ante eorum tempora extitisse: imò ipsos Apostolos tales fuisse: Fateri etiam Theologos & Historicos cùm Reformatos tum Lutheranos, sacrum illum statum, quemadmodum in personis Apostolorum fuerit inchoatus, ità non longè post Ascensionem Christi à seculo ad seculum sine interruptione fuisse continuatum, imò à plerique S. Patrum servatum, &c.* Inter Monachos antiquissimos in sequentibus speciatim refert Eliam & Elisæum. Nugæ sanè nugacissimæ! Sed respondeat ei Rovenius, Archiepiscopus Philippensis Reipubl. Christ. lib. 1. c. 31. *Quidam*, inquit, (ut sunt Zanchez, Capuchinus, Stellarius & alii.) *nimis altè initia Monachatus petunt ab initio prope mundi. Sed hi advertere debuerunt, non idem esse virtutes Monasticas exercere & esse Monachum: nam rectè quidem dicitur, optimum quemque fuisse continentiæ, frugalitatis, tolerantiæ, mortificationis,*

 pieta-

pietatis, familiaritatis cum Deo (quæ vera sunt Monachorum ornamenta) amantissimum; nemo tamen inde sapienter concludet, NB. *institutum illud & consilium Monasticum, quod nunc viget, ab illis hominibus initium sumpsisse. Si Seth, Enos, Noë Dei nomen invocârunt; quidam etiam castitatem coluerunt, an ideò Monachi extiterunt? In Nazaræis aliqua figura posset agnosci Monachatus, eò quòd sanctioris vitæ causa se separabant, votum austerioris disciplinæ emittebant, certos ritus abstinentiæ observabant. At vota eorum ut plurimũ erant temporaria, & nemo propter ista vota ad Cœlibatum tenebatur.* Et paulò post. *Hieronymus quidem Epist. 4. & 13. Monasticæ vitæ institutum ad Eliam & Elisæum ac filios Prophetarum refert, alibi tamen in Epistola ad Eustoch. ad Paulum primum Eremitam. Sed certè imaginem quandam Monachismi in Elia & Elisæo & filiis Prophetarum quoad abstinentiam & austeram vitam, imò & communem vitam, agnoscimus, non autem vota paupertatis, castitatis & obedientiæ.* Si autem non vota, ergò nec vitam Religiosam cum hodiernis communem: siquidem teste Bellarmino, *essentia vitæ Religiosæ in votis illis ab omnibus hujus temporis Religiosis constituitur.* Mirum autem, cùm Elias & Elisæus inter veteres Monachos referendi veniant, cur ergò cum aliis Monachorum Patronis non colantur templis, aris & imaginibus? cur nullæ orationes peculiariter ad eos dirigantur? cur in Litaniis non æquè dicatur; *Sancte Elia, sancte Elisae, quàm S. Francisce, S. Dominice, &c. Ora pro nobis?* Fortè hoc fit, quia Elias & Elisæus tria vota Monastica, Monachatus essentialia, fuerunt obliti: aut quia sanctitatem suam debent Deo, cum Franciscus, Dominicus & alii Monachorum Patroni suam soli Papæ debeant.

III. Johannes Baptista & Apostoli Christi si fuerunt

sunt monachi, ubi leguntur ipsorum vota? quæ utique, ut supra ex Zanchesio audivimus, statui religioso ità sunt annexa, *ut illis sublatis, tollatur*. Audi interim rursus vestrum Archiepiscopum Rovenium. *Si ad N. Test. transeamus*, inquit ille l. suprà cit. *sunt qui primum authorem observantiæ Monachalis Christum Dominum ponant: quem acriter contendunt tribus etiã votis perfunctum, castitate, obedientia, paupertate. Hunc secutos esse Apostolos, de quibus dicitur Matth. 19.* Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. *Proinde Christum & Apostolos verè Monasticum vivendi ritum exorsos. Christum enim etiam adolescenti consilium dedisse*, si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, &c. *Multò magis Apostolos id consilij sectatos, ut Christianorum ad perfectionem duces. Unde D. Thomas 2.2.q.88.art.4.ad3. Apostoli, inquit, intelliguntur vovisse pertinentia ad perfectionis statum, quãdo Christum relictis omnibus sunt secuti; veruntamẽ hinc non efficaciter concludetur, illam Religiosæ vitæ formam, qualis nunc est in Regularibus, in Elia, Elisæo, Iohanne Baptista, Christo Domino, Apostolis, ac primis Apostolorum discipulis præcessisse, &c.* Et paulò post. *Dicere primos illos fideles cum Apostolis & Discipulis fuisse veros Monachos vel Cœnobitas, parum habet fundamenti. Nisi fortasse dum plebs Christiana continentiæ & sobrietati ad tempus vocat (ut olim Nazaræi) vel dum purè casteq; imperatam sibi Quadragesimam observat, ac divino servitio instat, Monachari dicenda sit: vel eos, qui ad tempus exercitia domestica habent, Monachos factos dicamus, etiamsi etiam conjugati fuerint, quales nonnullos ex primis fidelibus fuisse constat.* Rectiùs forte Pontificii, ad tollenda ista de Monachorum origine inter se litigia, ad Diogenem Cinicum provocarent: eum enim, cùm fugerit aliorum hominum consortia, imò adeò amaverit solitudinem, ut

vitæ

vitæ ſuæ tempus in cranio, tanquam in monaſteriolo tranſigere maluerit, quàm aliorum hominum conſortio intereſſe, quis putet indignum eſſe, qui Monachorum Pater ac Princeps ſalutetur? Res tamen planior evadet, ſi ab ipſis Phariſæis Monachiſmum ſuum deducant. Reſpondet enim optimè & nomen & omen. 1. Nomen *Phariſaeorum* adeò reſpondet, ut etiam hodie adhuc Judæi Monachos פרושים nuncupent: nec immeritò, cùm utrique oſtendant in oculis hominum שהם פרושים ואנשים צדיקים *ſe eſſe ſeparatos* à mundo, *& homines juſtos.* ut notat Kimchi *ad Zachar.* 2. Phariſæi volebant cæteris eſſe ſanctiores Luc. 16. 15. & 18. 11. Idem & Monachos facere; notius eſt, quàm ut dicere ſit neceſſe. 3. Phariſæi libero arbitrio ἀδιαφορίαν ad utrumque oppoſitorum tribuebant, contendentes, licere homini facere, quæcunque velit, τὸ μὲν πράττειν τὰ δίκαια καὶ μὴ κατὰ τὸ πλεῖστον ἐπὶ τοῖς ἀνθρώποις κεῖσθαι *Joſeph. l. 11. de bell. jud. c. 12.* Annon gemina etiamnum hodie à Monachis urgentur? 4. Phariſæi ex ſpirituali faſtu gaudebant vocari patres Matth. 23. 9. Monachis hodiernis quid etiam hoc titulo gratius? quem interim illis non invidemus, ut nec Poëta ille, qui cecinit;

Non malè ſunt Monachis grata indita nomina Patris,
Cùm numerent natos *hîc & ubique* ſuos.

5. Phariſæi circuibant mare & aridam, ut facerent unum proſelytum Matth. 23. 15. Annon idem adhuc hodie præſtant Monachi per Miſſionarios ſuos? Annon mare & terram circumeunt, in hoc unum intenti, ut Eccleſiam Papalem augeant? 6. Phariſæi quantopere non cathedrâ Moſis gloriabantur? Annon eâdem adhuc hodie præſcriptione utuntur Monachi? 7. Phariſæi paſſim crepabant ſuas Traditiones, quas deinde Seniorum nomine

mine speciosè venditabāt, opinantes, nō omnia dogmata cōtineri in Scripturâ, sed attendendas esse traditiones Seniorum, quibus Scripturarū defectus suppleatur. Vide Matth. 5, 15. 23. & 15. 2. Luc. 11. & alibi. Annon idem faciunt hodie Monachi? An ovum ovo similius? dum non contenti Verbo DEI scripto passim crepant suas Traditiones seu verbum non scriptum, cujus additione Scripturæ defectus suppleatur. 8. Pharisæi studiosiùs observabant suas Traditiones quàm legem scriptam, & *transgrediebantur, & irritum faciebant mandatum Dei per Traditionem suam Matth. 15. 3.* Idem faciunt Monachi, putantes se graviùs peccare, si ineant matrimonium, quàm si scortentur. 9. Pharisæi vestibus volebant distingui ab aliis Matth. 23. 5. sic & Monachi. 10. Pharisæi opera supererogatoria jactabant: sic & Monachis nostris quid frequentius, quàm jactare opera supererogationis? quibus non tantùm sibi eminentissimum in cœlo gradum, sed etiam aliis se mereri posse gloriantur. Discipuli Christi, factis licet omnibus, quæ ipsis erant præcepta, dicere nihilominus debebant ex mandato Christi: *servi inutiles sumus: nam fecimus, quod debuimus facere* Luc. 17. 10. At Monachi nostri hoc dicere non habent necesse, cùm plura faciant, quàm ex præcepto tenentur: sunt proinde servi valde utiles. 11. Pharisæi dilatabant phylacteria sua, & omnia opera sua faciebant, ut spectarentur ab hominibus Matth. 23. 5. Idem & Monachos facere, nemo, nisi qui illos non novit, negaverit. Phylacteriis optimè repondent à cingulis & manibus eorum propendentia Rosaria, quæ eò majora sunt, quò illi cæteris hominibus volunt haberi sanctiores: ad horum calculos per publicas plateas & in angulis, maximè autem, ubi aliqua vel crucis vel B. Mariæ imago of-

fertur, quasi attoniti stantes, preculas suas demurmurãt, signo crucis toties se munientes, ut necesse sit, diabolum quàm ocyssimè fugam capere. 12. Pharisæi bis hebdomade jejunabant Luc. 18. 12. jejunant & bis Monachi, nimirum die Veneris & Saturni. Non dicam jam brevitatis gratiâ de domorum viduarum, obtentu longarum precum, expilatione, votorum professione, & quæ sunt id genus alia, hodiernis Monachis adeò respondentia, ut ovum ovo & lac lacti non existat similius. Quidni ergò D. Jureconsultus noster Monachorum suorum ortum rectiùs à Pharisæis quàm Eliâ, Elisæo, Johanne Baptistâ aut Apostolis (qui utique insuper fuerunt Ministri extraordinarii, ut proinde ab illis ad ordinarios non procedat consequentia) deduceret?

IV. Fateri Reformatos & Lutheranos Theologos ac Historicos, hodiernorum Monachorum statum in Apostolis fuisse inchoatum, ac deinceps à seculo ad seculum continuatum, falsissimum est. Nullus hoc fatetur: sed distinguunt illi sedulò inter Monachum & Monachum: inter Monachos veteris ævi & inter Monachos posteriorum ac hodiernorum maximè temporum. Monachos fuisse olim, sed demum seculo quarto, Auctoribus Paulo & Antonio, (quem posteriorem D. J. falsò dicit Anno 295. obiisse, cùm demum, vel ipso Jesuita Bebio teste *Chronolog. Append. 3.* Anno 361. mortem oppetierit) non negant, sed tales fuisse, quales hodie sunt in Ecclesia Rom. omnes negant: & quidem meritò. Hodierni enim à veteribus non minus differunt, quàm simiæ ab hominibus. Nam 1. Monachi veteres solitudinem quærebant & eremum procul ab urbium negotiis & strepitu (Hinc Μόναχος Græcis etiam μοναδὶκ dicitur, qui solitariam vitam agit, cum

Poëta

Poëta Bellerophonte *ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans.*) Ipse Antonius, Monachorum princeps, teste Sozomeno lib. 1. Hist. Eccles. c. 12. ait, *ità eremum Monachis, ut piscibus aquas convenire.* At verò hodie Monachi gregatim vivunt (forte, quia dicente Davide Psal. 133. 1. *Bonum est & jucundum habitare fratres in unum*) splendidis suis palatiis urbes replentes & primas in earum strepitu tenentes. Olim, fatente Archiepiscopo Rovenio loc. supr. cit. *vastos eremi secessus penetrare non timebant,* imò quò horridior & incultior erat eremus, eò convenientior Monachorum habitationi censebatur: at hodie quò mellius & felicius in Europa solum, eò frequentius Monachorum in eo habitaculum; dixerit licet Hieronymus *ad Heliodorum; Interpretare vocabulum Monachi, hoc est tuum: quid facis in turba, qui solus es?* Et ad Paulinum; *Si cupis esse, quod diceris, id est, solus, quid facis in urbibus? quæ utiq; non sunt solorum habitacula, sed multorum?* Cui concinit & illud Isidori *Orig. lib. 17. cap. 13. Si solitarius interpretatur vocabulum Monachi, quid facit in turba, qui solus est?* 2. Veteres Monachi, teste Augustino cap. 31. de Morib. Eccl. Cath. *operabantur manibus ea, quibus & corpus pasci posset, & à Deo mens impediri non posset.* At hodierni aut malunt mendicare quàm fodere, aut benè dotati otio litant; ut deliret Bellarminus *c. 41. de Monach.* cùm sibi sumit probandum, *licere Monachis manibus operari*, cùm id omnino ex prisco Monachorum instituto necessarium sit. Scripsit olim B. Augustinus librum de LABORE MONACHORUM: hodie si viveret, grandiorem necesse haberet scribere de MONACHORUM OTIO & MENDICITATE. Ostendat nobis D. Jureconsultus ante Dominicum & Franciscum (qui Ordines suos, teste Be-

bio, demum ANNO 1209. instituerunt) ullum Monachum, qui Religionem fuerit professus ex tribus votis, ut hodierni solent! 3. Veteres Monachi humi dormiebant: potus erat aqua! cibus, panis, herbæ ac radiculæ: præcipuæ lautitiæ in oleo & ciceribus, ut præter Gregorium Nazianzenum, Basilium & Chrysostomum, Augustinus tradit cap. 31. de Morib. Eccles. Cathol. At hodie vix ulli tam austeri reperiuntur *Patres*, quorum palato præter opima & opipara fercula, ros ille *Liberi Patris* non arrideat. Quod haud dubiè Poëtam illum non latuit, dum tam suaviter ipsis cecinit;

Vos Monachi, stomachi vestri sunt amphora Bacchi:
Vos estis, Deus est testis, teterrima pestis.

Num forte ad hanc Monachorum saginam alluserint illi in Papatu, qui S. Antonio, primo Monachorum conditori, appinxerunt porcum, eique (ut S. Eligio equorum, S. Huberto canum, S. Feriolo anserum, S. Gallo gallinarum, &c.) tutelam porcorum commiserunt, D. Jureconsulto nostro paulò penitus perpendendum reliquimus. 4. Veterum Monachorum, ut notat Erasmus *in vit. Hieron.* vestitus simplex fuit, neque tamen præscriptus, sed suo cuique arbitrio sumptus. Ipse Hieronymus *ad Eustoch.* scribit. *Vestis nec sit munda nec sordida &* NB. *nulla diversitate notabilis, ne ad te obviam prætereuntium turba consistat & digito monstretur.* At in hodiernis quanta non habituum diversitas? quis prætereuntium ad variegatos mirosque eorum cucullos non consistat, eosque digito monstret? Paulò post idem Hieroymus ait. *Sunt, quæ ciliciis vestiuntur & cucullis fabrefactis, ut ad infantiam redeant, imitantur noctuas & bubones; sed ne tantum videar disputare de fæminis, viros quoque fuge, quos videris catenatos, quibus fæminei contra Apostolum,*

stolum, crines: hircorum barba, nigrum pallium & nudi patientia frigoris pedes. Diceres hos exorbitantes, quos Hieronymus hîc reprehendit, præcursores fuisse hodiernorum Capucinorum, Carmelitarum, Franciscanorum, aliorumve cucullatorũ Fratrum. Quid autem hodie dicturum bonum illum Patrem & reliquos cum ipso putemus, si audirent (teste Azorio Instit. Moral. tom. 1. lib. 12. cap. 5.) in Papatu apertè doceri, *per habitum vitæ Monasticæ susceptum restitui hominem ad eum statum, in quo est quispiam, cùm sacro baptismate renascitur: nec Monachum rationem redditurum de peccatis ante monasticam vitam admissis, &c.* Si viderent, nonnullos eò superstitionis esse progressos, ut virtutem singularem sanandi morbos cucullis Monachorum, præsertim Franciscanorum tribuant. Scriptor vitæ Bernhardi lib. 4. c. 1. refert, Monachum quendam ægrotantem, cucullo Bernhardi imposito, illicò convaluisse, ejusdemque stolâ diabolum ex quodam viro ejectum esse. Narrat etiam Vincentius *in Spec. historiali lib. 31. cap. 104.* Petri Mediolanensis cappâ nobilis cujusdam filium angina laborantem sanitati restitutum esse. Quin sanctitatis habitus Franciscani opinio adeò invaluit, ut non tantùm pueri infirmi ab ineunte ætate eo induantur, sed & Imperatores & Reges illo sepeliri voluerint. Mirum, quòd Jesuiticus non præferatur, cùm is haud dubiè tantò sit sanctior, quantò ipsi, utpote *Socij Iesu*, cæteros Monachos superant. Et quid? Annon Carmelitarum cappa Franciscanorum cucullo præferenda? cùm ipsa B. V. Maria hâc induta non duntaxat comparuerit Johanni XXII. sed etiamnum eâdem singulis diebus Sabbati induta descendat in purgatorium ad eripiendos Carmelitas, uti hoc pluribus legere est in libello Ann. 1660. Coloniæ impresso, inscripto

Marianischer Gnaden-Schatz cap. 3. Bellarminus judicans *necessarium esse, ut semper novi Ordines exoriantur*, hanc dat lib. 2. de Monachis c. 3. rationem, *cùm omnis Ordo initio ferveat, & mutatos homines ad pietatem excitet*: potuisset & hanc addere; *quia per novos Ordines novi oriuntur cuculli, quorum virtute hominum sanitati consulitur.* Quod fortè non observavit Innocentius III. non facturus aliàs in generali Concilio Decretalem hanc Extr. lib. 3. de Relig. c. 9. *Ne nimia Religionum diversitas gravem in Ecclesia Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cætero novam Religionem inveniat; sed quicunque ad Religionem se converti voluerit, unam de probatis assumat.* Sed sufficit nobis, Christum sub ejusmodi habitu non latere. *Vix fallacia eorum*, inquit Cardinalis Cusanus Ex. lib. 7. *qui sub habitu Christi apparent, potest sciri ob suam varietatem. Nam alius quidem sub hac veste, alius sub capitio, alius sub hoc Religionis signo, alius sub alio, Christo se militare asserit: licet penè omnes, non quæ Christi, sed quæ sua sunt, quærant. Omnes enim student avaritiæ, à maximo usque ad minimum. Et in omnibus una doctrina competit in eorum fallaciam; scilicet ex fructibus eorum cognoscetis eos.* 5. Olim monastica collegia erant veluti seminaria Ecclesiæ, in quibus juventus informabatur & dirigebatur in timore Dei: Unde Chrysostomus narrat, suo tempore ad ea juventutem fuisse missam. *Ergò*, ait lib. 3. adv. vitup. vitæ monast. *ne intempestivè liberos nostros à deserti commoratione revocemus, verùm cœlestis studij disciplinam in eis solidam promittamus, altisque radicibus arbusta firmari, & si decem annos sive etiã viginti nutriendi sint in monasterio, nõ perturbemur.* Dicit & Mutius in Chron. Germ. *non alio proposito Carolum Magnum tot fundâsse monasteria, nisi ut juventus benè in illis instituta, utilis esset exemplo & do-*

ctrina hominibus. Hodie verò sunt vel non sedularum apum, sed ignavorum fucorum alvearia, vel spurcitiæ lustra, vel ambitiosorum scholæ, unde ad Prælaturas aliasque Ecclesiasticas dignitates anhelant, in quibus postmodum liberius Libero Patri & Veneri serviant. In pristino instituto si Monachi perseverâssent, Reformati eos, dummodo votorum laquei & superstitio nemini vim fecissent, nunquam rejecissent. Audiat interim D. Jureconsultus noster Cardinalium à Paulo III. ad Reformationem electorum sententiam (Extat Concil. Tom. 5. pag. 819.) *Alius abusus corrigendus est in Ordinibus Religiosorum, quò adeò multi deformati sunt, ut magno sint scandalo Secularibus, exemploque plurimùm noceant. Conventuales Ordines abolendos esse putamus omnes, non tamen, ut alicui fiat injuriæ, sed prohibendo, ne novos possint admittere: sic enim sine ullius injuria cito delerentur, & boni & Religiosi eis substitui possent. Nunc verò putamus optimum fore, si omnes pueri, qui non sunt professi, ab eorum Monasterio repellerentur.* En tibi Monachos rejectos, non à Reformatis solùm, sed etiam ab ipsismet Pontificiis.

V. In tribus votis, ut suprà audivimus, putatitiæ vitæ monasticæ consistit perfectio; in voto (1) *paupertatis voluntariæ.* (2) *Continentiæ*, seu (ut Petrus Canisius *in suo Catech.* loquitur) *Castitatis perpetuæ.* (3) *Obedientiæ integræ.* In primo elucet *stultitia*, in secundo *impossibilitas*, in tertio *brutalitas.* Ut à paupertatis voto initium sumam, quis non videat, Monachos vovere paupertatem, ut paupertatem fugiant? nuncupare votum paupertatis in particulari, ut divitiis abundent in communi? Testantur id magnifica eorum ædificia, testantur ingentes reditus, testantur denique saginati ipso-

ipsorum ventres. Uno verbo, existunt pauperes sine defectu. Deus prohibuit olim mendicitatem in populo suo Deut. 15. 4. At nostri mendicitatem opus supererogatorium constituunt. Mendicitatem & egestatem deprecatus est olim Sapiens Prov. 30. 8. dicens; *Paupertatem aut divitias ne des mihi, ale me cibo demensi mei:* at isti paupertatem precantur & vovent. Paulus inculcat Act. 20. 35. *Beatius esse dare, quàm accipere*, sed cucullati nostri, axiomate Apostoli inverso, asserunt, *beatius esse, accipere & mendicare, quàm dare.* Idem Apostolus mavult manibus suis laborare, quàm mendicare, aut alienis cœtibus oneri esse, 1. Thess. 2. 9. & 2. Thess. 3. 8. Sed votarii nostri malunt mendicare & aliis oneri esse, quàm laborare. Hem votum Verbo Dei admodum conforme!

VI. Alterum est votum perpetuæ castitatis, *per quod*, ut loquitur Johannes Cruz de stat. Religionis cap. 5. fol. 37. *Religiosus abdicat à se omnes Venereorum delectationes, etiam sibi alias in statu conjugali licitas.* Hoc dum Sacrificuli vovent, perinde faciunt, ac qui vovent se prophetaturos, miracula edituros, aut novis linguis locuturos esse, siquidem donum continentiæ æquè extraordinarium est, ac illa. Ut rem ordine absolvamus, fatentur 1. ipsimet Pontificii, votum esse earum rerum, quæ sunt nostri arbitrii: at cœlibatus non est donum omnibus commune sed singulare Matth. 19. 11. 1. Cor. 7. 7. quomodo ergò ab hominibus voveri potest? Non latuit hoc Fridericum Nauseam, Episcopum Viennensem: hinc in Catech suo Catholico lib. 4. cap. 9. Sacrificulos suos temeritatis postulat, scribens; *Ejusmodi votum videntur facere sacerdotes incautè vaneq;, qui perpetuam vovent castitatem, & quidem maximè cum conditione,*

dicen-

dicentes, quatenus per carnis infirmitatem possint. Sed quid si carnis infirmitas non admittat & ipsi sint de iis, qui secundum Christum, verbum castitatis capere non possunt, nec donum continentiæ habere? Utrum melius uxorem ducere, an (quod absit) scortari? quod sub pœna mortis à Deo prohibitum est. 2. Apostolus dicit, *si se non continent, contrahant matrimonium: Nam melius est, matrimonium contrahere, quam uri*, 1. Cor. 7. 9. At nostris votariis matrimonium contrahere non licet, quamvis se non contineant: Statuit namque Papa, *melius esse uri, quam matrimonium contrahere.* 3. Horribilem ac execrandam impuritatem votum hoc invehit in Ecclesiam, de qua maximæ ipsorummet Adversariorum, Gersonis, Petri de Aliaco, Alvari Pelagii & aliorum extant querelæ. Sed de his in sequentibus. Jam tantum exhibeo verba Lotharii Diaconi, postea Innocentii III. de contempt. mundi lib. 2. c. 22. *Invadit* (inquit ille, loquens de prava concupiscentia) *senes & juvenes, mares & fœminas, prudentes ac simplices, superiores & inferiores, ad extremam generationem etiam, sacerdotes. Qui nocte Venerem amplexantur, mane Virginem venerantur. Turpe dictu, sed turpissimum actu: Dici liceat, quod agi non liceat. NB. Nocte filium Veneris agitant in cubilibus, mane vero filium Virginis offerunt in altari.*

VII. Monachatus colophon est *votum obedientiæ*, quod aliàs ab adjuncto proprio dicitur *cæca obedientia. Debet enim Monachus*, inquit Bellarminus lib. 2. de Monach. c. 21. *præposito parere & non discutere quid sit, quod præcipitur, modo non sit manifeste peccatum, ac breviter talem se exhibere præposito, quales sunt oves ad pastorem & instrumenta ad opificem comparata.* Et hoc Ignatius Lojola, Jesuitarum Coryphæus, ipsis fusè inculcat *in Epist. ad fratres in Lusit. de obed. virtute sect. 9. & 12*, maxime vero *sect. 18.* ubi

ſic ait. *Poſtrema ſubjiciendi judicij ratio eſt cùm facilior tutiorq́, tum etiam apud S. Patres in more poſita : Ut ſtatuatis vobiscum ipſi, quicquid ſuperior præcipit, ipſius Dei præceptum eſſe & voluntatem : Atq; ut ad credenda, quæ catholica fides proponit, toto animo aſſenſuq́ veſtro ſtatim incumbitis : Sic ad ea facienda, quæcunq́ ſuperior dixerit, NB. cæco quodam impetu voluntatis parendi cupidæ, ſine ulla prorſus disquiſitione feramini. Sic egiſſe credendus eſt Abraham, filium ſuum Iſaac immolare juſſus.* En Lojolæ, veterani militis, pietatem! quam ſibi ex bello claudo pede redux attulit. Eandem obedientiam, quam Abrahamus DEO præſtitit, Jeſuitæ Superioribus ſuis præſtare tenentur! Vah *cæcam obedientiam* vere *cæcam*! Deus & homo ratione obedientiæ apud Monachos noſtros ſunt in pari gradu: Ut divinæ, ita hominis voluntati *ſine ulla prorſus diſquiſitione*, parendum eſt. Vovent iſti domini Deo, ſe ipſius loco in poſterum hominem habituros eſſe : Annon hoc egregium votum! Dicit Paulus 1. Cor. 7. 23. *Pretio emti eſtis, ne fiatis ſervi hominum* (ſcilicet ſervitute conſcientiæ) At ecce hodie Chriſtianos, qui ſe pretio ſanguinis Chriſti emtos profitentur, jugum tamen hominum ſubeuntes, cæcoq; impetu volũtatis õnib⁹ eorũ imperiis ac jugis cervicem pluſquam ſervilem ſemper ſubmittentes! Idem Apoſtolus Gal. 3. 28. aſſerit in ſtatu N. Teſtamenti non eſſe δοῦλον ἢ ἐλεύθερον *ſervum & liberum* (id eſt, quod attinet ad religioſam ſervitutem, non dari diſcrimen ſervi & liberi) at ſi oculos in Monachos conjicis, videbis dari adhuc juxta ipſos maximum ſervorum & liberorum diſcrimen. Juſſit ſane idem Apoſtolus captivari intellectum noſtrum, ſed *in obſequium Chriſti*, non in obſequium hominis: At Monachi hoc voto non in ſervos tantum, ſed etiam in beſtias transformantur, dum ſe omni volun-

voluntate ac intelligentia privantes, unius miseri hominis, Dei loco habiti, libidini subjiciunt. Sunt autem, quæ Domini Patres discipulis suis mandant, vel necessaria, vel non necessaria ad salutem. Si *prius*: cur Laicos eadem religione non astringunt? Si *posterius*, tenentur utique manifestæ impietatis, dum res ab homine præceptas & verbo Dei non contentas & ad salutem non necessarias à suis discipulis excipi volunt ut Dei ipsius mandata & pari religione & obedientia observari. Non addam jam, cœcam illam obedientiam non minus ac sigillum confessionis esse scaturiginem criminum desperatorum, ab iis committendorum, qui jussa Præpositorum *in omnibus* (ut loquitur Jesuita Orlandinus *Histor. Societ.* J*esu lib.10.p.312.*) *sine ulla prorsus disquisitione* exequi tenentur, adeoque de iis, bona ne, an mala sint, judicare non audent.

VIII. En tibi Monachos tuos Dn. Jurisconsulte! Quos quod tanto fervore quæras defendere, quis tibi det vitio, cum haud dubie, ex quo ejurata Reformata Religione peccata tua in aures eorum ingessisti, fidi & patientes eorum jugiter extiterint bajuli! Audiamus autem, quàm bellè eos, eorumque statum tuearis! Provocas 1. ad dictum Christi Matth. 19. 12. dicens; *Christum ibi recensere triplices Eunuchos, quosdam, qui ex utero materno tales nati, quosdam, qui manibus hominum tales facti, & denique quosdam, qui se ipsos castrarint propter regnum cælorum.* Ita est D. Jurisconsulte: Sed quid inde pro Monachis tuis? Num ergo illi, *qui se ipsos castrant propter regnum cælorum,* illico Monachi sunt? Annon requiruntur vota, Monachatus essentialia? Dicis, subaudiri verba, *voto perpetuæ Virginitatis.* Hæc quidem tua glossa est, sed falsissima. Quæro enim 1. Annon id, quod vovetur,

 debeat

debeat esse in nostra potestate? Non negaveris, credo: Cum teste Bellarmino votum sit res *liberæ voluntatis & arbitrij nostri.* Atqui perpetua continentia non est in nostra potestate, quod liquet ex verbis Christi proxime antecedentibus; *Non omnes capaces sunt hujus sermonis, sed ij, quibus datum est.* Quæro 2. Annon Paulus se ipsum castraverit propter regnum cœlorum? Ipse fateris hoc in sequentibus: Atqui tamen non fecit votum. An negas? Audi Archiepiscopum vestrum Rovenium loc. supra cit. *Constat, nullum existere testimonium de tali solemni votorum emissione ab Apostolis facta. Præterea hæc emissio* votorum *in D. Paulo non poterit verificari.* Ergo hæc sui ipsius castratio non infert votum, adeoque nec Monachismum. Quid ergo? inquies. ℞. firmum duntaxat propositum in cœlibatu permanendi, quamdiu donum illud divinum certis characteribus sese exerit, non minus quam si corpore eunuchi essent. Audi ipsum Apostolum ita explicantem illud εὐνούχισαν ἑαυτούς. *Qui vero perstat,* inquit 1. Cor. 7. 37. *Stabilis in corde, nec adigitur necessitate, sed in potestate habet propriam voluntatem & hoc NB. decrevit in corde, ut conservet suam virginem, bene facit.* Dicis, Christum adjicere, signum attentionis, dicendo; *Qui potest capere, capiat.* Rem acu tangis, scilicet! Non dicit Christus, *qui vult capere,* sed *qui potest capere,* id est, qui donum ac vocationem in se sentit, seu, ut loquitur Maldonatus vester in c. 19. Matth. qui *capax est tantæ virtutis, ut sine uxore vivere possit, capiat,* id est, eo dono ac vocatione utatur. An hinc quid pro te D. Jurisconsulte? Atqui cœlibatus, de quo hic Christo sermo, est præceptus & necessarius iis, quos Dominus dono illo ac vocatione instruxit. Mandatum enim est expressum in illis ipsis, ad quæ provocas, verbis; *Qui potest*

capere,

capere, capiat, id est, qui Dei dono continere potest, debet continere; ad hoc enim à Deo vocatur, cui vocationi si resistit, peccat: donum enim Dei contemnit, nec eam sequitur vitæ rationem, ad quam per Dei donum vocatur. Cui respondet illud Pauli 1. Cor. 7. 17. *Sed ut unicuique* donum *partitus est Deus, ut unumquemque vocavit Dominus, ita ambulet*!

IX. Verum est, discipulos Christi reliquisse omnia: Dicit enim Petrus; *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te* Matth. 19. 27. At verò 1. non fecerunt hoc sponte sua & per paupertatis votum, ut Monachi Papales, sed jussi à Domino, ut vocationi, in qua nullos habuerunt successores, vacare possent. 2. Non reliquerunt omnia *simpliciter* (aliàs etiam vestimenta relinquere debuissent. Non abdicârunt se omnium possessione & usu. Testatur enim Lucas, Matthæum *derelictis omnibus*, surrexisse & secutum esse Christum, & nihilominus tamē eum paulò post in ædibus suis magno epulo excepisse cap. 5. 28. 29. Johannem quoque matrem Domini εἰς τὰ ἴδια recepisse, ex ipsius Evangelio liquet cap. 19. 27. Imò ipse Petrus, postquam dixisset, *Ecce, reliquimus omnia*, reti suo arrepto absque ullo scrupulo cum aliis Apostolis piscatum abiit Joh 19. 3. Ergò *relinquere omnia* & *habere propria*, atque adeò uti propriis, non erant opposita, utcunque somniârint succedentibus temporibus Monachorum mendicabula) Sed *omnia*, quæ vel ordinarium promptumque eorum ministerium, vel liberam Christi vel Evangelii ipsius confessionem impediebant, cujusmodi utique dici nequeunt uxores legitimæ, quæ solatio & confirmationi fidei esse poterant. Et quî Apostoli uxores suas reliquissent, qui jamjam ex ore Magistri sui audiverant,

uxorem non nisi ob scortationem dimittendam esse : Item, *hominem derelicturum patrem & matrem, & agglutinatum iri uxori suæ*, &c, *qui duo fuerant, fore* εἰς σάρκα μίαν, *in carnem unam*; adeò ut dicente Paulo 1. Cor. 7. 4. 5. *vir proprium corpus non habeat in potestate, sed uxor*, & se alter alteri subducere non debeat, *nisi ex consensu ad tempus quoddam*, & tum rursus simul convenire. Imò quòd Apostoli non reliquerint uxores suas, expressè Paulus innuit 1. Cor. 9. 5. scribens; *Annon licet nobis* ἀδελφὴν γυναῖκα *sororem uxorem circumducere, ut & reliqui Apostoli & fratres Domini & Cephas?* Si Apostoli circumduxerunt uxores; Ergò non reliquerunt. Novi, quid regerant adversarii. Clamant, *Paulum loqui de mulieribus quibusdam devotis & fidelibus, Apostolis, ut ancillæ heris suis servientibus: vel de matronis quibusdam, quæ ex pietatis zelo eos fuerint secutæ, ut ipsos in necessitatibus iuvarent, quemadmodum multæ S. matronæ Christum secutæ legantur Luc. 8.* Sic Bellarminus, Salmero, Bailius, Masenius & plerique alii. At clament ad ravim usque, incassum tamen clamant. Nam 1. Apostolos proprias uxores dereliquisse & peregrinas circumduxisse, quis sanæ mentis credat? quî sic vitare potuissent suspiciones, maximè in tanto cùm Judæorum tum Gentilium odio? Annon etiam id fuisset contra decorum & publicam ædificationem? *Fuerunt*, inquiunt, *mulieres devotæ*. Forte tam devotæ, quàm Jesuitissæ, quæ magnâ devotione Jesuitas sequuntur! At Canonistarum doctrina, *quòd, quamvis tactus & oscula sunt præludia incontinentiæ in Laicis, secus tamen sit in Clericis; cùm Clericus præsumatur ista facere pro charitate & bono Zelo* (vid. Ravennas extr. de immunit. Eccles.) tempore Apostolorum nondum erat nota. Necdum didicerant Apostoli eorundem glossam 11. q. 3. can.

Si

Si ergò amplectitur Clericus mulierem, interpretabitur, quòd causa benedicendi eam, hoc faciat. Verum est, pias quasdam mulieres Christum fuisse secutas: At (1) Christus non circumducebat unam mulierem, sed à mulieribus colebatur, stipatus aliorum multitudine, quæ suspicioni, per solitudinem excitari solitæ, obstare poterat. (2) Mulieres illæ non solebant Christum ordinariè sequi, quod liquet ex admiratione, quæ incessebat ejus discipulos, cùm viderent, eum cum muliere loqui Joh. 4. 27. (3) Mulieres, quæ Christum sequebantur, Christo *subministrabant ex iis, quæ ipsis suppetebant*: His autem si similes fuissent eæ, quas Apostoli circumduxerunt; Paulus prorsus contra scopum suum argumentaretur: testatur enim, se ideò non circumduxisse uxorem, ne gravaret Ecclesiam Corinthiacam: at si tales, quales Christum sequebantur, circumduxisset mulieres, non utique gravâsset, sed potius sublevâsset Ecclesiam per eas, utpote quæ de suis Paulo fuissent subministraturæ: Necesse est ergò, intelligi conjuges legitimas, quod nos volumus. Et hoc etiam porrò patet ex constructione Græca. Non dicit Apostolus, ἀδελφὰς γυναῖκας *in plurali*, sed ἀδελφὴν γυναῖκα *in singulari*, ut singulas singulis, non plures singulis adjungi intelligas. Non dicit etiam γυναῖκα ἀδελφὴν *uxorem sororem*, seu (ut præter Salmeronem Jesuita Masenius *Medit. concord. art. 24.* ad causæ Pontificiæ splendorem conciliandum reddit) *mulierem sororem*; sed ἀδελφὴν γυναῖκα *sororem uxorem*, id est, quæ mihi sit in uxorem. Futilia sunt, quæ hîc regerit Salmero tom. 14. disp. 16. *qua ratione*, inquiens, *uxor soror diceretur, si de uxore esset sermo? & cur non addidit ad vocem* mulierem *articulum* τὴν γυναῖκα, *ut significaret uxorem & non mulierem in communi?* R. Sororem vocat

cat Apostolus propter communem fidei professionem; propter quam & Paulus Thessalonicenses suos *Fratres* vocat 2. cap. 2. ℣. 15. Articulus autem, qua lege debuit præire? Jesuiticâ certè non Græcâ. Num ergò vox γυνὴ, destituta articulo, *uxorem* designare non potest? Erudiat Jesuitas (ut jam alia N. T. loca prætercam Matt. 19. 29. Luc. 14. 12.) idem Apostolus. ὥστε (inquit 1. Cor. 5. 1.) *γυναῖκά τινα τοῦ πατρὸς ἔχειν, Ita ut uxorem Patris aliquis habeat.* Vide & eundem 1. Cor. 7. 10. & 11. & 27. Eadem loquendi formula etiam aliis Græcis est usitatissima. Audi Diodorum Siculum *lib. 12.* τῶν προβεβηκότων τῇ ἡλικίᾳ τις ἔχων γυναῖκα *νεωτέραν, quidam provectiorum ætate cum haberet uxorē juniorem.* Vide & Aristotelem Oeconomic. 1. c. 3. & LXX. Interpretes Ruth. 1. 4. Jud. 21. 23. &c. Sed dicite nobis Domini Jesuitæ: Si hîc Apostolus per *sororem* intelligit mulierem, cur ergo addit γυναῖκα? Num *soror* forte mas esse potest, ut sexum exprimi necesse fuerit? aut num forte in antecessū nō cōstat, sororē esse mulierē? R. Bellarminus lib. 1. de Cleric. cap. 20. *Sic vocari sorores mulieres, sicut Actorum 1. dicuntur viri, fratres.* En bellam & Cardinale dignā responsionem! num dicitur, *fratres viri*, uti hic *soror uxor*? An non ordine præpostero *ἀδελφοὶ ἄνδρες*? En Jesuitas ad incitas redactos! Patres nobis incassum opponuntur: Nam utut sint haud pauci, qui de alienis mulieribus interpretantur; Sunt tamen etiam, qui nobis assensum præbent. Inter hos est, ipso dicente Salmerone, Clemens Alexandrinus, *lib. 3. strom.* Et præter hunc Eusebius *lib. 3. hist. Eccles. c. 27.* & Tertullianus *lib. 1. de Exhort. ad cast. c. 8.* Imo ex ipsismet Pontificiis Valla, *Quid opus est*, inquit ille Comment. in h. loc. *addere mulierem, cùm dictum sit* sororem? *Quare puto transferendum fuisse* uxorem, *cum præsertim dicatur numero singulari γυναῖκα.*

X. Sub-

X. Subjungit quidem Dominus ℣. 29. *Et quisquis reliquerit domos aut fratres aut sorores aut patrem aut matrem aut uxorem, aut liberos aut agros, nominis mei causa, centuplicia accipiet & vitam æternam hæreditatis jure possidebit.* At quis, licet alter Argus, hic videat vota Monachalia? Arbitrantur Domini isti hunc illorum Christi verborum esse sensum, quisquis, etiam sine necessitate & speciali vocatione, relictis patre, matre, uxore, liberis &c. statum monasticum elegerit, *ille* in hac vita *centuplicia accipiet*, id est, ex gregario Monacho Prior, Abbas aut Prælatus, ex paupere Nobili dives Canonicus, Suffraganeus aut Episcopus evadet, *& vitam æternam*, id est, cœlestem aureolam possidebit: Quæ interpretatio hactenus omnia monasteria Monachis ac Monialibus; et omnes diœceses Prælatis explevit. Res sane egregia! Si sic itur ad *astra*, via certe non est *aspera*! Verum hoc non est ἕνεκεν τοῦ ὀνόματός τοῦ χριστοῦ, sed sine necessitate ex temporaria libidine *relinquere patrem, matrem, uxorem, liberos* &c. Multo minus est, *relinquere domos, agros* &c. Etenim amplexuri vitam monasticam, domos, agros & pecuniam suam monasteriis ac proinde etiam sibi, tanquam eorum membris asservant, dicentes nihilominus; *pauperes sumus: vovimus Deo paupertatem.* Hæc sane non est mens Christi: Non vult ipse, ut quis relinquat uxorem & liberos &c. sine necessitate, imo ejusmodi derelictionem in eodem capite damnat ℣. 6. Sed hoc vult, nihil nimirum tam charum nobis esse debere, quin, efflagitante Dei gloria, ejus jacturam æquo feramus animo. V. G. Si uxor infidelis marito suo cohabitare detrectet, nisi fidem abneget, potius uxorem & liberos esse relinquendos, quam fidem abnegandam. Hanc esse Christi mentem, inter alia ex eo constat, quia, quod hic dicit ad Apostolos, Luc. 14. 26.

ad omnes discipulos extendit, dicens; *Si quis venit ad me & non odit patrem suum & matrem & uxorem & liberos, & fratres & sorores, atque adeo suam ipsius vitam, non potest meus esse discipulus.* Aut igitur omnes Christi discipuli tenentur conjugio valedicere; Aut Apostoli ex hac forma non tenentur. Agnoscunt hic nobiscum veritatem ex Pontificiis Maldonatus, scribens; *Non vult Christus matrimonium dissolvi, sed vult se uxori præferri, & , si uxor virum impediat, quo minus Christum sequatur, uxorem relinqui*; Et Jansenius in Concord. Evang. c. 100. inquiens; *Quemadmodum dixit Dominus, qui perdiderit animam suam, inveniet eam, non hoc dixit, ut nos interimamus, sed ut ipsi etiam animæ nostræ fidem, quæ in illum est & amorem præponamus: Ita & nunc dicens, qui reliquerit uxorem , non hoc dixit, ut nuptias penitus dividat, sed ut ipsi quoque conjugi præponamus & ipsum & Evangelium & regnum Dei.*

XI. Dicit sane Paulus 1 Cor. 7. 1. *Bonum esse homini, mulierem non attingere:* At addit statim ℣. 2. *Sed propter scortationes suam quisque uxorem habeto & propriam quæq; virum habeto.* Explicat etiam in sequentibus, qua ratione hoc homini bonum sit, non quasi cœlibatus per se Deo placeat, tanquam sanctius vitæ genus, quàm conjugium, ut fingunt Adversarii , sed *ob instantem necessitatem* (hoc est, persecutionem Christianorum) ℣. 26. & ob immunitatem *ab afflictionibus in carne* (id est, omnis generis curis & molestiis, quibus conjuges obnoxii sũt) ℣. 28. Et hæ etiam sunt rationes, quare optat ℣. 7. *ut omnes homines sint sicut ipse,* id est, (non *in perpetua continentia,* ut D. J. vult: Sic enim humani generis interitus intra breve tempus exspectandus fuisset) *cælibes* , ad tempus scilicet, durantibus illis persecutionibus: Addit autem statim ; *Sed unusquisq; proprium donum habet ex Deo,*

alius

alius quidem ita, alius autem ita. Quo innuit, optationi suæ locum non dari, siquidem cœlibatus non dependeat à libero hominis arbitrio, sed à singulari Dei dono, quod huic sit concessum, illi vero non. Aberat proinde quam longissime à mente eorum, qui cœlibatum cujusvis libero arbitrio adscribunt. *Sed Apostolus iteratò dicit*, inquit D. J. *bonum esse, si perpetuo sic manerent.* En falsarium! Ut causæ suæ consulat, textum depravare haud dubitat, inserendo voculam *perpetuo* apud Paulum non obviam! Sed ad quid plura? Cum Apostolus toto hoc capite de fidelibus Christianis in genere, non de personis Ecclesiasticis in specie agat.

XII. Locus Apoc. 14. 4. 5. ètiam nullo modo causæ Pontificiorum favet: Nam *illi*, *qui* illic dicuntur *se cum mulieribus non inquinasse*, & ideo *virgines* appellantur, non sunt Monachi & Moniales, aut alii, qui per votum vitam cœlibem agunt: Sequeretur enim alias 1. nullos conjugatos, sed solos cœlibes salvatum iri, cum St. Johannes expressè dicat; *hos emtos esse ex hominibus*, *primitias Deo & agno*, & *canticum illud novum non potuisse cantari à quoquam, nisi ab illis centum quadraginta quatuor millibus*: Sequeretur etiam 2. conjugium esse pollutionem, contra illud Pauli Heb. 13. 4. *Honorabile inter quosvis conjugium & cubile impollutum*. Quæ utique absurdissima sunt. Non igitur hic sermo est de corporali, sed potius spirituali virginitate, communi omnibus fidelibus: Unde & Paulus virgines appellat promiscue fideles, dicens 2. Cor. 11. *Præparavi vos, quos uni viro, ut virginem puram sistam, nempe Christo.* An nescit D. Jureconsultus ejusque Jesuitæ, alias etiam dari mulieres, cum quibus homines se inquinare possint? *Viderat* utique idem St. Johannes *mulierem, insidentem bestiæ coccineæ, in cujus fron-*

te nomen scriptum: Mysterium! Babylon illa magna, Mater illa scortationum & abominationum terræ Apoc.17.3.5. Cum hac forte plurimùm se inquinant, qui de corporali virginitate plurimùm gloriantur.

XIII. Quid etiam ad Monachismum statuminandum, quod Paulus dicit Heb 11. ℣.37. *Oberrasse quosdam cum ovillis & caprinis pellibus* &c? Loquitur Apostolus de Prophetis V. T. ut liquet ℣.32. & ad extollendam ipsorum fidem narrat, quot ac quantis calamitatibus fuerint obnoxii. In specie ℣.37, quem D. J. allegat, ait, quosdam *fuisse lapidatos* (ut Zacharias, filius Jojadæ 2. Chron. 24 21.) quosdam *dissectos* (uti ex antiquitate Judaica constat de Jesaia) quosdam *tentatos*: aliquos *gladio cæsos* (ut factum tempore Manassis 2. Regum. 21. 16.) nonnullos *oberrasse cum ovillis & caprinis pellibus* &c. Quomodo autem, quæso, hæc in Monachos, aliosque votarios quadrant? Cum hi sancti Dei homines hoc fecerint necessitate adacti: ut manifestissimum est ex verbis proxime sequentibus, *afflicti male habiti, in desertis errantes, & montibus ac speluncis & cavernis terræ*: Monachi autem faciant per votum spontaneum, ex superstitione & opinione meriti. Sed forte D Jureconsultus alludit ad caprinas Monachorum, inprimis Capucinorum & Minoritarum barbas & vestes eorum ovillas sensu metaphorico, quo & Christus de *vestibus ovillis* loquitur Matth. 7.15. Si hæc sit ipsius mens, non opus erat Scripturam adeò torquere, cum nos Monachis has ovillas & caprinas pelles & crines non disputemus.

XIV. Nihil erat etiam, quòd Dominus Jureconsultus ordinum Monasticorum diversitatem adeo creparet, nobisq; ejusmodi virorum defectû objiceret. Novimus enim, innumerabilem Monachorum in Papatu

dari

dari multitudinem. Sola Francisci familia totum orbem adeo implevit, ut, dicente Rovenio Reip. Christ. l. 1. c. 32. *Magister istius Ordinis ausus fuerit aliquando Pontifici PIO, expeditionem in Turcas paranti, ex S. Francisci familia offerre 30000. bellatorum, qui bellica munera graviter obire possent, nihil Sacrorum cultu interpellato.* Addit ibidem, *unum Observantium* ordinem proximis annis centum fere millia *Religiosorum habuisse.* Novimus, dari Antonianos, Augustinianos, Franciscanos, Benedictinos, Bernhardinos, Carmelitas, Carthusianos, Cistercienses, Præmonstratenses, imo tot ordines, ut omnes, fatente eodem Rovenio, difficile sit numerare. Novimus, inquam, hæc D. Jurisconsulte, nec invidemus vobis etiam prærogativam, qua hac in parte gaudetis præ Judæis, (quos alias ceremoniarum multitudine adæquare studetis) utpote qui tres duntaxat ejusmodi ordines habebant, nimirum Pharisaicum, Sadducaicum & Essaicum. Sed hoc vellemus ex te scire, ubi legantur in S. Scriptura ejusmodi Ordines instituti? Ubi mentio fiat ejusmodi hominum, qui tribus votis se adstrinxerint ad vitam monasticam, & quidem ex opinione meriti alicujus singularis. Improbabat S. Paulus suo tempore, reperiri in Ecclesia Christiana, qui dicerent, *Ego sum Pauli, ego sum Apollo, ego sum Cephæ* 1. Cor. 1. 12. At Papa vester, forte sapientior Paulo, hoc maxime in Monachis suis probat. B. Hieronymus quondam dicebat in Dialog. contra Luciferan. *Sicubi audietis eos, qui dicuntur Christiani, non à Domino Jesu Christo, sed à quoquo alio nuncupari, ut Marcionitas, Valentinianos: Scito, non Ecclesiam Christi, sed AntiChristi esse Synagogam.* Subsume jam D. Jurisconsulte: Atqui Antonius, Dominicus, Franciscus &c. unde Monachi denominantur, sunt homines: Ergo

ſecundum Hieronymum ſunt AntiChriſti Synagoga. Militent ergo Monachi tui & tu cum ipſis ſub vexillo Franciſci, Dominici & aliorum Papæ Sanctorum: Nos ſub vexillo DOMINI IESV unice militabimus, *à ſimplicitate, quæ*, teſte Paulo 2. Cor. 11. 3. *in ipſo eſt*, nos nec à Papa nec ab ejus miniſtris abduci paſſuri.

XV. Verum eſt, Jeſuitas non velle ex Ignatio, Patrono ſuo, dici *Ignatianos* (quemadmodum admiratores Franciſci & Dominici, Franciſcani & Dominicani dici volunt) ſed *è ſocietate Ieſu*: At in hoc ipſo intolerabilis iſtorum hominum ſeſe exſerit arrogantia; Qui communi *Chriſtianorum* nomine, quo primævi Chriſti diſcipuli contenti fuiſſe leguntur Act. 11. 26. non contenti, à nõine *Ieſu* ſe *Ieſuitas* appellari volunt. Sed unde Jeſuitæ hoc nomen nacti? Mõtaignes *de la verite defend. chapp. 66.* prætendit, à Paulo III. Pontifice Romano, ad quem Ignatius Lojola (poſtquam, ut Thuanus loquitur lib. 37. ad ann. 1565. *ex militia* redux *nullum aliud decus aut emolumentum, quam membrorum mutilationem reportaverat*) ſacrum Ordinem inchoaturus, ſe contulerat, hoc nomen impoſitum eſſe. Alii autem, inter quos eſt Maffejus *lib. 11. de vit. Ignat. cap. 5.* & Ribadeneira *lib. 11. de ead. c. 12.* eam exinde ſibi deberi appellationem contendunt, quod Ignatio cum Sociis Fabro & Lainio Romam proficiſcenti Deus Pater comparuerit, qui Jeſu, filio ſuo crucem bajulanti, Ignatium cum Sociis amiciſſime commendaverit, quos Jeſus etiam illico in ſuam ſocietatem receperit, Ignatium hiſce affatus verbis; *Ego vobis Romæ propitius ero.* Alii, quibus accedit Nicolaus Orlandinus *Hiſt. Societ. Jeſ. lib. 2. n. 62.* volunt, Ignatio hujus appellationis occaſionem præbuiſſe uſum militarem: Cum enim ſocietates militares, quæ vulgo compagniæ dicuntur, ſuorum ferè Ducum nomina gerant, judicaſſe eum, rectè

etiam

etiam Societatem, quam ipſe inſtituerit, cùm nullum præter *IESVM* agnoſcat Ducem, *Societatem Ieſu* nuncupari poſſe. Sed undecunque tandem hi Monachi, vel (ut dici malũt) *Cler. Regulares* id nominis acceperint, intolerabilẽ certe, ut diximꝰ, in eo produ͂t arrogãtiã. Etenim 1. ꝙ nulli Apoſtolorum, nulli Chriſtianorum unquam uſurparunt, ſibi arrogant nomen, non contenti communi *Chriſtianorum* nomine, quo diſcipulos Chriſti inſignitos fuiſſe ſacer codex innuit Act. 11. 26. Quis ergo hinc non colligat, Jeſuitas vel eſſe alios atque plane novos Chriſti diſcipulos, vel eſſe ambitionis ac ſuperbiæ pleniſſimos. 2. *IESVS* noſter ita eſt noſter *Ieſus* ſeu *Salvator*, ut ipſe ſolus nos *ſalvet* ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν Matth. 1. ℣. 21. 1. Joh. 1. 7. Act. 4. 12, nec ullum *Socium* aut συνεργὸν in hoc opere *ſalvandi* admittat, nullum *Ieſuitam* agnoſcat. *Torcular* (inquit ille ipſe Jeſ. 63. 3.) *calcavi* לבדי *ego ſolus* ומעמים אין איש אתי *& ex populis non vir mecum*. Qua ergo fronte Lojolitæ ſe *Socios Ieſu* conſtituunt? Prætendunt vulgo, ſe appellari Jeſuitas, quod præ aliis ſectentur *IESVM*. Sic enim Jeſuita Gretſerus *Apol. pro vit. Ignat. lib. 1. c. 2. Complectitur Ieſuitiſmus Chriſtianiſmum, hoc eſt, diſciplinam illam, rationemq́; vivendi omnibus in communi a Chriſto præſcriptam; Sicut homo complectitur animal: & præterea ſuperaddit communi omnium Chriſtianiſmo peculiarem quandam vivendi rationem, non quidem ex præcepto, ſed ex conſilio Chriſti: quæ & ipſa Chriſtianiſmus eſt; eo quod ex conſilio Chriſti inſtituitur: Ex quo fit ut omnis Jeſuita ſit Chriſtianus, licet non omnis Chriſtianus Ieſuita: cum non omnis Chriſtianus hanc peculiarem vivendi rationem ſectetur.* Sed dicant nobis Domini Jeſuitæ; An, dum prætendunt, ſe præ aliis ſectari Jeſum, etiam præ Apoſtolis eum ſectentur? Si *ſectantur*: Domini Jeſuitæ Apoſtolis Chriſti ſunt ſanctiores & præſtantiores. Si *non ſectantur* præ Apoſtolis:

Qua

sibi nomen, quod ne Apostoli quidem, ne dum alii Christiani, usurparunt, nec etiam usurpare voluerunt, haud ignari, nomen *IESV* in sensu suo formali esse incommunicabile, eique soli deberi, qui solus populum suum à peccatis salvare potest. At *est ille Iesuitismus ex consilio Christi*, inquit Gretserus: Ubi autem extat illud Christi consilium Gretsere? Apostoli igitur istud consilium Christi aut sunt secuti, aut non secuti. Si *sunt*: Quare ergo etiam non voluerunt dici Jesuitæ seu Socii Jesu? Si *non sunt*; quanto igitur majores Apostolis existunt Jesuitæ! quam longe eos superant sanctitate Lojolæ discipuli! Cum eis non sufficiat præceptum Christi ut Christum sequantur; Sed insuper etiam ex *consilio* ipsius, peculiari studio eum sectentur. Sed cur Jesuitæ Societatem suam solo nomine *Iesu* insigniunt? Cur non etiam nomine Christi? Liquet hinc, Dominos illos se velle dici *Iesuitas*, non tantum quod, ut ait Gretserus, speciali instituto Jesum sectentur: Sic enim utique nihil obstaret, quo minus Ordinem suum etiam nuncuparent *Societatem Christi* (quod nunquam faciunt) sed quod una cum JESU velint esse *Salvatores*. Et quid hoc absurdi apud eos, quibus absurdum non est cum Bellarmino *lib. 1. de Indulg. c. 4.* asserere, *viros sanctos aliquo modo Redemptores nostros esse*, quique ratione sanctitatis & perfectionis reliquis Monachorum Ordinibus, qui tamen etiam se peculiari instituto Jesum sectari dicunt, se longe præferre non dubitant. *Incusant nos* (inquiunt Auctores libri de excellentia & perfectione Patrum Societatis Jesu pag. 33.) *superbia, quod Sociorum titulum usurpemus, & aliorum ordinum homines vix servorum nomine dignemur; quasi quisquam sit, qui sincero animo judicans non intelligat* (audi & mirare horum Lojolæ filiorum arrogantiam) *nos divina providentia*

dentia in normam & correctionem aliorum electos esse; ideoque justum, dilectā hanc congregatiōem ejus insigni & specioso aliquo vocabulo à tot Monachorum & Fraternitatum N.B. inutilibus sectis distingui. En Jesuitas, telluris utilia pondera!

XVI. Conjugium ministris sacris licitum esse, nemo ignorat, nisi qui ignorat ipsam S. Script. *Honorabile est,* inquit Paulus Hebr. 13. 4. *conjugium ἐν πᾶσι inter omnes,* (sic vertunt ex ipsismet Pontificiis Bellarminus, salmero, Estius, Cajetanus & alii) *& torus impollutus; Scortatores autem & adulteros condemnabit Deus.* Quo loco etiam ipse Paphnutius contra cœlibatum Clericorum est usus in Concilio Niceno, dicens; *Nolite grave jugum cervicibus illorum imponere, qui sacris sunt initiati: honorabile enim est conjugium in omnibus.* Audi & eundem Paulum 1. Cor. 7. 2. *Ob scortationes,* inquit (nullâ prorsus nisi doni continentiæ adhibita distinctione & limitatione) ἕκαστος *unusquisque suam habeat uxorem.* Et ℣. 9. *Quòd si se non continent, ineant matrimonium: præstat enim inire matrimonium, quàm uri.* Et porrò 1. Tim. 3. 2. *Oportet igitur Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, vigilantem, temperantem, compositum, hospitalem, aptum ad docendum;* Non quasi Episcopus necessariò debeat esse conjugatus, sed quòd si velit esse conjugatus, non nisi unius uxoris vir debeat esse. Nec est, quòd adversarii prætendant, *ab Apostolis homines conjugatos urgente necessitate ex hominum cœlibum ad Ecclesiæ gubernationem aptorum defectu, promotos fuisse: nostrorum temporum aliam esse rationem,* quod in primis urget Jesuita Cusanus in seiner Christlichen Zucht-Schul part. 6. cap. 11. Nam 1. si temporibus Apostolorum, quæ fuerunt tempora virginitatis Ecclesiæ, Episcopis licuit esse conjugatis, quidni iisdem & hodie liceret? sive velint, sive nolint, faten-

dum Adversariis est, per Canones Apostolicos, matrimonium & Episcopatum non esse, ut loquuntur, *incompossibilia.* 2. Christus Dominus noster annon ad Apostolatum vocavit homines, quorum pleriq; erant conjugati? Quid autem eum ad hoc coëgit? An fortè hominum ad sacrum illud munus aptorum defectus? nequaquam certè. Cùm enim omnium corda in manu haberet, eaque donis necessariis instituere valeret, facile, si ipsi volupe fuisset, duodecim cœlibum animos ad Apostolatum permovisset. Præterea idem Apostolus. 1. Tim. 4. 1. 2. 3. interdictum matrimonii expressè refert inter notas apostasiæ novissimorum temporum, imò vocat *διδασκαλίας δαιμονίων doctrinam dæmoniorum:* Si nullus alius præter hunc in S. Codice occurreret locus, causæ Pontificiæ contrarius, quorum tamen multa suprà adduximus, posset hic unicus ei pessundandæ sufficere. Latibula, quæ hîc D. Jureconsultus cum suis Monachis quærit, ficulnea sunt. Dicit, *damnari hîc ab Apostolo non Catholicos* (id est, Pontificios) *sed Encratitas & Montanistas*, *tanquam osores conjugij.* At 1. quis ipsum docuit limitare & distinguere, ubi Scriptura non limitat & distinguit? Non loquitur Apostolus in specie de quibusdam, qui prohibeant matrimonium, tanquam *rem in se malam*, sed in genere de doctrinis quorumcunque Religionis causâ *jubentium abstinere à cibus*, *prohibentium contrahere matrimonium:* hoc autem cùm æquè faciant hodierni Pontificii ac veteres hæretici, non minùs damnat illos, quàm hos. 2. Etiam Montanistæ, teste Tertulliano *cap. 25. de jejun.* prætendebant, se non rejicere nuptias, ut malas, sed existimare, abstinendũ ab iis esse majoris sanctitatis specie, adeoq; hoc Pauli oraculũ non in se, sed in Tacianum Encratitarum Patrem & Marcionem potius qua-

drare

drare (quæ ipsissima ferè hodiernorum Papicolarum cantilena est) Damnati tamen à veteri Ecclesia Montanus & Montanistæ fuerunt, eisque hoc Pauli vaticinium accommodatum, ceu liquet *in Concil. Gangr. in præfat. & cap. 4. & 10.*

XVII. Sed inquit D. Jureconsultus, *Catholici, quantum ex ipsorum libris & experientia didici, non contemnunt matrimonium, potius referunt illud inter S. Sacramenta, &c.* ℞. Absolutè non rejiciunt, concedo: cùm illud approbent in Laicis, cujuscunque etiam sint conditionis: At rejiciunt & contemnunt illud in Clericis: Ita veteres Hæretici, Manichæi non damnabant nuptias absolutè, sed prohibebant eas suis Electis, teste Augustino *lib. 2. de morib. Manichæor. cap. 18.* Quanti à vobis fiat matrimonium, est in aprico. Nihil novi est in Papatu, imitari subinde veteres Judæos, qui Christum honorabant hisce verbis, *Salve Rex Iudæorum*, eique interim colaphos infringebant. Nonne Papa vester Siricius sub finé quarti seculi clericis matrimonio interdixit, abusus effato Apostoli Rom. 8. 8. *Qui in carne sunt, Deo placere non queunt?* (*vide Siric. Epist. 1. ad Himmerium cap. 7.*) Nonne & Innocentius II. Ann. 1130. iisdem matrimonium prohibuit ex eo, quòd minùs conveniens sit, ut ii, qui templis & altaribus destinati sunt, *cubilibus & lasciviis* vacent? (vide *Dist. 28. cap. 2*) Nonne deniq; & Alex III. ait, neminē posse simul voluptatib⁹ & concupiscentiis carnalibus & cultui Religioso vacare? *(vid. Alex. 3. Extra de Cler. conj.)* Ergò secundùm hos sanctissimos Patres vestros vivere in conjugio est *vivere in carne, vacare cubilibus, servire voluptatibus & concupiscentiis carnalibus.* En quàm eximiè apud vos honoretur conjugium! Scribit Cardinalis Bellarminus, Re-

ligiosos suum castitatis votum frangere, si ineant matrimonium, non autem, si fornicentur: Rationem addit lib. 2. de Monach. c. 30. *Quòd se* per matrimonium *reddant impotentes ad servandum votum, quòd non faciant, qui fornicentur.* En matrimonium Papistis honoratum! Et quid opus pluribus? quanti apud vos sit matrimonium, tu ipse haud obscure innuis, dum illud passim castitati opponis, & eos, qui vivunt in matrimonio, *inquinari* statuis pag. 47. Est ne hoc honorare matrimonium? Dicis, *Catholicos matrimonium referre inter Sacramenta.* ℞. Sed perquam absurde & ridicule. Nam 1. matrimonium extitit longe ante Christi nativitatem & quidem eodem plane modo, quo jam sub N. Testamento, qui igitur dici potest Sacramentum N. Testamenti? Nec est quod prætexant, *extitisse quidem matrimonium ante Christum, sed postea immutatum fuisse à Christo & in sacramentum constitutum.* Ubi enim, quæso, illa immutatio à Christo facta? Ostendatur nobis vel unicus Scripturæ locus? Et quid, quæso, signi & sacri, quid promissionis gratiæ hodie constituitur à Pontificiis in matrimonio, quod non pari modo repertum fuit sub Vet. Testamento? Fatetur ipse Lombardus, Magister Sententiarum lib. 2. dist. 2. lit. *a. fuisse conjugium ante peccatum institutum, non utiq; propter remedium, sed ad Sacramentum & officium.* Videre etiam est apud Becanum de Sacram. Matrim. cap. 44. quæst 4. citatos varios ex Pontificiis, *qui*, ut ipse loquitur, *asserunt matrimonium in V. T. fuisse etiam Sacramentum, ac proinde à Christo non tam institutum esse, quam confirmatum, neque esse proprium Novæ Legis.* Imo ipse Leo I. Papa Epistol. 10. ad Rustic. asserit, *Societatem nuptiarum ab initio constitutam esse, ut præter sexuum conjunctionem haberet in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum.* 2. Ubi in matrimonio requisi-

ta veri Sacramenti? Ubi institutio divina? Ubi elementum? Ubi verbum promissionis gratiæ, matrimonio peculiariter annexum, ut per illud confirmetur & applicetur? Ubi materia & forma? De quibus omnibus tanta ipsismet Pontificiis intercedit convenientia, quanta capitibus vulpium Simsonis, caudis unitarum, à se invicem aversis. Matrimonium, etiam in V. T. institutum esse Sacramentum, præter supra citatos, affirmant Catharinus, Petrus à Soto, Alphonsus à Castro: Negant autem concilium Florentinum, Thomas, Scotus, Alensis; Imo ipsum Concilium Tridentinum sess. 24 can. 1. Sacramentum hoc conferre gratiam adjutricem , asserunt Thomas & Bonaventura, quibus calculum suum addunt Tridentini: At negant Lombardus & Canonistæ. Canus, Guilielmus Parisiensis & Canonistæ fere omnes volunt, benedictionem Sacerdotalem esse de essentia hujus Sacramenti: At hoc displicet Bellarmino, Majori & plerisque Scholasticis. Verba consensum testantia, esse *formam* & actus subjectos esse *materiam* hujus Sacramenti pertendit Thomas: At negat Major. Copulam carnalem huic Sacramento esse essentialem, statuunt Gandolphus, Gratianus & alii : Renuunt autem calculum Canus, Thomas, Lombardus, Bonaventura. En Cadmeos fratres! Quorum litigia si quis penitius cognoscere desideret, consulat Celeb. Forbesium *lib. 9. Histor. Theolog. cap. 81.* Dicit quidem Paulus ad Ephes. 5. 32. juxta Vulgatum Interpretem; *Sacramentum hoc magnum est* (quo loco unice nituntur Papicolæ) At 1. Versio Vulgati vitiosa est: Cum in textu Græco habeatur, τὸ μυστήριον τοῦτο μέγα ἐστίν, *mysterium hoc magnum est.* 2. Posito tamen , hanc versionem bonam esse, quid inde pro sententia Pontificiorum? Cum (a) Apostolus non loquatur de matrimo-

 nio

nio humano, sed de mystico Christi cum Ecclesia: Ipse enim subdit statim. *Dico autem de Christo & Ecclesia.* (β) Vulgatus Interpres Eph.1.℣.9.& 3. ℣.3. *Mysterium* Evangelii nuncupat *Sacramentum.* 1.Tim.3.16. pietatem seu incarnationem Christi vocat *Sacramentum magnum.* Apoc. 17.7. *mysterium* Meretricis magnæ appellat *Sacramentum.* Dicant jam mihi Pontificii, num vox μυστήριον istis locis obvia, denotet Sacramentum N.T. proprie dictum; An vero non? Si non denotat; dicant porro, cur hic ergo denotet? Si denotat; Pontificii non septem tantum sed decem, imo plura, habebunt proprie dicta Sacramenta & *Meretrix magna* erit Sacramentum Ecclesiæ Romanæ. 3. Sed quid opus est verbis? cum verbis illis Pauli describi Sacramentum proprie dictum N. Testamenti diserte negent viri præstantissimi ex ipsismet Pontificiis, Scotus *4.sent.dist.26.q.1.n.12.* Durandus *ibid. quæst.3.* Cajetanus *Commentar.inh.l.* & alii. Ut verbo, eoque rotundo absolvam, referunt Pontifici Matrimonium inter Sacramenta proprie dicta N. T. non ex peculiari ejus cultu (notum enim est, multis parasangis ei cœlibatum ab illis præferri) sed ut adimerent Magistratui Politico in causis matrimonialibus notitiam & jurisdictionem (idque maxime propter emolumenta, inde ad ipsos quotidie redeuntia) quemadmodum eadem Curiæ Romanæ astutia Clericis prohibuit matrimoniũ, ut in tuto collocaret bona ecclesiastica, *vide Distinct. 28. Canon. de Syracusan.*

XVIII. Effugium, quod hic DJ. quærit prætendendo, *Ecclesiam Romanam nemini prohibere matrimonium, sed eos, qui vitam ecclesiasticam agere decreverint, post elapsos Novitiatus seu probationis annos sponte sua vovere cœlibatum,* vanissimum est: Nam 1. annon ille, qui præcipit alicui

extra

extra conjugium vivere, eo ipso ei prohibet conjugium? Certe æquè ac ille, qui præcipit alicui venenum bibere (ut olim Athenienses Socrati) eo ipso ei præcipit mori. Jam vero Ecclesia Romana omnibus Clericis præcipit extra conjugium vivere. *Vid. ult. Canon. Synod. Augustan.* Imo Concilium Tridentinum Seſſ. 29. can. 9. anathemate percutit dicentem, *Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel regulares castitatem professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum reddere, non obstante lege Ecclesiastica &c.* Ergo agnoſcit legem Eccleſiaſticam, qua præcipitur, ut omnes, qui Eccleſiæ miniſterium affectant, extra conjugium vivant. 2. Nonne ſatis prohibetur conjugium, cum à ſacris Ordinibus arcentur conjugati, & ad eos votum cœlibatus, tanquam neceſſaria conditio, requiritur? Atqui hoc fecit Gregorius VII, Papa Romanus; Eccleſiæ Miniſtros uxoribus privavit & ſub excommunicationis pœna Clericis cœlibatus votum præcepit; Inſtituto in hunc finem primitus Romæ Concilio, in quo decretum fuit, *ne quis Conjugati Sacerdotis Missam audiret aut ei decimas persolveret* (ut teſtantur Avent. lib. 5. p. 448. & Sigebertus Gemblac. An. 1074.) & miſſis deinceps in Germaniam literis, quibus Epiſcopis Germanis impoſuit, *operam darent, ut Clerici conjugati vel uxores repudient vel muneribus suis priventur.* Taceb o jam brevitatis gratia aliorum Paparum ſtatuta. An hoc autem non eſt prohibere Clericis Matrimonium? Quod addis, *eos, qui vitam Ecclesiasticam agere intendant, sponte sua vovere cœlibatum*, pariter futile eſt: Nam 1. præſtant quidem cœlibatus votum Monachi & Moniales; Non autem item alii Clerici: Hi enim abſtinent à conjugio non ex voto cœlibatus, ſed ex lege Eccleſiæ: Audivi id non ſemel ex ipſis Sacerdotibus, quos ea propter interroga-

vi:

vi: Nec contrarium liquet ex Ritualibus Pontificiis. Probant etiam Ecclesiæ Romanæ Doctores, Durandus & Scotus, quod Sacerdotibus non liceat in conjugio vivere, non voto sed legi Ecclesiæ unice adscribendum esse. 2. Votum, quod hic fit, non est liberum & spontaneum, ac proinde etiam non verum. Probo: Illi, qui internis ad Ecclesiæ ministerium donis ac vocatione instructus, illud affectat, aut licet inire matrimonium aut non licet. *Si licet*, habemus quod volumus: Si *non licet*: Ergo etiam liberum ac proinde verum non potest emittere votum. Concedat Papa vester iis, quos sacris Ordinibus consecrari voluit, libertatem vel contrahendi vel non contrahendi matrimonii, & nihilominus in statu religioso perseverandi, & illico liquebit, an omnes ii, qui in sacros Ordines recipiuntur, liberum & spontaneum cœlibatus votum facturi sint, necne. Tempus Novitiatus, sive jam ad unum (ut plerunque) sive ad duos annos extendatur, nihil confert ad libertatem hujus voti: nam, præterquam quod plerunque juvenes, nondum sui compotes, recipiantur, quod ego ipse sæpe vidi; illi, qui se per annum unum aut plures explorarunt, deprehendunt vel in se donum continentiæ, vel non deprehendunt: *Si non deprehendunt*, quomodo libere Deo vovere possunt continentiam, quam non habent? *Si deprehendunt*, qui eam Deo vovere possunt in perpetuum? Cùm non sit in ipsorum potestate, nec sciant, an in perpetuum sint retenturi. *Confer supra num. 6.* Novi hic effugium Dominorum Jesuitarum. Dicunt, *donum istud omnibus petentibus dari, hominesq; se ad id astringere posse, eo quòd Deum rogantibus non denegetur juxta illud Christi*, petite & dabitur vobis: *Quemadmodum fidem, licet Dei donum sit, pollicemur*: At hoc perquam jejunum est: Et possent Domini

Domini isti æque prudenter vovere, se Reges vel Principes evasuros, aut se divitias Crœsi nacturos, aut se Mathusalemum vivendo adæquaturos esse (quæ tria vota ipsis etiam perquam utilia essent: Nam sic possent aulis, quibus tamen delectantur, semper interesse, divitiis, quas valde amant, saturari, & hæreticorum, quos vocant, conversioni diutius invigilare) cùm non minus & hic illud *petite & dabitur vobis*, si sine restrictione & de rebus ad salutem non necessariis intelligendum est, obtinere queat. Dicant autem nobis Domini Jesuitæ, an Votarii Papistici à Deo hoc donum petant, an non? *Si non petunt*, valde utique redarguendi sunt, quòd preces tam utiles sibi, tamque necessarias negligant. *Si petunt*, preces ipsorum in auribus Dei perquam exiguæ efficaciæ sint, oportet; Cum & experientiâ & ipsis pontificiorum confessionibus, quas in sequentibus audiemus, liqueat, ipsos magis Venereæ libidini quam Virgineæ castitati vacare. Dicant nobis porro, si donum continentiæ tam facile precibus obtinetur, cur ergo ad conservandam virginitatem Origines se ipsum corporaliter castraverit? cur, ut supra audivimus, ad supprimendas libidines St. Franciscus *in nive* & St. Benedictus *nudato corpore per dumos & carduos se volutaverint?* Fidei, charitatis & similium donorum ratio est diversissima: Illa enim ad salutem sunt necessaria: Hoc autem (scil. donum continentiæ) non item: Illa sunt nostri officii & communis vocationis; Hoc vocatiônis peculiaris: *Non enim omnes sunt capaces hujus sermonis, sed ij, quibus datum est*, inquit ipse Salvator Matth. 19. ℣. 11. illa promitti possunt, quia omnibus præcipiuntur ac cum impetrationis certitudine, utpote quæ omnibus petentibus sunt promissa, à Deo peti possunt: Hoc quibusdam tantum, iisque paucis est

promissum. Generalis illa promissio *petite & dabitur vobis* cum restrictione à Domino in parabola posita, *Surget & quantum opus erit, largietur*, est intelligenda. De necessitate autem illa non opinionis nostræ, sed divinæ sapientiæ est judicare. Sanè si hæc & huic similes promissiones generales sufficerent ad probandum, omnibus & singulis, modo petant, continentiam obtentu possibilem esse, Paulus utique, cui haud dubie illud præ aliis notum fuisset, non dixisset, *si se non contineant, matrimonium contrahant*, sed, *si se non contineant, petant & dabitur ipsis*.

XIX. Paulus 1. Cor. 7. 37. *rotundis verbis*, ut loqueris, non dicit, *quod dependeat à libera hominis voluntate perpetua continentia*: Sed tu *rotundè* hoc fingis D. Jureconsulte: Dixerat Apostolus versu præced. *Si quis* sese *existimat aliquid non decens in Virginem suam committere, si florem ætatis excedat, & ita debet fieri: quod vult, faciat! non peccat; jungatur matrimonio*: Jam vero subjungit; *Qui vero perstat stabilis in corde, nec adigitur necessitate, sed in potestate habet propriam voluntatem & hoc decrevit in corde suo, ut conservet suam virginem, benefacit*. Ubi hîc, quod homo habeat liberam voluntatem continendi in perpetuum? Observa, Apostolum elocaturo virginem suam, unam proponere conditionem, nimirum propriam voluntatem, *si putet indecens, virginem non nubere*, sed destinaturo virginem cœlibatui non hanc tantum proponit, *ut ita decrevit* sed præterea, *ut non adigatur necessitate, sed in potestate habeat propriam voluntatem*, id est, ut exponit Jesuita vester Salmero Disput. XIV. in 1. ad Corinth. 7. Si *non cogitur à filia ut contrarium faciat: nam si videt mores aut opera filiæ cogere ipsum ad elocandum, non debet ipsam cogere ad servandam virginitatem. Virginitas enim voluntaria esse debet,*

debet, non coacta. Unde evidens est, non sicut omnes possunt elocare virgines, qui volunt, sic omnes posse cœlibatui destinare, qui volunt: ac proinde quosdam velle, qui tamen non possint. Quid clarius in rem nostram? Constat quippe hinc evidentissime, non dari optionem ex æquo, id est, supposita sola voluntate, ut volunt Papicolæ.

XX. Loca Deut. 23. 21. 22. & 27. Psal. 50. 14. & Num. 30., incassum allegat D. Jureconsultus ad probandum, votum cœlibatus obligare voventes: nam locis illis sermo est de votis legitimis: hoc autem, nimirum cœlibatus votum, quale à Monachis & Monialibus vovetur, illegitimum est 1. quia diserte repugnat verbo Dei 1. Cor. 7. 2. & 7. Impium est votum, quo astringitur homo ad violandam Dei legem, ut morem gerat legi humanæ. Lex divina est. *Si non continent, uxores ducant.* Lex humana. *Monachus non continens uxorem ne ducat, quia voluit cœlibatum.* 2. Quia, fatentibus ipsismet Pontificiis, Thoma 2. 2. q. 88. § 6. & 8. & Jesuitâ Laymanno lib. 4. Tract. 4. cap. 2. id quod vovetur, debet *esse in potestate voventis:* At continentia est Dei donum, quod non ex arbitrio voventis dispensatur, sed paucis conceditur, Matth. 19. 11. 1. Cor. 7. 7. (3) Quia ejusmodi votum Deum tentat eique illudit: Perinde enim agit homo non continens, dum vovet continentiam, ac æger, dum promitteret Deo, se non usurum remediis, quæ præcipiat ac porrigat. (4). Quia pugnat cum Christiana libertate, in qua perstare nos jubet Paulus Gal. 5. 1. Cum enim potestatem matrimonii in casu necessitatis ineundi tollat, liquet sane, laqueum injici conscientiis contra voluntatem Pauli 1 Cor. 7. 35. (5) Non pauci ex ipsismet Adversariis statuunt, Papam non tantum in

voto simplici, sed etiam solemni (quorum hoc, quia factum solemnibus ceremoniis , ab illo differre volunt, quòd post *illud* Matrimonium contractum in tantum valeat, ut rescindi non queat, post *hoc* autem prorsus sit invalidum ac nullum, ita ut ejusmodi Votarius, dum vivit in matrimonio, sit censendus vivere in continua scortatione) dispensare posse. Sic censet Tiraquellus *præfat. lib. de pœnit. num. 48.* Sic Jesuita Maldonatus *in summ. q. 12. art. 7.* & Azorius *Instit. Moral. lib. 12. 7.* Imo est hæc communis opinio Scholasticorum contra Thomam. Si jam Monachis & Monialibus, prævia Papæ dispensatione & beneplacito, non obstante ipsorum voto, matrimonium contrahere licet cur ergo iisdem , dum se dono continentiæ destitutos vident, per legem divinam, quæ vult, *ut, si non continent, matrimonium contrahant*, non liceat, non obstante eodem voto, matrimonium contrahere? Num forte verbum Papæ majus aut efficacius , quàm verbum Dei omnipotentis? *Melius est*, inquit Epiphanius Hæres. 61. *lapsum à cursu, palam sibi sumere uxorem secundùm legem, & à Virginitate multo tempore pœnitentiam agere & sic rursus in Ecclesiam induci, velut qui mala operatus est, velut lapsum & fractum & obligatione opus habentem, & non quotidie occulte jaculis sauciari ab improbitate, quæ ipsi à Diabolo infertur: Sic novit Ecclesia prædicare.* At hæc non est Ecclesia Papistica: illa quippe rectius ducit, ut semel à cursu lapsus, eundemque lapsum repetens sæpius, in idem crimen incidat, quam ut matrimonio à Deo ordinato sublevetur. Audite Bellarminum. *Etiam post votum simplex*, inquit ille lib. 2. de Monach. c. 34. *aliquo modo est majus malum sic nubere, quam fornicari: quia qui ita nubit, reddit se inhabilem ad votum servandum, quod non facit, qui fornicatur.* Audite & Jesuitam Costerum: *Sacerdos,*

dos, inquit is Enchirid. Tractat. de cœlib. *si fornicetur, aut domi concubinam foveat, tametsi gravi sacrilegio se obstringat, graviùs tamen peccat, si contrahat matrimonium.* En pietatem Papisticam!

XXI. Votum Jephtæ etiam cœlibatus voto in Papatu non favet; Si enim Jephta filiam suam in holocaustum obtulit, ut vult D. Jureconsultus contra alios Pontificios, Lyranum, Vatablum, Estium & alios (qui censent, eum filiam suam à mundo abstractam Deo consecrâsse) ergò non vovit cœlibatum filiæ, sed potiùs oblationem in holocaustum. Dices, *exinde tamen patere, quòd votum, Deo semel nuncupatum, sit servandum*: Rt. Si sit legitimũ, quis in dubium vocat? quamvis interim hoc exemplo, utpote singulari & extraordinario non sit standum: sequeretur enim, & hodie parentibus potestatem esse liberos suos mactandi & in holocausta offerendi, quod D. Jureconsultus non facile concesserit.

XXII. Dicis, *Quòd castitatem vovere malum sit, repugnat Dei verbo, &, quia Reformati nihil credunt, nisi expressè fundatum sit in S. Scriptura, vellem mihi de hoc* (à Molinæo) *allegato interdicto locum Biblicum citari.* Parum observans juris est D. noster Jureconsultus. Bis enim paucis hisce lineis injuriam nobis infert. Nam 1. Reformatos docere *malum esse, castitatem vovere*, ita simpliciter positum, falsum est. Castitas est virtus, omnibus regenitis communis, quam non negant DEO voveri posse, ità nempe, ut pius Christianus se in illo statu, ad quem à Deo vocatur, sive jam sit cœlibatus, sive conjugium, castè, piè & sanctè victurum & *vas suum possessurum cum sanctimoniâ & honestate* 1. Tim. 4. 4. Deo polliceatur & voveat: quod votum etiam in communi baptismatis voto includitur. Hæc castitas non opponitur conjugio,

ſed impuritati, ut ipſe innuit Paulus Hebr. 13. 4. *Honorabile eſt conjugium inter quosvos*, καὶ ἡ κοίτη ἀμίαντος *& cubile impollutum; Scortatores autem & adulteros condemnabit Deus.* Sic Suſanna fuit caſta, licet conjugata. Nec ſperem, te dicturum, quod, ex quo in matrimonio vixiſti, caſtitati valedixeris, licet Papa veſter Siricius Conjugibus illud Pauli applicet; *Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt* Rom. 8. 8. Si verò tibi hîc idem eſt *caſtum* eſſe, *quod continere* (quemadmodum vocabula *caſtitas* & *continentia* ſæpius confundi, notum eſt.) Verum quidem eſt, Reformatos docere, quòd malum ſit, & verbo Dei repugnet *ſimpliciter, abſolutè* & *irrevocabiliter*, ut in Papatu ſit, vovere caſtitatem: at etiam non minùs verum, eos præeunte verbo divino ità docere. Vide num. *6.* 11. 18. & 20. Prætereaetiam falſiſſimum, *Reformatos nihil credere, niſi expreſſè fundatum ſit in S. Scriptura:* Ex quo Reformatorum hoc audiviſti? ubi legiſti? Tu ne tamdiu profeſſus es Reformatam Religionem, & nondum didiciſti, quid Reformati ſtatuant? Num in adverbio *expreſſè* quæres effugium? fruſtraneus eris: quocunque enim modo illud accipias (ſive pro eo, quod totidem verbis in Scriptura continetur, ſive etiam pro eo, quod è Scripturis neceſſario infertur & concluditur) ſemper in nos injurius exiſtes: cùm plura credamus, licet non tanquam ad ſalutem neceſſaria, quàm illa, quæ ſic in Scriptura continentur.

XXIII. Verum eſt, *Chriſtum voluiſſe naſci ex Virgine, quæ & ipſa ſervaverit caſtitatem:* ſed & non minùs verum, *ipſum voluiſſe naſci ex Virgine viro deſponſa* Matth. 1. 8. adeoque non ex tali, quæ feciſſet votum cœlibatus, ut Pontificii de B. Mariâ nugantur. Nam ſi Maria ejusmodi votum nuncupâſſet, feciſſet hoc aut *ante*, aut

poſt

post sponsalia cum Josepho: Neutrum autem dici potest: ergò tale votum non nuncupavit. Non *ante*: nam aliàs se Josepho despondere non potuisset, & quidem ità, ut ante revelatum sibi mysterium constituisset conjugaliter ei cohabitare. Ita enim S. Scriptura disertè ait Matth. 1. 18. *Quum enim mater ejus Maria desponsa esset Iosepho*, πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτοὺς, *priusquam ipsi convenissent, inventa est gravida esse ex Spiritu sancto.* Fuit proinde Josephi & Mariæ post sponsalia propositum convenire, id est, in conjugali societate vivere, quo sensu & Paulus verbum συνέρχεσθαι usurpat 1. Cor. 7. 5. Agnoscit hoc ex Pontificiis Abulensis Quæst. 30. in Matth. Non *post* contracta sponsalia, cùm non amplius fuerit suæ spontis B. Virgo, nec id voti genus ratum esse potuerit sine consensu sponsi, cùm sponsa pro uxore quoad vinculi obligationem habita fuerit inter Judæos Num. 30. 13. Nec favent ejusmodi voto verba, quæ sanctissima hæc Virgo fecit ad Angelum Luc 1. 34. *Quomodo istud fiet*, ἐπεὶ ἄνδρα οὐ γινώσκω, *siquidem virum non cognosco?* Non enim dicit, *non possum propter factum votum virum cognoscere*, aut, *ego in futurum non cognoscam virum*: sed dicit, *virum* (nimirum in præsens) *non cognosco*, quæ verba non moralem impotentiam ob votum aliquod interveniens, sed tantùm ejus virginitatem innuunt; quasi diceret: *Quomodo istud fiet, cùm desponsa quidem sim viro: at nondum ei conjugaliter cohabitem?* Et quid? Quis non existimet, hanc beatissimam Virginem, si tale votum nuncupâsset, Angelo, nativitatis nuncio, statim rotundis verbis dicturam fuisse, se non posse propter nuncupatum votum ulli nubere, adeoq; nec filium parere?

XXIV. Verum etiam est, *Sacerdotibus Vet. Testamenti*

menti non nisi virgines ducere uxores licuisse: at quid inde pro voto cœlibatus D. Jureconsulte? Si duxerunt uxores, non voverunt utique cœlibatum. Optat quidem etiam Paulus, *ut omnes homines sint sicut ipse* 1. Cor. 7. 7. At addit ℣. eod. *Sed unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem ita; alius autem ita.* Confer num. 11. Dicit quoque Christus juveni illi, *abi, quæcunque habes, vende & da pauperibus, &c. & sequere me* Marc. 10. 21. at non dicit, *in cœlibatu*: hoc non legitur in textu: sed tuum est figmentum. Vixit quidem Servator noster cœlebs (quia nimirum non venerat genus humanum carnali generatione propagaturus, sed per sui ipsius oblationem sibi semen spirituale acquisiturus Jes. 53. 10.) at neminem jussit se sequi in cœlibatu, nisi continentiæ donum à Deo singulariter nactum: secundum ipsum non aliter relinquendæ sunt uxores, quàm parentes ac liberi, idque ab omnibus æquè ac Ministris 18. 29. Præterea verba illa Christi ad juvenem non sunt *consilij*, ut volunt Pontificii, (Non enim per modum consilii proponuntur, quæ sequi vel non sequi positum fuerit in ejus arbitrio, sed per modum præcepti, *abi, vende, sequere.*) sed speciale quoddam probationis seu explorationis mandatum continent, ei eo fine injunctum, ut tectam superbiam & hypocrysin ipsi detegeret, quòd obedientia omnibus mandatis præstita gloriaretur, cùm tamen illorum mentem minimè intelligeret. *Laudat* quidem *Christus eum*: at tantum ratione *desiderij*, quod testabatur vitæ æternæ obtinendæ, & *studij* in implenda lege impensi, licet nævis suis non destituti: non quasi, quod jactabat, à juventute legem observasset: nam tristitia, quam ex præcepto Christi concepit, satis testatur, quòd amor ejus erga Deum perfectus non fuerit. *Vis*

tibi

tibi homines, simile quid præstantes inter Reformatos monstrari, cùm è contrario inter Catholicos multa millia reperiantur. Fatemur hîc lubentes paupertatem nostram D. Jureconsulte: Non habemus, &, si haberemus, non amamus ejusmodi turgidos & perfectam legis observationem Pharisaicè jactantes Socienos, sive sint juvenes, sive senes: vos si tot millia in Monasteriis vestris habetis, vobis prærogativam non invidemus, dicturi interim, dum ipsi cum Pharisæo illo opera sua jactant, eorumque merita crepant, cum Publicano, *Deus propitius esto nobis peccatoribus.* Luc. 18. 13.

XXV. Non negamus etiam, *contingere non rarò in emporiis aliisque magnis urbibus, ut conjux negotiationum suarum ergò à conjuge profectus, integrum annum, aut quandoque etiam plures apud exteros agat.* At quid inde D. Jureconsulte? *Dicis*, si jam conjuges ejusmodi, locorum distantiâ à se invicem separati, licet continentiæ votum non nuncupaverint, gratiâ Dei nihilominus contineant, ut &, qui toro viduo cubare tenentur; quidni & isti, qui, postquã se diu explorârunt, indesinẽter hanc gratiã à Deo petunt, continerent? Verùm frustra: nam D. Jureconsultus non ignorare debebat, hoc in casu ejusmodi conjugem à Deo ad continentiam vocari, ac proinde certò confidere posse, se, cùm societate citra culpam suam destituatur, Deo autem omnis impuritas displiceat, in precibus suis, ratione continentiæ ad Deum fundendis, infallibiliter exauditum iri. Cùm enim illi hoc in casu continentia ad salutem sit necessaria, nec aliud ei pro ratione istius temporis remedium suppetat, quàm ardentes preces, valet hîc divina promissio. *Quicquid petieritis in nomine meo, hoc faciam* Joh. 14. 13. Verùm quid hoc ad illos, qui sine divina vocatione contra Dei insti-

institutionem ejusque voluntatem precantur; sine necessitate, sed ex merâ petulantiâ & propriâ phantasiâ, tantùm ut (ceu ipsi loquuntur) *cælestem aureolam mereantur?*

XXVI. Apostolos fere omnes in cœlibatu vixisse, falsissimum esse, supra modo demonstratum est, num. 9. Philippum quoque Evangelistam conjugatum fuisse, quatuor, quas habuit, filiæ extra dubium ponunt Act. 21. 9. Has quidem fuisse virgines, cum prophetarent, Scriptura asserit; sed quod tales semper manserint & quidem ex voto (de quo nobis quæstio est) ubi habetur D. Jureconsulte? Ubi habetur etiam, plurimos Patrum fuisse Monachos? Ubi leguntur tria ipsorum vota, monachatum constituentia? Si Sancti illi Viri viderent hodiernos vestros cucullatos Votarios, merito operum turgentes, abhorrerent ab illis tanquam à monstris, *vide num. 4.* Verum est, multos eorum, ut Augustinum, Ambrosium, Epiphanium, Cyprianum, Cyrillum, Hieronymum, Athanasium & alios cœlibes vixisse: at etiam non minus verum, multo plures fuisse conjugatos, ut sunt, Hilarius, Gregorius Nazianzenus Gregorii Theologi Pater, Gregorius Nyssenus frater Basilii, Clemens Romanus, Spiridion, Polycrates, Polycarpus, Prosper Aquitanus, Sidonius Appollinaris, aliiq; innumeri, quorum exempla refert & vindicat, præter Celeb. Molinæum *in Novit. Pap. lib. 7. c. 8*, eruditissimus Chamierus *lib. 16. c. 13.*

XXVII. Videntur suaves, intra cœlibatus Papistici septa progerminare soliti flores D. Jureconsulto suboluisse, quod statim subjungit; *Verius forte est justo, quosdam Monachos & Moniales statui suo religioso non convenienter vivere, ut decet.* Rem acu tangis D. Jureconsulte! Non

Non sunt autem talium *quidam* tantum, ut scribis, sed *plurimi*. Ne autem putes, me per calumniam hoc Religiosis vestris affingere; En, ex propriis Auctoribus vestris (quòd haud dubie non ægre feres) id quam evidentissime probatum dabo. *Inter multos Religiosos*, inquit Imperator Maximilianus apud *Thuan. lib. 35. vix unus reperitur, qui puram castitatem servet*: *Inter centum Sacerdotes vix tres aut quatuor reperiri, qui non cum concubinis se inquinent*, fassus est Bavariæ legatus in ipso Concilio Tridentino, *vide Suav. Polanum Hist. C. T. lib. 6.* Fatetur & Petrus de Alliaco in Lib. de Ref. Eccles. *Monachos suis immunditiis Ecclesiam commaculâsse*; & Gerson in tract. declar. defect. Eccles. *claustra Monialium esse prostibula meretricum.* Alvarus Pelagius inter *vulgaria Monachorum scelera* hæc refert de planct. Eccles. lib. 2 art. 24. *quod incautam familiaritatem habeant cum mulieribus, quas sibi commatres faciant*. Item, *quod incaute cum Monialibus conversentur*: Ut jam brevitatis gratia sileam horrendas Gersonis, Nicolai de Clemangis & aliorum hac de re querelas. Unde & ipse Pius II. referente Platina in ejus vita, *Sacerdotibus magna ratione ademptum conjugium* existimavit *majori restituendum.* Ac proinde ex usu foret Reipublicæ, ut Monachi, dum inter castratos referri volunt, primis duobus modis à Domino citatis se castrarent, ne, dum tertium simulantes, *mane filium Virginis offerunt in Altari*, ceu supra audivimus loquentem Innocentium III, *nocte filium Veneris agitarent in cubili.*

XXVIII. Regeris, inter conjuges etiam, imo inter ipsos quoque Pastores Reformatos conjugatos reperiri, qui adulteria committant; at incassum: Nam ad Pastores nostros quod attinet, si vel maxime tales reperirentur, nulla tamen exinde culpa Ecclesiæ nostræ in-

cũberet, queadmodũ vestræ; siquidem nostra non tantum nullam ad ejusmodi scelera ansam præbet, sicuti vestra per prohibitum matrimonium: sed etiam ejusmodi scandalosos homines actutum à sacro illo munere removet & in perpetuum relegat. Lustra & perlustra D. Jurisconsulte omnes parochias nostras, & ne unicum quidem invenies, qui scortationis aut adulterii convictus & simul Pastor esse queat. E Contrario Ecclesia vestra Romana non duntaxat ad ejusmodi impuritates ansam præbet per suum conjugii interdictum, sed etiam sceleratis illis variè connivet & munera sua una eademque ratione obire patitur, verens forte, ne, si omnes istos removeat, paucos retentura sit. Agnoscit enim expresse Papa Alexander III. *Decret. Gregor. lib. 2. tit. 1. cap. 4.* Episcopos in adulterio aliisque eo minoribus Sacerdotum peccatis post præstitam pœnitentiam dispensare posse. Et postquam Papa Pius V. Bullam emisit, cujus titulus est *contra Clericos Sodomitas* (*vide Montalt. Epist. Provinc. 6. & Not. 2.*) Casuistæ, maxime Jesuita Escobarus *Tr. 1. Exam. 8. num. 102.* eam tam lato sensu explicarunt, ut verecundia mihi prohibeat illam ex propriis eorum scriptis hîc enarrare. D. Jureconsultus dignetur ipse videre, quid jam memoratus Jesuita loc. cit. ad hanc quæstionem; *Num Bulla Pÿ V. contra Clericos Sodomitas obliget in foro conscientia?* respondeat, & tum secum perpendere, quid prudens neutrique parti addictus ejusdem lector de Clero Romano censere possit aut debeat. Nec interim probari poterit, quod Adversarii prætendunt, adulterii crimen adeo inter Pastores nostros commune esse. Imò contra affirmare ausim, in magna quadam & memorabili regione intra Seculum tot exempla impurorum prædicantium non occurrisse, quot intra seculum exempla ejus-

ejusmodi Paparum tantum, qui, testantibus ipsiusmet Ecclesiæ Romanæ Scriptoribus, impurè vixerunt, occurrunt. Inter alios etiam conjuges si talia quandoq; sese offerunt exempla, quid, quæso, ad rem? Num propter malum unius aut alterius exemplum, conjugium, ceu bonus & sanctus Dei ordo, abrogandum? sed contra esset æquum & salubre, ut, propter vulgaria & passim ferè inter Clericos obtinentia impuritatis scelera, conjugii interdictum & vota Monastica, utpote quæ sacro isti Dei ordini repugnant & non parum ad ejusmodi impuritates contribuunt, penitus abrogarentur.

XXIX. Tandem etiam D. Jureconsultus noster inter traditiones refert pædobaptismum, autumans eum solide ex sola Scriptura probari non posse contra anabaptistas, edoct' id forte ex Jesuita Elffio, itidē apostata: sed non est, quod ego vobis respondeam, cū sint ex Jesuitis vestris, qui hoc evidentissime probant ex S. S. contra Anabaptistas. Adite Catechismum Romanum: Adite Becanum *part. 3. Theol. Scholast. tr. 2. c. 10*: Adite inprimis ipsum Bellarminum vestrum, qui lib. 1. de Bapt. c. 9. expressè dicit, *quod licet non inveniamus expresse mandatum, ut baptizemus infantes, tamen id colligatur SATIS APERTE ex Scriptura.* Et capite præcedente octavo varia argumenta ad idem probandum ex Scriptura suppeditat. Possum ergo ego hoc labore supersedere, donec audivero, à vestris Doctoribus Sectæ Anabaptisticæ non satis fieri. En interim, quam eximia inter vos Pontificios, qui semper consensum vestrum crepatis, sit convenientia!

XXX. Dicis, *si tandem juxta adversariorum sententiam & doctrinam Scriptura adeo accurate & presse est insisten-*

 sisten-

sistendum, eique nihil addendum, nihil demendum, ergo etiam pastores cum prolixis capillis suggestum conscendere non decet, cum Apostolus 1. Cor. 11. 14. expresse dicat, naturam docere nos, quod viro quidem comatum esse dedecori sit. Risum teneatis amici! Putâram, nobis sermonem esse de articulis fidei; sed D. Jureconsultus devenit ad capillos: Num ergo etiam capilli inter articulos fidei referendi? Apostolus, cum dicit, *ipsam naturam docere, quòd viro dedecori sit comatum esse,* non prohibet simpliciter comā alere, sed alere comā muliebri more promissā: hoc enim Græcis auctoribus est κομᾶν. Audi Jesuitam vestrum Salmeronem. *Et quod ait* Apostolus (inquit *Disput. XVIII. in 1. ad Corinth.*) *si comam nutriat, intellige instar mulieris, quæ nimis longos producit capillos.* Quis autem ex Reformatis Pastoribus hoc facit D. Jureconsulte? Quin si quidam eorum facerent, quis approbat? *Indecens esset,* inquit Cl. Rivetus noster in h. Pauli loc. *si Dei servi id quod omnes viri modesti facere tenentur, omitterent.* Sed en D. Jureconsulte! non est hîc Apostolo sermo ad solos Pastores, sed (quod negare non potes) ad Corinthios in genere. Tu ergo ipse quare hactenus gestâsti prolixū, crispatum & muliebriter per humeros ac tergum fluens caliendrum? Si *ipsa natura docet, quod viro dedecori sit comatum esse*; Quomodo tū ergo hactenus contra naturam peccare non dubitasti? Nonne *turpe est Doctori, cùm culpa redarguit ipsum*? Verum est, dari etiam inter Pastores Reformatos, qui ejusmodi caliendra gestent, sed necessitate adacti, sed modesta, non more muliebri per humeros ac tergum defluentia: si secus à quopiam fieret, non eo nomine laudandus veniret. *Medium* ut in aliis, ita & in hoc *tenuere beati.* Ut Apostolus non vult ali comas nimis promissas, ita etiam eas non vult ad cutem tonderi, agnoscente Salmerone:

Undè

Unde ergo tonsæ Monachorum vestrorum coronæ? Num forte ad revocandam sibi in memoriam coronam Christi spineam? Scio, hoc vulgo prætendi. Atquis eos docuit, sic sibi in memoriam Christi spineam coronam revocare? Ubi præceptum in S. Scriptura? Ubi exemplum in tota sana antiquitate? Et certè si hæc ratio valeret: Omnibus Christianis æque ac Monachis circularis corona gerenda esset, cum omnes spinarum Christi memoriam colere oporteat. Suspicor D. Jureconsultum nostrum, quando Pastoribus nostris capillos satis disputaverit, etiam Capucinis & Minoritis suis promissas barbas disputaturum esse, maxime si intellexerit, Concilium Constantiense ad subducendum Laicis in S. Cœna calicem, inter alias rationes, etiam promissis Laicorum barbis, utpote quibus facile aliquid sanguinis possit adhærescere, fuisse motum; cum & idem Sacerdotibus barbatis posset accidere: *Certè*, inquit ipse Jesuita Salmero loc. supr. cit. *si consulamus rationē, sacerdotes ad sacrificandum & percipiendum Christi corpus, mundius esset barba carere, maxime prolixa, quia purius sanguinem Christi haurirent.*

XXXI. Verba Pauli 1. Tim. 2. 8. 9. quibus vult, *ut viri precentur in quovis loco, puras manus attollentes absq; ira & disceptatione, & ut itidem mulieres amictu honesto, cum verecundia & moderatione sese ornent, non cincinnis, vel auro vel margaritis vel pretioso vestitu*, nos non latent. Sed *ubi*, inquis, *hodie id mulieribus, maximè quæ ad aliquem dignitatis gradum elatæ sunt, prohibetur?* Si non apud vos, qui verbum Dei non magni facitis, præferentes centū concionibus unā Missā: apud nos sæpius, & quidem è suggestibus. *Existimem autem*, inquis, *Pastorum uxores, si modo per subsidia liceret, omnium maximè sese ornaturas esse.* Incidit

cidit mihi hîc inter ſcribendum illud Virgilii ; *Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus.* Putabam, neſcio, quid magni & ſingulare ad probandas ſuas Traditiones dogmaticas à D. Jureconſulto allatum iri; ſed en, adfert capillos Paſtorum & veſtes mulierum, quaſi verò hæc inter articulos fidei (de quibus nobis unicè quæſtio eſt) referenda veniant. Sed en D. Jureconſulte, aut intelligis omnes Paſtorum uxores, aut quasdam tantùm. Si *prius*: 1. temerarius es, quia omnes non nôſti. 2. falſus es: cùm ſint multæ, quibus ſubſidia non deſunt, & tibi & mihi notæ, honeſtiſſimo habitu (nam abuſum veſtium Paulus tantũ improbat) incedentes: Si *poſterius*: quid, quæſo, ad rem? cùm abuſus, quem nos non approbamus, etiam in Paſtorum ædes irrepere queat. Rectiùs fortè, dum de abuſu veſtium loqui volebas, oculos tuos convertiſſes ad urbem Romam, in qua, teſte Mantuano Sylv. lib. 1. *omnia cùm liceant, non licet eſſe pium*: in ea enim meretrices Clericorum, quò horum Miſſificum amorem in ſe eò magis derivent, habitu luxurioſiſſimo incedunt. Dabis veniam, ut, ne me dicas mentiri, verbis tuorum Catholicorum probem. Sunt ii delecti à Paulo III. Cardinales. *In hac etiam urbe*, inquiunt illi (vide Concilium delector. Cardinal. Tom. 3. pag. 823.) *meretrices* NB. *ut matronæ incedunt per urbem, ſuâ mulâ vehuntur, quas aſſectantur de media die nobiles, familiares Cardinalium, Clericique.* Et hinc eſt, quod exclamat Muſſus, Epiſcopus Bipontinus Orat. habit. in Concil. Trid. Seſſ. 2. *Quibus turpitudinum monſtris, qua ſordium colluvie, qua peſte non ſunt fœdati, non corrupti in Eccleſia ſancta Dei populus & ſacerdos? A Sanctuario De incipite; Si ullus jam pudor, ſi ulla pudicitia, ſi ulla supererat benè vivendi vel ſpes vel ratio; ſi non libido effrænata & indomita, audacia ſingularis,*

laris, si non scelus incredibile. Huc vertat oculos D. Jureconsultus, & sat habebit, quod domi videat, ut necesse non sit alienas Pastorum nostrorum ædes introspicere.

XXXII. Aliud est, cultu & honore prosequendũ esse nomen JESUS, *formaliter* sumptũ pro ipsa voce, ex quinque literis constante: aliud, idem honorandum esse *materialiter* consideratum pro personâ, tali nomine insignitâ. Posteriori, non priori sensu Apostolus hoc Nomen accipit; cùm ait, *datum esse Christo* ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα, κλ. Phil. 2. 10. Confer loca parallela Jes. 45. 22. & Rom. 14. 11. & videbis verissimũ esse: cùm ibi non statuatur externũ Nomen JESUS, tanquã objectũ genuflexionis, sed Jehova & persona Domini nostri Jesu Christi. Sed de hoc Nomine & honore ei debito satis actũ cap. I. num. 14. quò, ne actum agam, D. Jureconsultum remitto.

PARAG. IV.

DE

Miraculis.

I. INter alia dona miraculosa, quæ in Ecclesia primitiva obtinebant, occurrit etiam donum sanationis, de quo hæc apud Marcum cap. 6. vers. 12. 13. *Egressi igitur* Apostoli *proclamabant, ut resipiscerent, & dæmonia multa ejiciebant, ungebantque multos malè valentes, & sanabant eos*: ista verò apud Jacobum c. 5. ℣. 14. 15. *Ægrotat aliquis inter vos? advocato Presbyteros Ecclesiæ, & precentur pro eo, ungentes eum oleo in nomine Domini, & preces fidei*

servabunt laborantem, erigetque eum Dominus, quòd si peccata commiserit, remittentur ei. Ex his duobus locis conantur Pontificii suum Extremæ Unctionis Sacramentum exstruere: sed tali animorum nexu, qualis erat inter capita vulpiũ Simsonis. Jesuita Maldonatus *in Comment. & Disp. de Sacram. Extr. Vnct.* pro virili contendit, Marcum & Jacobum loqui de una eademque unctione, improbatque quam maxime Catholicorum suorum sententiam, qui dicunt, Marcum non agere de Sacramento extremæ unctionis, sed tantum insinuare, quasi figuram quandam præcedentem. Alii è contrario, inter quos est Bellarminus *de Extrem. unct. c. 2.* Gregorius de Valentia *In 3. part. disp. 8. quæst. 1.* & Dominicus à Soto *In 4. dist. 24. q. 1.* contendunt, unctionem, de qua loquitur Marcus, esse diversam ab ea, cujus mentio fit apud Jacobum: Ipsemet Bellarminus non modo enumerat illos è suis qui diserte negant, unctionem Sacramentalem administratã fuisse ab Apostolis, sed & disertas adfert quatuor rationes & subjungit authoritatẽ Concilii Tridentini, demonstraturus, unctionem, de qua loquitur *Marcus,* nec fuisse Sacramentalem, nec eandem cum ea, de qua loquitur *Iacobus.* Contrà vult Cardinalis Cajetanus *Comment in cap. 5. Epist. Iacobi,* nec ipsum Jacobum loqui de Sacramento Extremæ Unctionis. *Verba hæc,* inquit, *nec ex verbis nec ex effectu loquuntur de Sacramentali unctione Extremæ Unctionis, sed magis de unctione, quam instituit Dominus Iesus in Evangelio, à discipulis exercendam in ægrotis.* En Cadmeos fratres! quorum ridicula hîc possem fusiùs recensere & contradictoria, quæ tũ in materia, tũ in forma, tũ in effectu commentitii hujus Sacramenti Pontificii solent requirere & disputare, arguere, nisi subtiles D. Jureconsulti nostri quæstiones mihi jã aliud

aliud facesserent negotium. Quærit ille, post hæc citata Marci & Jacobi loca, illico; *Quis Reformatorum, qui tamen tantopere Scripturam crepent, hæc præstet?* & ad responsionem Cl. Molinæi *in Scuto fidei Art.34. sect.7.* quòd scilicet *donum miraculosè curandi cessaverit, ac proinde æquè conveniens sit, hodie adhuc observari hanc unctionẽ,* ac, ab homine, *qui cœcus evaserit, usurpari adhuc specilla,* instat, *ubi ergò legatur, donum istud miraculosè curandi cessasse?* Hem subtilem quæstionem! eâdem certè dignam responsione, quâ illa cœci, ulterius quærentis, ubi legatur, sibi, jam oculorum lumine casso, non convenire amplius specilla. Cœcus *legat*, id est, illud observet *ex defectu oculorum*: Tu autem *lege* & disce hoc 1. ex eventu & *defectu facti.* Ubi enim hodie sacerdotes Pontificii (ut de aliis jam non dicam) per suum Oleum Olivarum (tale enim hodie exigunt, cùm tamen Jacobus *Olei* tantummodo meminerit) licet etiam integrum batum adhiberent, ægrotis sanitatem restituunt? *Lege* & disce hoc 2. ex ore Christi, qui quidem primævis Christianis in ipsum credentibus hoc, ut & multa alia miraculorum dona promisit, eosque etiam illis actu exornavit, sed nusquam promisit fore, ut ea semper in Ecclesia sua vigeant. *Lege* & disce hoc 3. ex cessatione causæ finalis, quæ erat Messiæ manifestatio. Ad eam refertur tũ prædictio Prophetica Jes. 35. 4. 5. tum Christi promissio Marc. 16. ℣. 17. 18. *Lege* & disce hoc 4. ex tuis Pontificiis. Sic enim ait Bellarmin. lib. de Sacr. Confirm. cap. 2. *Initio Ecclesiæ, qui credebant, operabantur miracula, juxta illud Marc. ult. Signa eos, qui crediderint, hæc sequentur; super ægros manus imponent & benehabebunt.* NB. *Nunc cessavit iste effectus fidei.* Et Episcopus Roffensis de capt. Babyl. advers. Lutherum cap. 10. part. 4. *Promisit Christus,*

ut discipuli dæmonia ejicerent, quam promissionem (arrige aures D. Jureconsulte) *nullum his diebus effectum sortiri, dilucidè cernimus. Nullus ènim est, qui nunc corporaliter dæmonium ejicit, aut morbos sanat, & tamen minimè ambigimus, quin plurimi sint, qui fidem eandem & æquè magnam cũ priscis fidelibus habeant, nec tamen inanis illa promissio fuit, quam* NB. *noluit efficaciam habere perpetuam, sed pro tempore nascentis & adolescentis Ecclesiæ.* Hisce jam Catholicis tuis oppone *multa illa miracula, quæ teste Ruffino Hist. Eccl. l. 1 c. 4,* (ad quem interim mirum, quòd provoces, cùm Papa Gelasius vester *c. Sancta dist. 15.* opera eius inter apocrypha rejiciat: accusat eum etiam falsitatis Bellarminus *l. 2. de R. Pontif. c. 13.* et ait *Script. Eccl. sec. 4. in Ruffin. eum merito erroris accusari a Gelasio Papa*) *Paphnutius sanando ægrotos & eiiciendo dæmonia, patraverit,* & si tibi non satisfecerint, paratus ero illis succurrere. *Lege* interim & disce idem hoc 5. speciatim ex Apostolo vestro Indico, Xaverio: si dona miraculorum adhuc hodie vigent, cur ergo ille non statim Chinensium lingua locutus? cur ei ab initio, ut ipse fatetur, opus fuit interprete, donec eorum linguam calleret? *Cum linguæ subsidium,* inquit ille Ep. Iapon. pag. 164. *nobis, ut speramus, accesserit: tum res mullto melius, Deo bene juvante, procedet. Nam nunc quidẽ inter eos veluti quadã simulacra versamur: multa illi de nobis loquuntur & conferunt inter se: nos videlicet obmutescimus: dumq; ejus linguæ elementa percipimus, cogimur quasi repuerascere.* *Lege* denique & disce idem hoc 6 ex ipso Apolline vestro Romano: ex quo elucerent magis dona miraculorum juxta vos, quàm ex ipso? cùm sit vobis *Pater Sanctissimus* & caput Ecclesiæ universale: at fatetur Jesuita Lessius Disp. de Antichr. Dem. 10. *eum ne quidem canem mortuum posse excitare,* Fatetur etiam Cardinalis

Bel-

Bellarminus lib. 3. de Rom. Pontif. c. 21. *Pontifices nec vera nec falsa ulla miracula fecisse neq; hoc seculo neq; superiore.*

II. Dicis, *non loqui Jacobum tantum de suo & Apostolorum tempore* Rx. loquitur de tempore, quo hoc & huic similia miraculorum dona in Ecclesia Christi vigebant. Nec est, quòd porrò clames cum Bellarmino tuo, *omnia alia, quæ habentur in illa Epistola, sive ante hunc locũ, sive postea, non ad eos solos pertinent, qui tunc vivebant, sed etiam ad nos, qui postea futuri eramus*: Ergò etiam hoc mandatum ad nos pertinet: nam non absurdum est, permisceri quædam certis arctata circumstantiis temporis, loci & personarum. Nonne Paulus, cum Timotheum doceret rationem eligendorum presbyterorum, inseruit 1. Tim. 5. 23. *Ne amplius esto abstemius, sed vino pauculo utere.* Nonne etiam idem Paulus priore ad Corinthios voluit fideles prophetare & loqui linguis in Ecclesia? non semper sanè; sed quamdiu concederetur à Deo; cui mirum ergo, Jacobum hoc loco hortatum esse fideles, ut uterentur eo curationis dono, quamdiu Deo volente vigeret in Ecclesia? Mirare iterim hîc D. Jureconsulte tuorum Catholicorum doctrinam! Jacobus hîc tribuit effectum *orationi fidei*, sed illi tribuunt unctioni: Jacobus adscribit effectum *operi operantis*: sed illi (ut & in reliquis Sacramentis) *operi operato*.

III. Dictum Christi Matth. 18. 19. *Si duo ex vobis consenserint in terra de omni re, quam petierint, fiet eis à patre meo, qui est in cœlis*; non est *simpliciter* intelligendum (aliàs D. Jureconsultus, si cum aliquo dilectorum sibi Jesuitarum consentiret, à Deo posset petere, ut ipso Crœso ditior evaderet, item ut staturâ superaret magnum Christophorum, item, ut nunquam moreretur: an autem putas, te & tibi consentientem Jesuitam statim à Deo

exauditum iri? annon hoc potius esset tentare Deum?) sed *secundum quid*, si nimirum petant *ex fide* Jacob. 1. 6. & *secundum Dei voluntatem*, 1. Joh. 5. 14. Jam verò donum miraculosæ sanationis Christus nusquam promisit perpetuum fore in sua Ecclesia, quâ igitur fide & quomodo secundum ipsius voluntatem id ab eo peti potest? Dicis, *ipsos Reformatos, si ægroti, præsertim eminentiores, convalescant, Deo pro restituta sanitate gratias agere.* ℞. Et hoc merito: quî enim Deo pro benigna precũ suarum exauditione non agerent gratias? sed quid ad rem tuam? Addis *Cur ergò hodie unctio præscripti à Jacobo olei unà cum precatione non usurpanda esset?* ℞. Cùm precatio nobis passim commendetur in Scripturâ & sit præcipua pars ejus, quã Deus à nobis postulat, gratitudinis; absit, ut eam omittamus: at cũ donũ miraculosè curandi adhibito oleo hodie cesset, ut suprà evidentissimè demonstravimùs, *æquè conveniens est* (ut Celeb. Molinæus noster bene loquitur) *hanc unctionem hodie adhuc adhiberi, ac ab homines, qui cæcus evasit, usurpari adhuc specilla.* Patres, ad quos provocas, quàm parùm vobis faveant, evidentissimè demonstratum vide apud Cl. Forbesium nostrum *Instr. Histor. Theol. lib. 9. cap. 6.*

IV. Sed nunc arrigite aures vos Theologi Reformati; probabit vobis jam, & quidem evidentissimè, ut ait, ex ipso Dei Verbo Jureconsultus Pontificius, Donum miraculosæ sanationis hodiè adhuc vigere! O Jurisconsultum ipso nupero Miraculario, Marco d' Aviano, (qui tamen, vel ipsis Pontificiis fatentibus, in miraculis patrandis valde mirabilis erat: Jussit enim claudos grallas suas abjicere, antequam iis carere possent) miraculosiorem censendum, qui id præstare valeat! Annon legistis, inquit, quod habetur Joh. 14. ℣. 12. ex ipso ore Christi: *Amen,*

men, Amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet & majora istis faciet: Annon etiam vidistis, quod extat Marc. 16, 17. 18. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: per nomen meum dæmonia ejicient: linguis loquentur novis: serpentes tollent: & si quid lethale biberint, nequaquam nocebit eis: male valentibus manus imponent & bene habebunt?* Vidimus D. Jureconsulte, legimus & relegimus: At interim non vidimus, nec etiamnum videmus consequentiam tuam, *Ergo donum miraculose sanandi hodie non cessavit.* Non vident etiam eam ipsimet Pontificii tui, utpote qui, ut supra audivimus, expresse scribunt, *hanc Christi promissionem nullum his diebus amplius sortiri effectum.* Hic supra citatis adde etiam Stellam vestrum *in c. Luc. c. 11.* Jesuitam Maldonatum *in Matth. 7.* & Ferum *Præf. lib. 2. Comment. in Matth.* quorum nullus tã oculatus fuit, ut viderit istam D. Jureconsulti nostri consequentiam. *Necessaria*, inquit hic posterior, *in exordio Evangelii fuerunt hujusmodi miracula, donec Verbum Domini in possessionem, ut ita dicam, veritatis collocaretur. Nunc autem, cum semel jam ab omnibus receptum sit, & creditum, ut vere Verbum Dei, non opus est novis miraculis, sed sufficit proferre miracula, à Christo & Apostolis facta &c.* Assentitur quoque Gregorius magnus *homil. 29. in Evang.* scribens; *Nunquid fratres mei, quia miracula ista non facitis, minime creditis? Sed hæc necessaria in exordio Ecclesiæ fuerunt, ut multitudo ad fidem cresceret; quia & nos cum arbusta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quousque ea in terra coaluisse videamus, & si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit.*

V. Falsum est, quod scribis, χειροθεσίαν Apostolorum olim operatam esse sensibilem acceptionem S. Sancti: Erat tantum signum & symbolum collationis donorum Spiritus Sancti: Hæc autem miraculorum

dona

dona cum hodie non amplius vigeant, recte etiam χειροθεσία in hunc finem cessat: Retinetur quidem in Ecclesiis Reformatis adhuc in ordinatione Pastorum, sed libere (nemo enim docet, esse absolutè necessariam aut de essentia ministerii) in signum confirmationis, non collationis donorum miraculosorum Sp. Sancti.

VI. Novimus, *Dominum Iesum, peracta cœna, discipulis suis lavisse pedes, & post eam absolutam expressum mandatum adjecisse, si ego lavi pedes vestros Dominus & Magister, vos quoque debetis alii aliorum pedes lavare: Exemplum enim præbui vobis, ut, prout ego feci vobis*, ita *& vos faciatis*. Joh. 13. 14. 15. Sed quid inde D. Jureconsulte? Anabaptistæ nonnulli, horumque Antistites, Diricus Philippi & Nicolaus Johannis hinc peculiare Sacramentum effinxerunt & cæteris duobus N. T. Sacramentis addiderunt: mirum, quod Papa vester, qui tamen Sacramentorum multitudine gaudet, etiam de eo non cogitârit: sic enim paria numero, nimirum octo potuissetis habere Sacramenta. Quæris, *Quis Reformatorum hoc facit? quis eorum his Christi verbis & mandato morem gerit?* At quæro ego vicissim, quis Papistarum hoc faciat? Solet quidem Papa vester die viridium, quem vocatis, singulari pompa XII. Cardinalibus pedes abluere: At si hoc mandatum Christi extra cœtum Apostolicum se extendit, cur Sacerdotes vestri Sanctissimo illi Patri soli relinquunt hoc negotium peragendum, & quidem (ne forte lavando & abstergendo defatigetur) semel duntaxat in anno? cur non & ipsi, quoties celebrant cœnam, communicantibus lavant pedes? Orthodoxi, sicut redarguunt errorem Anabaptistarum illorum, qui lotionem pedum Sacramentalem fuisse contendunt: Ita quoque Paparum, &, qui eos imitantur, κακοζηλίαν tanquam hypocriticam, rejiciunt. Nam

ut

ut ipse dicit Bellarminus vester lib. 2. de Sacr. cap. 24. *non habemus mandatum seu institutionem hujus ritus frequentandi, &c: alioquin peccarent fere omnes homines, qui non utuntur ista ceremonia. Et licet fuerit hac ceremonia usitata olim in quibusdam Ecclesiis statim post baptismum, tamen non fuit unquam ab omnibus recepta, nec ab ipsa Romana Ecclesia, ut testatur Ambrosius loc. cit. Neque obstat illud mandatum*: Exemplum dedi vobis: *Item*, Et vos debetis alter alterius lavare pedes. Et: Quod ego facio, tu nescis, scies autem postea. *Nam hoc mandatum præcipit humilitatem & charitatem, ut exponunt Chrysostomus & Cyrillus, non autem IPSAM MATERIALEM LOTIONEM PEDUM, ut patet ex praxi Ecclesiæ: nunquam enim Christiani putarunt, se habere speciale mandatum de lotione pedum.* Consentit Jesuita Maldonatus. *Suo exemplo*, inquit, *humiles esse docet: sed speciem ponit pro genere: nam per lotionem pedum, quod omnium ministeriorum humillimum est, omnia exempla, omnia ministeria intelligit humilitatis.* Eadem lege apud Salmeronem *tom. 9. tr. 8.* Jansenium *in Concord. Evang. c. 130.* Ariam Montanum *in Iohan.* & alios.

VII. Reformatos fateri, *Ecclesiam quinque prioribus seculis adhuc puram & sine errore fuisse*, ubi conscientia tua, dum scribis, D. Jureconsulte? Nullus Reformatorum hoc dixit, nullus scripsit: sed hoc dicimus cum Calvino nostro *lib. 1. Instit. cap. 11. §. 13.* Ecclesiam seculis illis prioribus fuisse puriorem, scil. quàm sequentibus, *magis adhuc floruisse Religionem, & viguisse sinceriorem doctrinam*: Posito ergo, ritus illos, quos prolixis verborum anfractibus ex Centuriatoribus Magdeburgensibus cumulas, prioribus illis quinque seculis modo obtinuisse, quid inde pro vobis? quid contra nos? inimicus utique nunquam otiosus est: Unde & illis temporibus, quamvis

triticum, Deo Clementer impediente, non eradicaverit, *zizania* tamen *inter illud ſevit*: Viguit quidem inter Patres illorum temporum, Auguſtinum, Hieronymum, Cyprianum, Ambroſium, Chryſoſtomum & alios Orthodoxa Religio, ſed non ſine omni errore & macula. Auguſtinus (ut jam brevitatis gratia de cæteris nihil ſpeciatim dicam) quantus non Eccleſiæ Chriſtianæ Doctor? Quàm turpiter autem, vel vobis fatentibus, interim non adhuc impegit, dum ſtatuit (ut ſupra audivimus cap. 1. num. 31) infantes non participes fieri vitæ æternæ niſi prius participes facti fuerint Sacramenti Euchariſtiæ: Item, dum docuit, infantes, absque baptiſmo diem ſupremum obeuntes, torqueri *igne æterno*. *Tom. 3. de fide ad Petr. c. 27.* Quod contrarium Papicolis, docentibus, ejusmodi infantes *non torqueri igne* in ſuo, quem ipſis affingunt, limbo. Sed quid opus eſt verbis? ipſe Bellarminus docet lib. 3. de Verb. Dei c. 10. *præcipuos ex illis* (Patribus) *in quibusdam non leviter lapſos eſſe*. Fuerint ergò olim in Baptiſmate oleum & unguentum uſitata: meminerint Tertullianus, Cyprianus & Origenes olei, chriſmatis, ſigni Crucis &c. quid inde quæſo contra nos D. Jureconſulte? qui non negamus *homines* etiam priorum iſtorum ſeculorum *dormiviſſe*, ita ut tum *inimicus eorum venerit & zizania ſeverit inter triticum*, 2. Quid pro vobis? qui plurimos ritus temporibus iſtis uſitatos ipſimet rejicitis. Adminiſtrabatur tum ipſis infantibus S. cœna, ut ſupra audivimus, ubi autem id fit in eccleſia pontificia? Præterea baptizati lac ac mel guſtabant, teſte Tertulliano *de Coron. mil. c. 3.* ubi hoc fit in Papatu? Porro præbebatur iisdem, præter lac, etiam vinũ in Eccleſiis occidentalibus, ut teſtatur Hieronymus *contr. Luciferian.* ubi idem fit apud Papiſtas? Habebant veteres ſuas agapas

pas ac convivia ex charitate instituta: ubi illa in Papatu? Si Papicolis licuit hos & his similes veterum ritus omittere, cur idem & nobis non liceat? cur etiam non liceat nobis omittere hodiernos Papicolarum ritus, qui æquè infirmâ, imò infirmiori adhuc nituntur basi: cùm contra utrosque obtineat illud Christi, ἀπ᾽ ἀρχῆς οὐ γέγονεν οὕτω Matth. 19. 8.

VIII. Præterea quamvis nonnulli ritus apud Veteres in usu fuerint, qui etiam hodie apud Pontificios obtinent, vix tamen illis usitati fuere eodẽ modo & fine. Sic non negamus, Veteribus quibusdam usitatum fuisse signum crucis: Extant enim de eo Cyrilli Hierosolymitani, Tertulliani Augustini & aliorum testimonia aperta. *De cruce Christi*, inquit Augustinus de verb. Apost. ser. 8. *nobis insultant sapientes hujus mundi & dicunt: Quale cor habetis, qui Deum colitis crucifixum? Apprehendat Zachæus Sycomorum, ascendat humilis crucem: parum est ascendat, ne de cruce Domini erubescat, in fronte eam figat, ubi pudoris sedes est: ibi omnino, ibi in quo membro erubescitur, ibi figatur, unde non erubescitur.* Sed veteres signum istud crucis formâsse eodem fine, quo hodie Papicolæ formant, falsum esse, vel ex hoc eodem Augustini testimonio liquet. Nimirum *Christus crucifixus Judæis erat scandalum, Græcis autem stultitia*, uti Paulus loquitur 1. Cor. 1. 23. Hi jam, præsertim Ethnici, cùm Christianis, inter se habitantibus, crucem Christi, tanquam rem ignominiosam objicerent, Christiani, ad demonstrandum, tantum abesse ut Christi crucifixi pudore suffunderentur, ut è contrario etiam de eo gloriarentur, frontes suas crucis signo notabant: Adeoque illo signo, tanquam externa quadam professionis suæ tesserâ utebantur. Testatur id præter Augustinum Cyrillus, cùm ait: *Non pu-*

deat igitur nos crucifixum confiteri: sed in fronte μετὰ παῤῥησίας *confidenter signaculum crucis imprimatur.* Præterea eodem crucis signo Veteres utebantur in benedictionibus suis omnigenis, ,ad demonstrandum cùm Judæis tùm Gentilibus, se in eo & per eum, qui in crucis ligno factus erat *maledictio*, omnem *benedictionem* exspectare, quod pro ratione istorum temporum potiùs laudem quàm reprehensionem meretur. At apud hodiernos Papicolas nostros quantus non *crucis absus? Tres sunt effectus crucis mirabiles*, inquit Bellarminus lib. 2. de Imag. cap. 30. *Primò terret & fugat dæmones. Secundo pellit morbos & omnia mala. Tertio sanctificat ea, quibus imprimitur.* Quod non intelligit impropriè, cum signo crucis res significatas complectendo, quo sensu Veteres dixerunt diabolum signo crucis fugari: sed propriè de signo & memoriali absolutè sumpto. Vult quidem Vasquez in 3. part. Thom. q. 25, disp. 111 c. 5. *quoties super res aliquas signum crucis exprimitur, nihil virtutis ipsis imprimi, sed solum signo illo super illa expresso, Christi crucifixi auxilium invocari:* at Bellarminus, loc. cit ait, *negari non debere, quin etiam aliqua sanctitas accedat rebus, cum signantur cruce* &c. Vultq; *signum crucis ex opere operato valere contra diabolum.* Quo, quæso, quid superstitiosius? Hinc tot nugæ & aniles fabulæ in Papatu, quot recensendis vix integer dies sufficeret. Videri hac super re potest Jesuita Fretzerus *in Tract. de Cruce.* qui lib. 3. eò stultitiæ procedit, ut etiam mulierculis vel minimam lactucam ad acetaria carpere, nisi prius diabolo per signum crucis ex ea effurcillato, dissuadeat, adducto exemplo de quadam Dei famulâ, quæ, cùm hortum intrâsset &, non priùs formato crucis signo, lactucam gustâsset, diabolum lactucæ insidentem deglutiverit, qui, deinceps per Abbatem Equitium adjura-

juratus, responderit, *Ego quid feci? sedebam ibi super lactucam, venit illa & me momordit.* Ejusmodi opimas fabellas in aliis etiam Papicolarũ libellis non rarò est legere. *Puer Judaeus,* inquit Dauroutius in suo Catechis. Histor. tom. 2. pag. 38. *qui postea baptizatus Constantini Nomen tulit, cùm matrem suam, nescio, quò euntem sequeretur, vidit hominem Christianum, qui dum in terra scrobem quandam prolaberetur, signum crucis ori imprimebat, cujus puer secutus exemplum & ipse deinceps crucem subinde efformabat, sacraq; tandem Christiana amplexus, ardenti fide prosecutus est. Cùm puella illum Hebraea (pudoris extorquendi causa) invaderet, illam signo crucis repente exanimavit, rursumq; postea in vitam revocavit. Hic cùm praefecto monasterii statum vitae suae exponeret, jubet ille proferri crucẽ & ab eo salutari, cujus cùm beatus iste pedem osculo libaret, tota fronte & brachiis veneranda crux sese in sancti pueri verticem submittens characterem crucis capiti indelebilem impressit, quem per omnem postea vitam servavit. Dignus ergo baptismatis gratia judicatus, sacris Christianis est initiatus & Constantinus dictus.* En mirabilem & fide Papisticâ dignum signi crucis in puero Hebraeo effectùm! Si olim Monachi ità Lutherum & Calvinum signo crucis exanimare potuissent, nunquam forte eos eodem ad exemplum hujus pueri in vitam revocâssent! Quin etiamnum hodie non paucos videre est in Papatu, qui, simulatque oscitantur, admotâ manu signum crucis ad oris hiatum formant, quò diabolo ingressum prohibeant, quasi ille aliter non possit cor occupare, nisi per tantum oris hiatum! Si *signum crucis ex opere operato,* ut vult Bellarminùs, *valet contra diabolum,* mirum, quî Magis in Papatu, ut pote aliis in formanda cruce haud negligentioribus adhùc cohabitare queat! mirum nonminùs, si ei Romae, ubi innumera haud dubiè

biè, & quidem ab ipſo etiam Papa, & Cardinalibus, quotidie formantur crucis ſigna, adhuc locus eſſe poſſit!

IX. Ad nos quod attinet, abſit à nobis iſta ſuperſtitio, qui per Dei gratiam aliud remedium habemus contra diabolum & ipſius inſidias, & quidem ut præſcriptum, ità communicatū ab ipſo Spiritu Sancto. Quodnam autem iſtud? *Vera in Dominum* JESUM *pro nobis* CRUCIFIXUM *fides*: *Sobrii eſtote*, inquit Petrus 1. c. 5. ℣. 8. 9. *& vigilate: nam adverſarius ille veſter diabolus, ut leo rugiens, obambulat, quærens, quem devoret. Cui obſiſtite firmi*, quo medio? num forte externo quodam ſigno crucis? Sic quidem dicit Bellarminus (credens, *diabolum, viſa cruce, mox recordari cruce Chriſti ſe victum, ſpoliatum, ligatum, & enervatum fuiſſe, ac inde crucem timere & fugere, quomodo canis fugiat lapidem & baculum, quo percuſſus fuit*) At non Petrus (credens, diabolum non externa CRUCE, ſed PASSIONE & MORTE CRUCIFIXI victum, &, ut loquitur Paulus Heb. 2, 14. *abolitum eſſe*) Sed FIDE. *Cui obſiſtite firmi fide*, inquit. *Quicquid natum eſt ex Deo*, ait Johannes 1. c. 5. ℣. 4. 5. *vincit mundum* (ac proinde etiam diabolum, principem mundi) *& hæc eſt victoria, quæ vincit mundum*, nempe *FIDES NOSTRA. Quis eſt, qui vincit mundum, niſi qui credit*, JESUM, *eſſe filium Dei.* In hac Chriſti cruce, id eſt, paſſione, ſanguine & morte unicè quærimus & invenimus ſolatium noſtrū & adverſus diabolum victoriam cum Paulo dicentes; *Abſit* à nobis *gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti* Gal. 6, 14. Veterum interim conſuetudinem, illius temporis, perſonarum ac occaſionum reſpectu, non (ut ſuprà diximus) improbamus, ipſi parati ſub talibus circumſtantiis in eundem finem crucis ſignum formare: at cùm ejusmodi circumſtantiæ nos hodie non tangant,

&

& ad miserabilem istam animæ servitutem ventum sit, quæ signa pro rebus accipit (attribuendo externo CRUCIS signo CRUCIFIXI propria) ut loquitur Augustinus *lib. 3. de doctr. Chr. c. 5.* & quod olim erat symbolum confessionis coram gentilibus, in instrumentum superstitionis ac idololatriæ vertit: varius ille & intolerabilis abusus usum haud necessarium apud nos sustulit: & id non minùs justè, quàm olim serpens æneus (qui tamen ab ipso Deo ad Christum crucifixum repræsentandum erigi jussus fuerat) quando cœpit in objectum idololatriæ evadere & populus ei suffitus adoleret (quemadmodum & Pontificii, teste Bellarmino de Triumph. Eccl. l. 3. *suaves odores cruci offerunt*) confractus & à conspectu populi sublatus fuit 2. Reg. 18. 4. *Sed de his plura in sequentibus.*

X. Non quoq; inficias imus, apud Veteres *aqua benedicta* seu *lustralis*, mentionem fieri: at non intelligunt aquam salitam & exorcizatam, qualis obtinet in Papatu: sed aquam Baptismi, quam non negamus divinâ institutione benedictam esse. *Vide Basilium de Sp. Sanct. c. 27. & Cyrillum Hieros. Catech. 3.* Ostendant nobis Pontificii ex sana antiquitate Ministrum Christi, qui cum hodiernis Pontificiis ad *faciendam aquam benedictam* (Sic loquitur Rituale Romanum pag. 225.) 1. ad salem conversus dixerit; *Exorcizo te creatura salis per Deum X. vivũ, per Deum X. verũ per Deum X. Sanctum, per Deum, qui te per Elisæum Prophetam in aquam mitti jussit, ut sanaretur sterilitas aquæ: ut efficiaris sal exorcizatum in salutem credentium & sis omnibus sumentibus te sanitas animæ & corporis: & effugiat atq; discedat à loco, in quo aspersum fueris, omnis phantasia & nequitia vel versutia diabolicæ fraudis, omnisq; Spiritus immundus*, &c. & 2. conversus ad aquam. *Exorcizo te creatura aquæ in nomine Dei X. Patris omnipotentis, & in nomine*

mine Jesu X. Christi, filii ejus, Domini nostri, & in virtute Spiritus X. Sancti: ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, & ipsum inimicum eradicare & explanare valeas cùm angelis suis apostaticus; per virtutem D. N. Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos & mortuos & seculum per ignem ℞. Amen. Usus certè vel potius abusus istius aquæ salitæ in vetustiori & saniori antiquitate ne minimũ certe vestigium. *Effectus istius aquæ*, inquit Jesuita Costerus in libell. Sodalitatis lib. 4. c. 8. *multi sunt & varii. Quidam spirituales, qui semper sequuntur, quoties qua par est demissione & devotione aspergimur, nisi ex causa ad majorem nostram utilitatem Deo aliud videatur. 1. Itaque profligantur dæmones ex locis & creaturis. 2. Remittuntur peccata venialia. 3. Phantasmata diabolica &c. excluduntur. 4. Mens à terrenis rebus colligitur. 5. Disponitur animus ad orationem. 6. Gratia, favor & præsentia sancti Spiritus impetratur. 7. Præparatur mens hominis, ut rectiùs divina mysteria peragat, Sacramentaq; suscipiat* &c. *Atq; ideo solet juxta fores Ecclesiæ in promtu semper esse aqua benedicta, ut ingressuri ejus aspersione, divinaq; gratià dæmonem inanesq; cogitationes & curas excludant &c. Egressuri verò adversus omnes occurentes peccandi occasiones sese muniant. Alii effectus sunt corporales &c. nam 1. Curatur sterilitas hominum, jumentorum, humanarumque rerum. 2. impetratur bonorum multiplicatio et ubertas. 3. Infirmitates corporum, ne invadant, præcaventur &c. 4. Noxius aer purgatur, depellitur pestis & omnis contagio.* Vult quidem præter Durandum *Ration. l. 4. c. 4.* Costerus l. cit. originem illius attributam Alexandro I. Episcopo R. eò quòd *in Epist. circ. an. Dom.* ita scribat. *Aquam sale conspersam populis benedicimus, ut eâ cuncti aspersi sanctificentur. Quod & omnibus sacerdotibus faciendum esse mandamus. Nam si cinis vitulæ aspersus populum sanctificabat atq;*

mun-

mundabat: quanto magis aqua, quæ sale aspersa divinisq; precibus sacrata est, populum sanctificat atq; emundat? Et si sale asperso per Elisæum Prophetam sterilitas aquæ sanata est, quanto magis divinis precibus sacrata aqua sterilitatem rerum aufert humanarum, & coinquinatos sanctificat atq; purgat & cætera bona multiplicat & insidias diaboli avertit & à phantasmatum versutiis hominem defendit. At vero Epistolam illam supposititiam esse præter Celeb. Rivetum nostrum Critic. Sacr. lib. 1. cap. 8. varii ex ipsismet Pontificiis, nominatim Cocus in Censur. pag. 30. luculentissimè demonstrârunt. Est interim Auctor istius decreti (ut & omnes, quotquot illud cum Costero approbant) maximè blasphemus: cùm non erubescat illa, quæ Paulus Sanguini Christi attribuit, Heb. 9. 13. 14. dicens; *Si sanguis taurorum & hircorum & cinis juvencæ aspergens inquinatos sanctificat ad carnis puritatem: quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum æternum se ipsum obtulit inculpabilem Deo, emundabit conscientiam vestram à mortuis operibus ad colendum Deum vivum*, aquæ exorcizatæ adscribere. En salem & aquam apertè loco sanguinis Christi substitutam!

XI. Non diffitemur etiam, apud Veteres in usu fuisse, candelas cereas in locis conventuum: at non eodem modo & fine. Veteres, quia variis Gentilium persecutionibus fuére obnoxii, coacti fuerunt ante lucem convenire ad Sacra sua peragenda, id quod vel ipse Plinius ethnicus testatur (de eo ab Apostatis certior redditus) lib. 10. Epist. 97. scribens; *Soliti stato die ante lucem convenire: carmenq; Christo quasi Deo dicere secum invicem.* Idcirco cœtus ejusmodi nomine *cætuum antelucanorum* insigniebantur. *Perpetuo*, inquit Epiphanius lib 3. *fiunt in Ecclesia orationes matutinæ, lucernalesq; simul Psalmi & orationes.* Sic quoq; Nazianzenus Orat. 2. in sanct. Pasch.

Ee memi-

meminit luminarium in Paſchatis vigiliis *ad noctem illuſtrandam* accenſorum. Hodie autem in Papatu candelæ cereæ accenduntur coram *Venerabili*, ut loquuntur & coram imaginibus (quæ tamen ſemper æquè cœcæ manent) Nominentur nobis ex S. Patribus, qui idem fecerint? *Quæ ſit utilitas Cereorum*, inquit Coſterus lib 4. c. 9. *facilè cùm ex prædictis eſt intelligere, tum ex orationibus, quibus Eccleſia in eorundem benedictionibus utitur. Orat enim Deum 1. ut cerei valeant ad ſanctitatem animarum & corporũ terrâ mariq;. 2. Ut de locis, ubi accenſi fuerint, dæmon, & quicquid dæmonis ars eſt machinata, depellatur. 3. Ut mentes & corda noſtra inviſibili igne & ſplendore ſancti Spiritus illuſtrentur, omniumq; peccatorum & vitiorum cæcitate careant, ut cernere poſſimus, quæ Deo ſunt placita & utilia ſaluti. 4. Ut ignis charitatis cum lumine fidei in animis noſtris accendatur, qui nos ad lumen indeficiens in vitam æternam deducat.* Oſtendatur ſimilis cereorum uſus vel potius abuſus apud Veteres? Nominetur nobis Miniſter Eccleſiæ, qui ad fugandos diabolos cereis benedixerit, cùm ſacerdotibus Pontificiis *ex Rituali Romano p. 228.* precatus; *Domine Jeſu Chriſte, Fili Dei vivi, benedic X. candelas iſtas ſupplicationibus noſtris, infunde eas Domine per virtutem ſanctæ crucis X. benedictionem cœleſtem, qui eas ad repellendas tenebras humano generi tribuiſti: talemq; benedictionem ſignaculo ſanctæ crucis X. accipiant, ut quibuscunq; locis accenſæ ſive poſitæ fuerint, diſcedant principes tenebrarum, & contremiſcant, & fugiant pavidi cum omnibus miniſtris ſuis ab habitationibus illis: nec præſumant amplius inquietare, aut moleſtare ſervientes tibi omnipotenti Deo. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum.* ℟. *Amen.* Veteres tam circumſpecti non fuerunt, ut de hiſce cereorũ utilitatibus cogitâſſent: uſi fuere illi cereis, ut ſuprà audivimus, ante lucem, & ſi ſole jam ruti-

rutilante, nunquam tamen *religiosè* & *mysticè*, ut fit in Papatu.

XII. Ab introductione cereorum deventum est in Papatu ad ceram benedictam, ex qua Agni cerei, vulgò *Agni Dei* dicti, conficiuntur & quidem à solo Papa in primo sui Pontificatus anno, & quolibet deinceps septennio. *Summus Pontifex*, inquit Jesuita Costerus lib. 2. cap. 12. *Christi interris vicarius, primo sui Pontificatus anno, & quolibet deinceps septennio consecrare solet solenni benedictione orbiculos quosdam cereos, quos à figura impressa vocant Agnos Dei, adhibito sacro Chrismate multisq; insignibus ceremoniis.* Describuntur insignes illæ ceremoniæ *in Ceremoniali Romano lib.* 1. sect. 7. in hunc modum. *Cubicularii ad Papam portant Agnos Dei, quos Pontifex immergit in aquam, & Prælati adstantes eos extrahunt, & in pelvibus argenteis portant super mensas* &c. *Et omnibus baptizatis per Pontificem vel per ejus prælatos, surgens Pontifex sine mitra dicit super eos has orationes. O alme Spiritus &c. qui in aquarum substantia maxima Sacramenta constituisti, quæ sunt tuo flatu sanctificata atq; imperante lavacri susceptione, S. Trinitatis nomine invocato, omnia peccata diluunt, quæsumus Domine, hi agni sacra & perenni unda balsamoq; sacri Chrismatis perfusi, tu illa benedicere* &c. Annon horribilis ille Baptismi abusus, baptizare orbiculos cereos in nomine S. Trinitatis? Audite autem, *ex eod. Cerem. Rom.* quàm eximiam ex Papæ consecrantis precatione nanciscantur virtutem. Ita Papa consecrans porrò precatur. *Et quemadmodum ille Agnus innocens, tua voluntate immolatus, in ara crucis* J. *C. filius, protoplastum nostrum de diabolica potestate eripuit: sic isti agni immaculati virtutem illam accipiant, quos consecrandos offerimus in conspectu divinæ Majestatis Tuæ: Tu eos benedicere, sanctificare & consecrare digneris,*

ris, ut tua larga benedictione sanctificati EANDEM *virtutem accipiant contra omnes diabolicas versutias & fraudes maligni Spiritus, ut illos devotè super se ferentibus, nulla tempestas eisdem prævaleat, nulla adversitas dominetur, nulla aura pestilens, nulla aeris corruptio, nullusque morbus caducus, nulla maris procella & tempestas, nullum incendium, neq; ulla iniquitas dominetur eis* &c. En Sanctissimum Patrem Romanum! precatur, ut Agni cerei, à se jam confecti, eandem cum Christo virtutem nanciscantur: quo, quæso, quid blasphemius? Tandem adjicit *per Jesum Christum*, quasi ad ei illudendum, petens, ut ejus intercessione agnelli, à se jam consecrati, eadem cum ipso virtute induti, juxta ipsum collocentur. Quò & collineant versus Urbani V. Pontificis R. ad Imperatorem Græcum tres Agnos Dei transmittentis; *(vid. Cerem. Rom. l. 1. sect. 7.)*

Balsamus & munda cera cum Chrismatis unda
Conficiunt agnum, quod munus do tibi magnum,
Fonte velut natum, per mystica sanctificatum,
Fulgura desursum depellit, & omne malignum:
Peccatum frangit, ut Christi sanguis, & angit:
Prægnans servatur, simul & partus liberatur.
Dona defert dignis, virtutem destruit ignis,
Portatus mundè, de fluctibus eripit unda.

Quid horridius auditu, quàm agnos cereos abolere peccata, ut illa abolet Sanguis Christi! En Papas fidos Petri successores: hic soli Christi, *Agni illius immaculati*, sanguini abolitionem peccati tribuit 1. c. 1. ℣. 18. 19. illi autem eodem modo & Agnellis suis cereis! Puduit, ut videtur, hujus blasphemiæ Papalis Guilhelmum Estium apud Molanum cap. 13. Quare in locum versus hexametri blasphemi *Peccatum frangit, ut Christi sanguis*

& an-

& angit, hunc pentametrum substituit; *Et pietas animo surgit, abitq; tepor.* Sed (præterquam quòd sit audax cæterisq; Pontificiis haud dubie displicens factum, corrigere verba Patris Romani infallibilis) an hoc sit paraphrastem agere, judicent, qui judicare possunt. Ut interim devoti Catholici hosce *Dei Agnos* eò devotiùs *toto pectore exosculentur*, gestando eos *extra pectus & intra*, ut loquitur Jesuita Frusius *prolixo de Agno Dei carmine*, apud Costerum l. 4. cap. 13. varia à Jesuitis, Monachis aliisq; operationum & miraculorum virtute Agnorum Dei patratorum exempla adducuntur, quæ videre est apud Delrionem *in Disquisit. Magic lib. 2. quæst. 21. l. 6. c. 2.* Molanum *cap. 12.* inprimis Dauroutium *Catechis. Histor tit. 72.* *Anno Dominicæ incarnationis*, inquit hic posterior pag. 473. *supra millesimum quingentesimo sexagesimo octavo, cum princeps Auriacus numeroso exercitu in Brabantiam irrumpere tentaret, in agro Iuliacensi prope Trajectum ad Mosam quendam Hispanum captivum habuit, quem capitis damnatum milites arbori alligatum sclopetis vel bombardis occidere conabantur. Verùm frustra sua in illum emiserunt tormenta ænea; tantum enim abfuit, ut illum sic arbori alligatum bombardis transverberare, ut nec creberrimis emissionibus lædere potuerint. Quo viso obstupefacti, cœperunt eum suis spoliare vestibus, arbitrantes hominem occultis quibusdam armaturis munitum, quas vis tormentorum penetrare non potuerit: Verùm nihil præsidii ab ipsis inventum fuit præter dependens ex collo amuletum Agni, quo eidem sublato, primo ictu bombardæ extinctus occubuit.* Rem egregiam! Sic milites Pontificii ictus globulorum vereri non habent, præmuniant se tantum dependentibus ex collis Agnorum Dei amuletis, ex monasteriis comparatu facillimis: tunc globuli non penetrant. Plures ejusmodi historiolas, risu non

fide dignas si cui legere volupe, adeat eundem Dauroutium l. c. Ostendat nobis D. J. ex antiquitate ejusmodi agnos Pontificios, in Nomine S. Trinitatis baptizatos!

XIII. Ostendat nobis etiam, quis Veterum benedixerit, nedum baptizaverit campanas, quemadmodum fit in Papatu: Et quidem *ut*, scribente Durando Rational. l. i. c. 4. *Per illarum tactum & sonitum fideles invicem invitentur ad præmium, & crescat in eis devotio fidei; fruges, mentes & corpora credentium serventur, procul pellantur hostiles exercitus & omnes insidiæ inimici, fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempestatum & fulgurum temperentur; infestaque tonitrua & ventorum flamina suspendantur, Spiritus procellarum & aëreæ potestates prosternantur.* Negat quidem Dauroutius *lib. cit. tit. 25.* Campanas apud Catholicos baptizari: At frustra. Assignantur 1. campanis susceptores, non minus quam baptizandis hominibus. *Tempore Johannis XIII. Pontificis*, inquit l. c. ipse Dauroutius, *quo Otto Imperator Romæ adhuc moraretur, contigit, primariam Lateranensis Ecclesiæ campanam miræ magnitudinis recens ære fusam super campanile elevari: quam priùs idem Pontifex sacris ritibus Deo consecravit atq; Iohannis nomine, puta baptistæ, cujus ecclesiæ esset usui, nuncupavit.* 2. Aquâ in Patris, Filii & Sp. S. nomine lavatur, chrismate, sale & sputo inungitur, exorcisatur: quid ulterius infantibus baptizandis adhibetur? Sed quid opus verbis? cum in libro Pontificali (edito ab Alberto Castellano 1520) expressè *sal* exorciзetur *ad expellendum ex campana inimicum & aqua, ut omnium pravorum Spirituum nequitiam ejiciat*, & Deus rogetur, *ut elementum aquæ mysterialiter Baptismo commodum S. Spiritus sui sanctitate reddat*: Atque in Pontificali (divulgato Venetiis

netiis 1571.) fol. 166. dicatur, *Hæc commixtio salis & aquæ efficiatur* SACRAMENTUM SALUTARE *in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti. Baptizantur campanæ*, inquit Durantius lib. 1. de Ritib. Eccles. c. 22. *Formula baptizandi sive benedicendi antiqua est. Nomen datur campanæ*, ait Dauroutius l. c. *ut distingui possit à cæteris, vel quòd magis conducat ad pietatem, si voce Sancti alicujus dicatur populus ad Ecclesiam convocari.* Quid, quæso, est Dei nomine & Sacramentis abuti, si hoc non est? Hunc hodiernorum Romanorum abusum si vidisset Augustinus aliique sanioris antiquitatis Patres, nedum S. Apostoli, quid non fuissent dicturi?

XIV. Sed quorsum rapior? si omnia nova Ecclesiæ Romanæ inventa attingere vellem, ubi dicendi finis inveniendus? Nunquam, ut supra modo dictum, D. J. demonstrabit, omnes illos ritus, quos ex Centuriatoribus Magdeburgensibus colligit, apud Veteres eodem modo & fine fuisse usitatos, quo hodie apud Pontificios: Si tamen fuissent (Si usurpassent signum crucis, aquam benedictam, cereos & alia eodem modo & fine, quo hodie Pontificii) quid inde, contra nos? qui non negamus, inimicum primis quingentis etiam Zizania inter triticum sevisse.

XV. Cum interim D. J. autumet, se in prioribus illis seculis altaria sua & Missam suam Pontificiam invenisse, videamus, antequam ad alia progrediamur, an hoc verum sit. Veteres altarium meminisse, nulli imus inficias: At eos altaria proprie dicta & qualia hodie in templis Pontificiis conspicuuntur, intellexisse, merito negamus. Nam Celsus, Philosophus ethnicus, Origeni exprobrat, quòd Christiani in templis suis altaribus & imaginibus destituantur. Id quod Origenes non negat,

sed

sed demonstrat l. 4. & 8. contra Celsum, *loco altarium ecclesiæ esse cor & animum sanctum, è quo dulce incensum vel odor, vota nimirum & preces ex pura conscientia proveniant & emittantur*. Addit. lib. 8. *Non vides pro aris nobis esse mentem, suam cuique, ex qua sursum feruntur verè ac intelligibiliter suaveolentes suffitus. Conferat igitur, qui vult, aras, quales diximus, cum Celsi aris, & statuas in animis piorum, Deo dicatas, cum statuis Phidiæ & Polycleti, similiumque, & bene sciet, has quidem inanimes esse, obnoxiasque temporum ac tempestatum injuriis.* Eandem accusationem etiam post tempora Origenis ab Ethnicis contra Christianos motam fuisse, quod altaria non exstruant, liquet ex Arnobii lib. 4. & 6. Alibi si altarium occurrit mentio, impropriè id intelligendum est de *Mensa Domini*, quæ *altare* nuncupatur, quia in ea sacrificii Christi fit commemoratio. Cæterum *propriè* locuti eam *mensæ* nomine insigniverunt. Hinc Athanasii *in Epist. ad solit.* de Arianis querela, quod *subsellium, thronum, mensam ligneam*, καὶ τὰ ξύλα τῆς ἐκκλησίας *& fores Ecclesiæ & cætera, quæ poterant, foras elata combusserint*. *Mensa Domini*, inquit Augustinus de Verb. Dom. sec. Joh. Tom. 10. *est illa in medio constituta. Quid causæ est ô audientes, ut mensam videatis & ad epulas non accedatis?* Audis? vocat *mensam* & quidem in medio templo positam; secus ac altaria vestra, quæ in finibus vel angulis templorum eriguntur. Verba Pauli Heb. 13. 10. dicentis; *Habemus altare, ex quo edendi non habent jus, qui tabernaculo cultum præstant*, quæ insuper toties crepatis, causæ vestræ neutiquam favent. Nam hic non intelligi altare propriè dictum, quale Missifices desiderant, patet, ex eo, quòd Apostolus loquatur in n. sing. ἔχομεν θυσιαστήριον *habemus altare*, non in pl. *altaria*, quomodo Pontificiis innumera altaria habentibus gratificaturus, dicere necesse habuisset.

2. Quia

2. Quia hoc altare opponit Judaicis: Non ergo materiale, qualia Judæorum erant, sed spirituale intelligit: alioquin præcise ursurus vocem *altaris*, etiam in cœlo saxeum eriget ex Apoc. 6. 9. & 8. 5. Quodnam ergò altare istud Apostolicum? Christus ipse: is, quemadmodum sacerdos & victima, ita etiam altare nostrum est; Id quod ipse Apostolus innuit in eod. cap ℣ 15. dicens; *Per ipsum igitur assiduè* ἀναφέρωμεν *offeramus Deo sacrificium laudis, id est, fructum labiorum, celebrantium nomen ejus.* Agnoscunt hîc nobiscum veritatem non pauci ex ipsismet Pontificiis. *Habemus altare*, inquit Nicolaus Lyranus in cap. 13. ad Hebr. *Id est, crucem, in qua Christus oblatus est.* Clariùs Thomas Aquinas in Ep. ad Hebr. *Istud altare est vel crux Christi, in qua Christus pro nobis immolatus est, vel ipse Christus, in quo & per quem preces nostras Deo offerimus.* Sic Gagnejus, Titelmannus, Estius & alii. Cesset igitur Jesuita Elffius *in Catholico suo Simplici* altaria sua Missatica huic loco, nisi velit oleum & operam perdere, superstruere. *Quia non desunt ex Catholicis*, inquit Bellarminus lib. 1. de Missa c 14. *qui eo loco per altare intelligant crucem, aut ipsum Christum, non urgeo ipsum locum.*

XVI. Quemadmodum autem saniori antiquitati Pontificiorum ignota fuerunt altaria, ita non min' latuit eam ipsorum Missa. Non negamus, veteres meminisse Missæ: negamus autem eos meminisse Missæ Pontificiæ. Nimirum duplex distinguitur Missa apud Veteres. Alia *Catechumenorum*, alia *Fideliũ*. Per *illam* finita concione ac peracta pro Catechumenis prece cũ ventũ esset ad celebrationẽ eucharistiæ & orationes eò pertinentes, dimittebantur ac recedere jubebantur catechumeni, clamante diacono (ut est in Liturgiis Basilii & Chrysostomi) ὅσοι κατηχούμενοι προέλθετε. *Post sermonem fit missa catechumenis, fideles manebunt*, inquit Augustinus serm. 237. *de*

 temp.

temp. Per *hanc* dimittebantur *Fideles* (quo nomine insigniebantur omnes *baptizati*, seu, ut Tertullianus loquitur, *intincti*, qui Clementi Alexandrino lib. 1. Pædagog. c. 6. dicuntur φωτιζόμενοι *illuminati*) Nimirum post dimissos Catechumenos, utpote quibus, teste Isidoro Orig. lib. 6. c. 19. *Sacramentis interesse* non licebat, manebant fideles: deinde peractis eucharistiæ mysteriis, fiebat etiam missa fidelibus, *inclamante*, ut ait Alicuinus *de divin. Offic. c. 40. diacono*; ITE, MISSA EST, id est, dimissio: Unde ita pergit ibid. Alcuinus, *Missâ ergò nihil aliud intelligitur, quàm dimissio, id est, absolutio, quam celebratis omnibus tunc diaconus esse pronuntiat, cum populus à solemni observatione dimittitur* &c. Etiam Honorius Augustodunensis *in Gemm. animæ lib. 1. cap. 90.* hæc verba; *Ite, missa est*, interpretatur *licentiam abeundi*. Hinc deinceps accidit, ut hæc vox tribueretur precibus Ecclesiasticis, præsentibus Catechumenis, habitis & liturgiæ ante dimissionem fidelium usitatæ, ita ut toti actioni nomen *Missæ*, id est, dimissionis, sub finem fieri solitæ, sit datum. Qui quidem vocis usus post tempora Augustini (cum in aliis Patribus Latinis antiquioribus rarissimè vox illa legatur usurpata; imò Hieronymum qui tamen Augustino σύγχρονος fuit, ea nunquam usum esse, ipse Bellarminus *lib. 1. de Miss. c. 1.* fateatur) adeò increbuit, ut viri docti, Julianus Interpres Novellarum Justiniani, Paulus Diaconus, Auctor historiæ miscellæ & alii plures voces Græcas συνάγειν & σύναξις *Missam* interpretarentur. Concedimus itaque D. Jureconsulto vocem *Missæ* perquam antiquam esse, imò antiquiorem, quàm ille sibi forte imaginatur. Olim post celebrata mysteria Isidis, dicebat scriba, λαοῖς ἄφεσις, referente Apulejo *lib. 11. Metamorphos.* Inde mutuatos esse hunc morem Christianos Latinos ut dicerent, *Ite, Missa est*,

eſt, ait Polydorus Vergilius *lib.5.de rer.invent.c.12.* Verùm non de voce, ſed de re eſt quæſtio. Oſtende nobis, Auguſtinum, Hieronymum, Chryſoſtomum aut ullum alium vetuſtioris & ſanioris ſeculi vel unquam celebraſſe vel commendâſſe hodiernum veſtrum Sacrificium Miſſaticum, ſeu propitiatorium pro vivis ac mortuis, ſub ſpeciebus panis & vini, & eris nobis magnus Apollo. Novi quidem, Ambroſium ſcribere lib, 5. Epiſt. 33. *Ego tamen manſi in munere, Miſſam facere cœpi*: At ridiculè hoc Jeſuitæ hodierno ſuo ſacrificio Miſſatico applicant, hunc iſtis verbis affingentes ſenſum, *Miſſam celebrare incepi*: Nam 1. ſi *Miſſam facere* idem eſſet, quod *celebrare Miſſam*, ſequeretur etiam ex verbis Auguſtini ſupra allegatis, *poſt ſermonem fit Miſſa catechumenis*, Miſſam quoque Catechumenis celebratam & lectam fuiſſe, quod tamen Papicolæ non admittunt 2. *Miſſam facere*, ut ſupra oſtenſum, apud Veteres *miſſionem facere* ſive *dimittere* ſignificat (quemadmodum & defloreſcente latinitate dixerunt *remiſſam* pro *remiſſionem*: Id quod Bellarminus l.c. ultro agnoſcit, confutans ſuos Catholicos, qui oſtendere conantur, nomen *Miſſa* non eſſe latinum, ſed Hebraicum) ac proinde hoc innuere vult Ambroſius; *Ego manſi in meo munere & incepi dimittere Catechumenos.* Sed de Miſſa plura ſuo loco.

Appendix de ſtatu monaſtico

ex Centuriat. Magdeburgenſibus.

I. Monachos & moniales fuiſſe intra primos quingentos annos non negamus: at fuiſſe tales, quales hodie reperiuntur in papatu, negavimus ſuprà & etiamnum negamus maximè: quamvis tamen, ſi & hoc de-

monstrare posset D. J. nihil etiam, ut supra ostensum, contra nos efficeret. Incassum proinde cadunt omnia spicula, quæ ex Centuriatoribus in nos vibrare allaborat. Notet interim, Egesippi, ad quem provocat, libros juxta Salmeronem tom. 4. tract. 31. *apud eruditos in controversia esse positos*, & secundum Bellarminum lib. 4. de V. D. cap. 7. *ejus quinque libros, quorum Eusebius meminit, hodie non extare.* Ea, quæ referuntur à Papicolis de Longino, risu digniora sunt quam fide. Nugantur, *eum fuisse militem, qui lanceâ Christo aperuerit latus, ex quo vulnere illico sanguis Christi per eam lanceam in ipsius oculos, vel senio vel morbo caligantes, fuerit illapsus, cujus virtute statim visum receperit. Hoc miraculo evasisse volunt Christianum, vale dixisse militiæ, vitamque monasticam excoluisse annos viginti octo: denique deprehenso ab Octaviano præside dentes excussos, linguam abscissam, nec minus tamen prædicasse: Imo accepta securi idola omnia conquassasse, è quibus diabolos more luporum ululantes egressos obsedisse præsidem eique adstantes, qui insanientes coram Longino in genua procidendo salvi evaserint: Postmodum ipsum Octavianum excæcatum fuisse: Persuasisse autem ei Longinum, liberari non posse, nisi se interfecto; ita enim martyrem factum pro ipso intercessurum: itaque jussisse præsidem capite eum plecti, deinde ad corpus accessisse & acta pœnitentia, usum oculorum recepisse.* Vide sîs Jacob. de Voragine *Legendam auream*, Mantuanum *in Fastis*, Malleolum *in lib. de Stigmatibus Christi pag. 419.* Hanc lepidam fabellam si D. J. tanquam Catholicam veritatem digerere potest, næ satis Catholicus, i. e. Pontificius ipsi est stomachus. Ipse Baronius in annal. an. 34. §. 39. 55. satis ostendit, se ei fidem non habere, indicato Simeone Metaphraste sine ulla approbatione. Et quis non videat, S. illum *Longinum* enatum esse è græca voce λόγχη

lancea,

lancea, quæ veteri pronuntiatione *Lonchi* effertur; ita ut S. *Longinus longè* absit à Sanctorum verorum numero, sed potiꝰ adscribendus veniat Sanctis à *Longurione Romano* confictis, cujusmodi *Non-entia* plura (ut S. Hippolytus, S. Ursula, S. Martialis, S. Christophorus magnus, S. Georgius, ab ipso Baronio inter Non-entia abjectus &c) in Papatu inter Sanctos referuntur: de quibus in sequentibus plura. At, inquis, *ipse Vincentius*, (id quod ipse Centuriatores testantur) *refert hanc historiam*. ℞. Referat, quid tum? Num propterea non erit fabula? Fuit ille Monasterii Lerinensis presbyter, maximè de Semipelagianismo suspectus, imò forte idem, à quo objectiones illæ propositæ, quas *Vincentianas* nuncupat Prosper, easque confutat: ita *ut* merito *Cl. Daillé* apud Celeb. Rivetum *Critic. Sacr. pag. 468, miretur audaciam Cardin. Perronii, qui Vincentium illum de heresi suspectum* Sanctum *appellat*. Vixit non seculo primo, sed demum quinto, quo, quamvis Ecclesia fuerit purior, quàm sequentibus, copiosius tamen, quàm præcedentibus, lolium inter triticum progerminare cœpit. Sed retundamus Vincentium ex ipso Vincentio. Loquitur ille sic de Sanctis Patribus cap. 39. *Quibus tamen hac lege credendum est, ut, quicquid vel omnes vel plures uno eodemque sensu manifeste, frequenter, perseveranter, velut quodam consentiente sibi magistrorum Concilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmaverunt, id pro indubitato certo, ratoque habeatur. Quicquid vero, quamvis ille sanctus & doctus, quamvis Episcopus, quamvis confessor & martyr, prater omnes aut etiam contra omnes senserit, id inter proprias & occultas & privatas opiniunculas, à communis & publica & generalis sententia autoritate secretum sit.* Atqui (subsumo jam) ipse Vincentius *hac sua de S. Longino historiolà* sentit præter & contra omnes (ne-

mo enim ex puriorum seculorum Doctoribus de hac re vel somniavit quidem) Ergo *inter privatas ipsius opiniunculas*, seu potius fabellas, *debet esse secreta.* Idem responsum habeto ad ea, quæ Petrus de Natalibus *lib. 8. c. 110. &* idem Vincentius *lib. 9. c. 47.* fabulantur de Thecla, *quod* scil. *Iconii à Paulo conversa, sponso Thamiro renuntiaverit datam connubiis fidem & professa sit virginitatem: Et ob eam causam à matre accusata & unà cum Paulo in carcerem ducta, & Paulo Iconio ejecto, ipsa in ignem conjecta: Sed, pluviâ ignem extinguente, evaserit incolumis, & ad Paulum redierit & se ad NB. habitum viri tonderi voluerit, ut Paulum libere sequi posset: Verum à Paulo id facere non sit permissa. Et quod ab Alexandro, cum ejus libidinem explere nollet, accusata variis suppliciorum generibus frustra afflicta, tandem superstes manserit: Et tonsa & NB. virilem vestem induta, comitantibus quibusdam juvenibus, ad Paulum profecta sit: Et denique abeo discedens, Seleuciam pervenerit, ibique mortua sit.* Redolent hæc (ut bene notant Centuriatores) opimas Monachorum fabulas & probatorum & antiquiorum auctorum destituuntur testimoniis & à doctrina Pauli alienissima sunt. Neq; enim is matrimonia solvi, neq; fœminam virili toga indui & tonderi debere, uspiam docuit, sed contrarium 1. Cor. 7. & 1. Cor. 11. affirmavit. Interim D. Jureconsultus noster non gravatur hanc Theclam nuncupare *Sanctam.* O bonum Catholicum stomachum, qui hanc ut & cæteras, quas Petrus de Natalibus lib. 8. c. 29. de Euphemia, Dorothea & aliis (quæ apud D. J. nostrum etiam *Sancta* audiunt) recenset, fabellas concoquere potest!

II. Ignatium, ad quem provocas, quod spectat; laudat ille quidem apud Centuriatores cœlibatum; at non minus, citantibus iisdem, extollit etiam matrimonium

nium in iis, qui continentiæ dono destituuntur. *Non detraho*, inquit ad Philadelph. *beatis qui nuptiis copulati fuerunt.* Item, *si quis corruptionem & coinquinationem vocat legitimam commixtionem & filiorum procreationem, hujusmodi habet cohabitatorem Draconem Apostatam.* Atqui hoc Papæ vestri, Innocentius II. Alexander III. Siricius & alii (qui posterior in hunc finem non erubescit abuti dicto Apostoli Rom, 8. 8. *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt*) fecerunt, ut supra *Parag. 3. num. 17.* demonstratum *Ergo*: Conclude tu jam ipse ex verbis Ignatii, quem assistentem habuerint & etiamnum habent Spiritum Pontifices & Pontificii μισόγαμοι. Porrò ait idem *in eadem ad Philadelph. Epist. Opto Deo dignus inveniri, sicut Petrus & Paulus & reliqui Apostoli, qui nuptiis fuerunt sociati* &c. En quàm eximiè causæ vestræ Ignatius patrocinetur!

III. Ad cæteros S. Patres, Justinum, Cyprianum, Athanasium, Basilium, Ambrosium, Hieronymum, & alios à te ex Centuriatoribus citatos quod attinet, verum quidem est illos (alterum tamen magis, alterum minùs) favisse cœlibatui: At 1. illi Christo & Apostolis, à quibus, matrimonii ineundi libertas omnibus conceditur, ut suprà demonstratum, totique adeo Ecclesiæ præscribere nequaquam possunt. Illi non sunt infallibiles in fidei controversiis Judices, sed sola S. Scriptura seu Sp. Sanctus in eâ loquens: Nam *tota Scriptura teste Apostolo 2. Tim. 3. 16, divinitus est inspirata & utilis est ad DOCTRINAM* (veritatis) *ad REDARGUTIONEM* (errorum) *ad CORRECTIONEM* (vitæ, per inculcationem fidei & Christianarum Virtutum) *ad DISCIPLINAM* (eorum, qui impiam & scandalosam in hoc mundo degunt vitam) *quæ est in justitia.* Quid præterea requiritur ad eruditionem Christianam vos Papicolæ? nihil certè: Hinc Apostolus statim

tim addit ℣. 17. *Ut homo Dei sit perfectus, ad omne opus bonum perfectè instructus.* (2) Patrum quidam in hac materia nimis durè fuerunt locuti. Sic apud Hieronymum, qui vixit anno 380 quàm duræ non de conjugio occurrunt locutiones? lib. 1. adv. *Jovin.* scribere non veretur, *conjugium explere terram, sed Virginitatem paradisum.* Plures ejusdem commatis in ejus de hac materia scriptis non rarò obviæ. Ante ipsum etiam Tertullianus ann. 203. scribere non dubitavit *lib. de Exhort. Castit. c. 9. Matrimonium affine esse stupro* &c. Et Origines ann. 230. (qui se ipsum etiam, motus Christi verbis Matth. 19. 12. male intellectis, corporaliter castravit, referente Eusebio *Histor. Eccles. lib. 6. c. 7.*) *homil. 17. in Luc. Nunc & secundæ & tertiæ & quartæ nuptiæ, ut de pluribus taceam, reperiuntur : Et non ignoramus, quòd tale conjugium ejiciet nos de regno Dei* &c. Quæso te D. Jureconsulte, hæc ne consona sunt S. Scripturæ? hæcne respondent Paulo, Heb. 13. 4. dicenti; *honorabile esse inter quosvis conjugium & cubile impollutum* &c. Non nescio, hodiernos Monachos validis instructos esse stomachis, ut ejusmodi duras locutiones & sententias, in conjugii contumeliam facile concoquant : At, præterquam quòd expressè Dei verbo repugnent, non pauci sunt ex ipsismet Pontificiis doctioribus, quibus duræ istæ horum & his assentientium Patrum sententiæ displicent; ex quorum numero est Ludovicus Vives *Comment. in August. de C. Dei. l. 16. c. 34.* B. Rhenanus *in Arg. lib. Tertull. Exhort. ad Cast.* Virvesius *in Conf. August. art. 23.* Quibus se quoque adjungit Jesuita A costa *de Christ. revel. c. 20.* scribens, Hieronymum in medio certamine positum, *ardore feriendi adversarios, premere interdum etiam socios, conjugio iniquiorem.* (3) Patribus in hac de Conjugio & cœlibatu materia Scripta quædam falsò adscribuntur.

Sic

Sic liber *de bono pudicitiæ*, in quo ſub Cypriani Nomine *Virginitas æquatur angelis*, vel ipſo Bellarmino teſte *de Sc. Ecclеſ. tit. Cyp.* non eſt Cypriani. Idem fere eſt ejusdem judicium de libro *de ſingularit. Clericorum*, etiam Cypriano tribui ſolito, in quo eodem modo Virginitas vocatur *ſtatus qualitatis Angelicæ*. Quin librum illum non eſſe Cypriani præter Pameliū Eraſm⁹ apud Rivetum Crit. Sacr. l. 2. c. 15. jamdiu certis argumentis demonſtravit. Sic librum *de Virgin.* quem vulgo attribuunt Athanaſio (in quo inter alia ità legitur; *ô virginitas, opulentia indeficiens: O virginitas, corona immarceſſibilis: ô virginitas, templum Dei & domicilium Sp. Sancti* &c. *O continentia, mortem & infernum profligans & quæ ab immortalitate poſſidetur: ô continentia gaudium Prophetarum & Apoſtolorum gloriatio* &c.) Athanaſio falſo attribui ſolidè præter Eraſmum & Sculterum demonſtrat idem Rivetus lib. 3. c. 4. (4) S. illi Patres peremptorium & irrevocabile cum abjuratione matrimonii conjunctum votum, quale obtinet in Papatu, nusquam ſuaſerunt. (5) Sed quid hîc opus ambagibus? Opponimus Patribus Patres: Si multi commendarunt virginitatem & ipſimet in cœlibatu vixerunt: plures tamen adhuc vixerunt in conjugio, ut Hilarius, Gregorius Nazianzenus Gregorii Theologi Pater, Gregorius Nyſſenus, Clemens Romanus, Spiridion, Polycrate, Polycarpus, Proſper Aquitanus, Sidonius Appollinaris, & alii, de quibus ſupra.

IV. Inſtituit quidem Chriſtus Sacram cœnam hiſce verbis: *Accipite, edite: hoc eſt corpus meum*, ſed non hiſce ſolis: multo enim plura eum uſurpaſſe, poterant te præter Paulum, docere tres, ad quos provocas, Evangeliſtæ. *At his verbis*, ais, *hoc eſt corpus meum, Chriſtus nobis certam conſecrandi formam reliquit, quæ à Reformatis non ad-*

hibetur. At 1. si his quatuor vocibus fit consecratio, quare ergo in *Canone Missæ* inseritur quinta *enim?* ubi quæso legitur Christus dixisse, *hoc est enim corpus meum*, ut Sacerdotes vestri dicunt? 2. hæc, sive quatuor sive quinque verba esse formam consecrationis, falsissimum est: Nam (α) verba Christi de calice non uno eodemq; modo adducuntur à Sacris Scriptoribus: apud Paulum & Lucam legitur. *Hoc poculum est N. Testamentum per meum sanguinem*: apud Matthæum: *Hoc est enim sanguis meus N. Testamenti*: apud Marcum autem omissâ voculâ *enim*: *hoc est sanguis meus N. Testamenti*: Si consecratio panis præcisè illis verbis, *Hoc est enim corpus meum*, ut vultis, continetur, quibus præcisè continebitur consecratio vini? cum sit verborum varietas apud S. Scriptores. In Canone Missæ hæc profertur consecrationis forma; *Hic est enim calix sanguinis mei: novi & æterni testamenti: mysterium fidei: qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*: At apud quem S. Scriptorem illa ità legitur? Volunt Bonaventura, Suarez, Bellarminus & alii, hæc tantum esse essentialia; *Hic est calix sanguinis mei* (vel, *hic est sanguis meus*) negant autem Thomas & Thomistæ apud Jesuitam Busenbaumium *Medull. Theolog. l.6.tr.3.c.1.D.6.* (β) Consecrationem quis dicat fieri posse sine precatione? imo consistit in precatione: At in verbis illis, *hoc est enim corpus meum* quæ precationis forma? cùm non ad Deum sed ad Apostolos sint directa. Ad Apostolos enim dixit, *Accipite, edite, hoc est corpus meum* (γ) Vos docetis (quamvis non sine aliorum contradictione, ut in sequentibus patebit) per primam voculam *Hoc* intelligi ipsum Christi corpus: quod si verum: non possunt utique quinque illa verba esse forma consecrandi, cùm conversio modo facta sit, antequam illa verba sint pronuntiata. (δ) Christum

ſtum verbis illis conſecrationem peregiſſe, abſonum eſt, cum, priusquam illa proferret, *panem benedixiſſe*, adeoq; conſecrâſſe commemoretur Matth. 26. 26. Marc. 14 22. ut tum non amplius panis communis, ſed ſacer ac benedictus fuerit, qui proinde à Chriſto in corporis ſui Symbolum ac pignus tradebatur, dicente; *hoc eſt corpus meum*. Sed ad quid verborum ambages? Obſtruant Pontificio Jureconſulto os ipſimet Pontificii Theologi. *Patet*, inquit Odo Camera in expoſit. Canon. diſt. 3. *quòd panis accepta benedictione factus ſit corpus Chriſti; non enim poſt benedictionem dixiſſet, hoc eſt corpus meum, niſi in benedictione fieret corpus Chriſti.* Et poſtea de Calice: *Benedixit, id eſt, ſanguinem ſuum fecit.* Et mox: *Similiter hic patet, quod benedictione fuerit factus ſanguis.* Et paulo poſt. *Pertinet ad fidem Catholicam credere, poſt benedictionem eſſe verum ſanguinem, ut infidelis ſit, qui hoc non crediderit.* Quomodo arrident hæc palato tuo D. Jureconſulte? Ergo judice hoc Epiſcopo veſtro Cameracenſi, à te non tenetur fides Catholica, imò neque tu, neque ulli Papiſtæ, quotquot hodie cum Bellarmino, Coryphæo veſtro ſtatuunt, ſupra dicta quinque verba eſſe ſufficientem conſecrationis formam, inter fideles ſunt referendi. Audi interim & Doctorem veſtrum Chriſtophorum de Capite Fontium. *Licet*, inquit ille Tractat. 1. c. 3. fol. 22. *ſuper hac quæſtione, quâ quæritur, quibus verbis Chriſtus conſecravit; quatuor aut quinque ſint diverſæ opiniones, quibusdam dicentibus, quod verbis id fecerit nobis ignotis, aliis, quod nullis verbis uſus ſit, aliis, quod his*, Hoc eſt corpus meum, *benedixerit: in hoc tamen omnes convenerunt ſemper, usque ad recentia tempora Cajetani* (En ergò quam conſtans ſit fides veſtra Catholica!) *quod Chriſtus N. B. benedictione conſecravit, quibuscunque tandem verbis uſus ſit, dum benediceret. Ideo hoc*

NB. ex eis summ us pro infallibili veritate, *videl. Christum, dum benedixit*, *consecrasse. Cui & NB. Scriptura & Concilia & tota antiquitas testimonium dat irrefragabile.* Idem Archiepiscopus vester *Tract. 4.* totam antiquitatem sibi vendicat & tuam ac communem hodie vestram sententiam prorsus novam esse demonstrat: Unde nota ὡς ἐν παρόδῳ D. Jureconsulte, quàm injuriosi vos Papicolæ existatis in S. Patres & totam antiquitatem? Ut novis & absonis sententiis vestris splendorem aliquem concilietis, crepatis semper antiquitatem, detorquentes dicta S. Patrum in sensum alienum. Bellarminus vester ut tueatur, solis quinque verbis fieri consecrationem, ad ravim usq; *lib. 4. de Euch. c. 13.* crepat antiquitatem : At hic Archiepiscopus vester prolixè demonstrat, totam antiquitatem ab hac sententia vestrâ alienissimam esse. En quàm belle inter vos conveniat de antiquitate! *Sed de hoc alibi plura.*

V. Idem Archiepiscopus vester Tract. 5. fol. 108. etiam Innocentium III. *lib. 3. de Offic. Missa* sibi assentientem adducit. *Asserit*, inquit, *magnus ille & doctissimus Pontifex*, *Christum benedictione consecrasse & non per ista verba*, *hoc est corpus meum.* Et mox addit. *Innocentius quartus*, *Gabriel Biel super Missa canonem*, *Godefridus Pictaviensis*, *Episcopus Minatensis & Franciscus de Maronis*, *Innocentii 3. opinionem sequuntur & sustinent.* En jam eximium, non tantum *Pontificiorum*, sed & ipsorummet *Pontificum* de forma consecrationis consensum! quid videtur jam D. Jureconsulte; Reformatorum (negantium, verborum, *hoc est corpus meus*, pronuntiatione fieri consecrationem) sententia num vera est an falsa? si *vera* : cur Pius V eam rejecit? cur & vos hodierni Papicolæ ei non datis locum? Si *falsa* : cur ergo Papa vester Innocentius III. cum multis aliis, imò cum tota antiquitate eam defendit? Ubi hîc

Papa-

Paparum vestrorum infallibilitas? *Si mihi Pii V autoritatem(* sic pergit Archiepiscop⁹ vester fol.123.*)opponant, opponam illis non minoris authoritatis & sanctitatis, eruditionis autem nomine majoris, Innocentii III. sententiam, oppositum sentientis. Nunc si unus pontifex dicat, Christum consecrasse per ista verba;* Hoc est corpus meum; *alter vere dicat, quod non, cui eorum fidem adhibiturus sum? quantum ad naturam, ambo homines sunt: quantum ad dignitatem, ambo summi pontifes : quantum ad authoritatem, eadem est utriusque. NB. ambos verum dicere, impossibile est. Cujus hic ego sententiam sequar? NB. Ambobus credere non possum, cum contraria dicant. Certe videbo, cujus sententia magis cum Scriptura vel conciliorum decretis conveniat, & illam sequar.* In sequentibus rejicit sententiam *P*ii V. adoptatâ sententiâ Innocentii III. adeoque agnoscit & *P*ium errâsse & modernam fidem vestram papisticam, quâ creditis suprà citata quatuor aut quinque verba esse formam consecrationis, esse novam, vanam & falsam.

VI. Sed si his quinq; verbis, *inquies*, Christ⁹ non peregit consecrationem, quibus ergò? At noli interrogare; ubi S. Scrip. non respondet: legitur *benedixisse:* At qua cõceptâ formulâ ignoratur; & doctè ignoratur; quia Scriptura eã silet. Judæis, inter quos Christ⁹ est versatus, hæc est ordiãria super pane benedictio, ברוך אתה יהוה אלהינו מלך העולם המוציא לחם מן הארץ *Benedictus sis tu Domine Deus noster, Rex mundi, qui producis panem è terra :* Et super vino ista, : ברוך אתה יהוה אלהינו מלך העולם בורא פרי הגפן *Benedictus sis tu Domine Deus noster , Rex mundi, qui creas fructum vitis. Vid. Berach. fol. 35.* Sed, cùm S. cœna non fuerit epulum ordinarium, sed Sacramentum, à Christo de novo institutum, non videtur dubitandum, quin Christus hîc suâ singulari & quidem antehac ab ipso non u-

ſurpatâ εὐλογίᾳ, atque ad rem præſentem accommodatâ fuerit uſus, per quam Symbola ſacramentalia conſecravit atque ab uſu communi ad novum & myſticum ſeparavit, conſtante ex precibus & gratiarum actione. Apud S. Scriptores duæ occurrunt voces, apud Matthæum & Marcum εὐλογήσας, apud Lucam verò & Paulum εὐχαριστήσας, quibus promiſcuè utuntur, partim quòd hebraïcum ברך utrumque denotet, partim etiam, quòd unius ſacræ actionis duæ ſint partes, precatio ſcil. & gratiarum actio. Egit nimirum Chriſtus Deo gratias pro inſtantis redemptionis beneficio & per gratiarum actionem, adjunctis cum eâ precibus Symbola *benedixit*, id eſt, ſanctificavit, conſecravit & ad uſum myſticum ſeparavit. Eodemque modo, & hodie in Eccleſiis Reformatis Symbolorum conſecratio peragitur, partim inſtituti Chriſti commemoratione, partim precibus ac gratiarum actione, denique totius iſtius actionis ad exemplum Chriſti compoſitione. Obtinuit idem etiam conſecrandi mos apud Veteres. Juſtinus cùm *2. Apol.* modum conſecrandi Euchariſtiam fuſiſſimè explicat, eum per gratiarum actionem & Sacerdotis preces deſcribit: Idem faciunt & alii à ſupradicto Archiepiſcopo veſtro *tract. 4.* citati. Imo *omnes*, ut ſuprà modò audivimus ex eodem, *in hoc convenerunt ſemper usque ad recentia Cajetani tempora, quod Chriſtus benedictione conſecravit, quibuscunque tandem verbis uſus ſit, dum benediceret.*

VII. Verum eſt, Paſtores Reformatos hiſce in in locis inter diſtribuendum ſacra ſymbola uti verbis Pauli 1. Cor. 10. 16. *Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne communio ſanguinis Chriſti eſt? Panis, quem frangimus, nonne communio corporis Chriſti eſt?* At ubi legiſti D. Jureconſulte, quòd hæc verba (quibus Paulus & ipſi

& ipsi ex ore Pauli naturam & finem mysterii S. cœnæ declarant) Reformatis sint certa & sufficiens consecrandi forma, quemadmodum vobis sunt verba *hoc est corpus meum?* nusquam certè, nisi in libro cerebri tui : Adeo in Religione Reformata, quam tot annos professus es, fundatus fuisti! Noli ergo amplius interrogare nos, *Num velimus esse sapientiores esse Christo?* &c. sed si placet porrò interrogare, ex mente Papæ vestri Innocentii negantis, Christum per verba ista, *hoc est corpus meum,* consecrasse, interroga hoc hodiernam Ecclesiam vestram Papisticam, quæ per hæc sola verba Christum consecrasse asserit, eaque certam & sufficientem consecrandi formam constituit contra totam (ut supra ex ore Archiepiscopi vestri audivimus) antiquitatem.

VIII. Quæstio, quam porrò moves, *ubi* nimirum *legamus in Dei verbo, quòd si vinum consecratum ob communicantium frequentiam deficiat* (quod te non semel observâsse, oculisque tuis vidisse dicis) *& novum adferri necesse sit, novum istud vinum sine ulla nova super eo pronuntiata benedictione ad cœnam sit aptum?* ex falsa hypothesi papistica & itidem ex Reformatæ Religionis ignorantiâ proficiscitur. In sacra Reformatorum cœnâ cum benedicuntur panis & vinum, id est, sanctificantur, consecrantur & ad usum sacrum destinantur, ut sint Symbola corporis & sanguinis Christi (quod fit precibus, gratiarum actione & clara ac perspicuâ recitatione verborum mandati & institutionis S. cœnæ, non autem, ut apud vos tacitâ quadam quinque verborum murmuratione) benedicitur omnis panis & omne vinum, quæ in tota illa actione sacra sunt adhibenda & usurpanda (destinatur enim benedictio toti actioni) adeoque *etiam illud vinum, quod de novo adfertur:* Ut proinde novâ benedictione non sit opus.

Ap-

Appendix de jejunio ex Centuriatoribus Magdeburgensibus.

I.

Dixerat supra D. ICtus *paragr.* 2, quadragesimam ab ipsis Apostolis institutam & nobis relictam esse; cujus probationem avidè exspectabamus ex sequentibus: At frustra: probare non potuit. Transit jam ad Patres probaturus eam ex illis: at non minus frustra: nam (prçterquam quòd nobis neutiquam obesset, si vel maximè demonstrari posset, ut supra ostensum) quadragesimæ jejunium intra tria priora secula incognitum fuisse ex Irenæi & Tertulliani testimoniis suprà adductis quàm evidentissimè liquet. Dicit quidem Ignatius *ad Philad.* apud Centuriatores *Cent.2, cap.4. pag.65.* (tu citas Justinum, cujus tamen nulla *loc. cit. in h. mat.* mentio) *dies festos nolite inhonorare, quadragesimam vero nolite pro nihilo habere, imitationem enim continet Dei conversationis. Hebdomadam etiam passionis nolite despicere. Quarta vero & sexta feria jejunate, reliquias pauperibus porrigentes.* Item, *Quicunque Dominicam aut sabbathum jejunaverit, præter unum sabbathum Pascha, ipse est Christi interfector.* Sed in illa ad Philad. Epistola, ut bene observat Cl. Rivetus Critic. Sacr. lib. 2 cap. 2. totus locus de jejunio quadragesimæ & quartæ sextæq; feriæ post passionis dominicæ septimanam, ex Constitutionibus Clementis assutus est, ut videre est lib. 5. c. 23. & lib. 7. c. 24. In quibus eadem totidem verbis habentur. Non esse autem hanc constitutionem

Apo-

Apostolicam, vel ab Ignatio homine Apostolico, Apostolorum nomine commendatam, Augustinus aperte docet *Epist. 86. Quibus diebus non oporteat jejunare & quibus oporteat, præcepto Domini vel Apostolorum, non invenio definitum.* Ergo non viderat constitutiones illas vel non legerat apud Ignatium, quæ hoc tempore ejus nomine venditantur. Quid? quod interpolator ille tanquam χριστοκτόνον *Christi interfectorem* ibidem pronuntiet, qui Sabbato uno excepto jejunârit? cùm tamen Papistæ Sabbato jejunent.

II. Verum est, Eusebium referre ex Clemente Alexandrino de Johanne Apostolo, quód *adolescentem pravo consortio corruptum & factum latronem ad Ecclesiam reduxerit: Ubi assiduis precibus pro eo orarint ac continuis jejuniis decertarint*: Sed quid quæso inde pro jejunio vestro quadragesimali, stato, sub peccato mortali indicto, consistente in delectu ciborum? quid contra nos, qui, exigente id necessitate, etiam jejunia continuamus, non abstinentes à sola carne, ut vos, sed ab omni cibo.

III. Quid etiam decretum Synodi VI. apud Ostroënam (nominas Cæsaream) pro quadragesimâ vestrâ? decrevit illa, *nullo unquam alio die quàm Dominico mysterium resurrectionis Domini celebrandum atque in eo solo jejunia Paschatis solvenda esse.* Ubi hîc vestra quadragesima, consistens in delectu ciborum?

IV. Verum est, *Tertullianum jejunio tribuisse meritum*: At novisse debebas, eum hoc fecisse ut adhuc Montanistam, non ut jam Catholicum: librum enim de jejunio adversus Psychicos, (quo nomine, fatente Bellarmino *lib. 2. de bon. op. c. 2.* insignit Catholicos) in quo jejunio meritum tribuere legitur

Cent.3. cap. 4. pag. 86. ſcripſit, adhuc erroribus Montani implicitus. *Vide Hieronym. de Script. Eccleſ.* Rem ergo acu tetigiſti D. ICte! *ſcilicet*! Origenis homilia in Leviticum, in qua mentio fit *dierum quadrageſimalium jejuniis conſecratorum*, Græcè non extat, ſed Latinè ab alio translata; adeò incerti auctoris, ut Cyrilli nomine ab adverſariis non ſemel & laudata & excuſa fuerit. Meminit alibi (*homil. 6. in Ezech.*) olei, quo ſe veteres, jejunaturi, perunxerint: Ubi ille ritus in Papatu? Dicit quidem Cyprianus, *Chriſtianos frequentisſimè jejunâſſe*: At non dicit, eos *obſervâſſe quadrageſimam*, non dicit, *eos jejunium ſuum in delectu ciborum conſtituiſſe*: quid ergo ad rem? Nos dicimus cum eodem Cypriano *ad Pompej. Unde iſta traditio? utrumne ex Evangelica autoritate deſcendens, an de Apoſtolorum mandatis atque epiſtolis veniens?* Ea enim *facienda, quæ ſcripta ſunt, Deus teſtatur.* Deſcendit ab Apoſtolis, inquit D. J. noſter. *Nos* cum Cypriano. *Si ergo aut in Evangelio præcipitur, aut in Apoſtolorum Epiſtolis aut Actibus continetur &c. obſervetur divina hæc & ſancta traditio.* Sed hîc prorſus hæret D. ICtus cum Jeſuitis ſuis.

V. Ignotum ergo fuit jejunium quadrageſimale Chriſtianis trium priorum ſeculorum: Ad ſeculum quartum & quintum quod attinet, fatemur, in eis à quibusdã Chriſtianis jejunium quadrageſimale obſervatũ eſſe, ſed liberè, *prout quis volebat & poterat*, *teſte* Auguſtino *contra Fauſt. Man. l. 30. c. 5.* Non ex neceſſitate & lege Eccleſiæ ſub peccato mortali. Etiam Gregorius Nazianz. Athanaſius, Hieronymus & alii, quadrageſimæ mentionem facientes, nemini neceſſitatem imponunt, non alieni à mente Proſperi, *de Vit. contemplat. l. 2. c. 24.* dicentis; *Veruntamen ſic jejunare vel abſtinere debemus, ut nos non*

jeju-

jejunandi vel abstinendi NB. necessitati subdamus: ne jam devoti sed inviti, rem voluntariam faciamus.

VI. Scribit Bellarminus (citante & laudante Launojo, Theologo Parisiensi *Dissertat. de veteri cib. delect.*) lib. 2. de B. Oper. c. 2. *eos veterum more jejunare, qui non ante vesperam cibum capiunt.* Quis ergo Pontificiorum, veterum more, adhuc jejunat? Saltem ego, licet quatuor annos cum illis versatus, nullum ità jejunantem novi. Non tantum prandium admittit jejunium Papisticum, sed etiam liberale illud. Sanè Viringus, Presbyter Atrebatensis *lib. 3. de Jejun. c. 3. pag. 52.* testatur, cautum esse in Synodo Machliniensi, *ne ultra duas horas saltem Ecclesiastici prandium prorogarent.* Estne hoc jejunare? estne hoc imitari veteres? certè ejusmodi jejunium, cùm geniali prandio conjunctum, apud veteres chimæra, tragelaphus aut merum prodigium habitum fuisset, Docet supradictus Launojus fol. 56. ex Epiphanio & aliis, *abstinuisse veteres in jejunio etiam à piscibus*: At num etiam hodie jejunatores quadragesimales? annon ut idem loquitur Launojus, *delicatissimos pisces, lucios, carpiones, salmones, piperata insuper ostrea manducant & generosum vinum bibunt?* Placeat D. ICto audire suum Episcopum Peresium. *Putamus*, ait is Tom. 1. de Tradit. P. 3 fol. 244. *nos jejunare, si semel in die usque ad ingluviem prandium faciamus, probè poti & melius pasti, sumentes cibos non pro naturæ sustentatione, aut unius diei duntaxat, sed in tanta quantitate, ut vel Miloni olim pro tribus diebus potuisset sufficere. Taceo qualitatem & differentiam cibariorum & condimentorum. Jam enim neque mare neque terra, neque aër, neque salsamentarii sufficiunt gulæ nostræ. Et utcunque tolerabile esset, si hæc ingluviei contagio solos Laicos*

comprehenderet, & non potius multos nostri ordinis sacerdotes, religiosos & prælatos Ecclesiæ pervaderet, quos video huic rei tantum invigilare, ut potius ad ventris voracitatem natos esse dixeris, quàm ad Apostolicam modestiam, in fraudem pauperum & destructionem castitatis, quæ cum sanctis jejuniis terras jam videtur reliquisse. En devota Catholicorum hodiernorum jejunia! Ne interim boni Catholici tam acerbo jejunio scilicet (id est, delicatissimorum eduliorum abundantiâ & per quadragesimam affluxu) emaciati, fortè animi deliquium patiantur, LÆTARE DOMINICALE intervenit. In hunc enim finem quarta seu media *Quadragesimæ* Dominica, juxta hos Dominos, LÆTARE nomine insignita, ut Laïci pariter ac Clerici, hactenus jejuniorum asperitate infirmati, cupediis se reficiendo, semel *lætari* queant. *In hac Dominica,* inquit Durandus *Rational. lib. 6. cap. 53. fol. mihi 222. R. Pontifex celebraturus ad Ecclesiam pergens & rediens ab eâdem auream in manu sub aspectu populi fert rosam. Circa quod duplex insurgit ratio, una secundum literam, altera secundum Spiritum. Secundum literam: ne fidelis populus propter quadragesimalis observantiæ asperitatem sub continuo labore deficiat, quia quod caret alterna requie, durabile non est. Ideo in hac mediana quadragesima quoddam recreationis solatium interponitur, ut anxietas temperata levius sufferatur, juxta illud; Interpone tuis interdum gaudia curis.* Et hinc etiam haud dubiè boni isti Catholici *Quadragesimam* tam devotè (nempe Bacchanalia vivendo, id est, *se totos ingurgitando, ventrique & abdomini serviendo, quasi post biduum non Christo, sed Veneri sacra facturi*, ut *supra parag. 2. n. 11.* Stapletonum loquentem audivimus) inchoant, ut scilicet grave istud onus faciliùs sustinere possint.

CA-

CAPUT IV.

De Cultu imaginum & reliquiarum Sanctorum.

Licetne imagines, item reliquias Sanctorum habere, adorare aut venerari?

DUæ hic occurrunt quæstiones: prima est de imaginibus, altera de reliquiis Sanctorum: quia verò D. Jureconsulto nostro placet utramque conjunctim proponere, placet & nobis ad utramq; conjunctim respondere. Quæ sit Papicolarum de imaginibus & reliquiis Sanctorum sententia, colligitur ex Tridentinorum verbis *sess. 25.* cum ibi ita loquuntur. *Iisdem* (Episcopis Synodus) *mandat, ut doceant Sanctorum invocationem, reliquiarum honorem & imaginum usum, et eos, qui aliter docent, impie sentire prædicent. Id quod Conciliorum, præsertim vero secundæ Nicenæ Synodi decretis contra imaginum oppugnatores est sancitum. Si quis autem his decretis contraria docuerit aut senserit, Anathema sit.* Licet enim hic, ut et alibi in gratiam dissentientium ambiguè loquantur, de mente tamen ipsorum haud obscurè constat ex Con. Niceno II. ad quod provocant, habito an. 787 & inter œcumenica ab ipsis relato. Hoc enim apertè statuit, imagines esse adorandas, esse illas *æquè*

venerabiles ac Evangelia: Imo Actione 7. omnes; qui adorationem imaginum in dubium vocant, anathemate percutit. *Gloriosorum Angelorum & Sanctorum imagines adorandas putamus. Si quis verò ita non est animatus, sed circa venerandarum imaginum adorationem laborat & dubitat, eū anathematizat sancta & veneranda Synodus.* Cum jam Concil. Tridentinum ad hoc Nicenum (quod tamen Con. Francofurtense 300. Episcoporum an. 794. hac in re expressè damnavit) provocet, &, quicquid de imaginibus in eo sancitum est, approbet, liquet eandem Tridentinorum fuisse mentem. *Imagines & reliquias eodem modo adorandas esse* probat Vasquez *lib. 3. de Ado. disp. 4. c. 1. 2.* Præivit hic pariter Papicolis idem Con. Nicenum II. *Ossa*, inquit Act. IV. *cineres, pannos, sanguinem, sepulchra deniq; adorantes, illis tamen non sacrificamus.*

II. Ut ut autem Pontificii statuant, adorandas esse imagines: de modo tamen adorationis multiplex inter eos se se offert dissensus. Bellarminus *l. 2. de imag. c. 20.* tres recenset sententias. Quidam statuunt, *imaginem non esse ullo modo in se colendam, sed solùm coram imagine colendum exemplar.* Et horum sententia placet Durando *in 3. sent. dist. 9. q. 2.* Nec displicuisse videtur, præter Alphonsum à Castro, ipsi Alexandro *3. part. q. 30. art. ult.* Ita etiam sensisse videtur auctor Versuum, qui referuntur à Sabellico *lib. 8. Æneadis 8.*

Nam Deus est, quod imago docet, non est Deus ipsa:
Hanc videas, sed mente colas, quod cernis in ipsa:

III. Alii dicunt, *eundem honorem deberi imagini & exemplari, & proinde imaginem Christi esse adorandam cultu latriæ, B. Mariæ cultu hyperduliæ, Sanctorum aliorum cultu duliæ.* Ita Cajetanus, Bonaventura, Marsilius, Almayn, Carthusianus, Capreolus, in primis Thomas *3. q. 25.* art. 1. scri-

1. scribens; *Cum ergo Christus adoretur adoratione latriæ, consequens est, quòd ejus imago sit adoratione latriæ adoranda*. Quem præter supra citatos sequitur Biel in Can. Miss. lect. 49. *Si fuerint imagines Christi, adorentur eâdem specie quâ Christus, id est, adoratione latriæ.* Imò hæc sententia est plerorumque Scholasticorum, scribitque Vasques in 3. Thom. disp. 111. c. 2. Catholicam fidem & Doctrinam esse, quod *non solum crux illa, in qua Christus mortuus est, sed & quæcunque crucis figura, vel in materia permanenter sculpta aut depicta, vel in aëre aut manu, aut digitis expressa, exosculanda & adoranda est.*

IV. Alii volunt, *ipsas imagines in se proprie honorari debere, sed honore minori, quam ipsum exemplar & proinde nullam imaginem adorandam esse cultu latriæ.* Ita Peresius, Catharinus, Sanderus & alii, quos citatos vide *apud Bellarm. l. cit.* En fratres Cadmeos! Nulli tamen horum se ab idololatriæ crimine purgaverint unquam. Non *primi*, quia contra Dei interdictum coram imaginibus se incurvant tamen. Non *secundi*, quia eundem cultum Deo & imaginibus præstare, palpabilis idololatria est. Non *tertii*, quia honor ille minor, quem statuunt, opinione ipsa colentium non civilis, sed religiosus, adeoque Divinus semper est. Atqui cultus religiosus & Divinus imaginum idololatria est.

V. Secundo Decalogi præcepto, quasi sacro tonitru omnes prosternuntur; *Ne sculpas tibi simulacrum, nec ullam imaginem effingas eorum, quæ aut supra sunt in cœlo, aut infra in terra, aut in aquis sub terra, neque incurves te illis, neque colas ea* &c. Quid enim his verbis contra εἰδωλολάτρας Pontificios clarius? Sed en viros astutos! cùm sentirent, se hoc secundo præcepto maximè premi, versâ in ipsam legem indignatione suâ, illud expunxerunt, ne sibi

amplius negotium facesseret: quo audaci facto quid impium magis? Sic in Officio V. Mariæ tam Latino, quàm Gallico, impresso Parisiis cum privilegio Sixti V. & post emendationem ex mandato Pii V. factam, habetur; *Non habebis Deos alienos coram me. Non assumes nomen Dei tui in vanum.* Sic in Decalogo, Concilio Augustano an. 1548. inserto, ne γρῦ quidem de secundo præcepto occurrit. Vah audaciam execrandam! Num censent Domini isti, se, quod popelli oculis subducunt, etiam oculis Dei subducere posse? Ostendant nobis, cùm *semper* crepent antiquitatem, quinam Sanctorum Patrum tale quid fuerint ausi? prætendunt vulgo, hoc secundum præceptum comprehendi sub primo, tanquam illius appendicem (unde & hodie priora hujus præcepti verba, quamvis mutilata, primo præcepto solent adjicere; *Non facies tibi sculptile, ut adores illud. Vide Catechism. Canisii cap. 3.*) At frustra: nam 1. posito hoc verum esse, unde Pontificiis potestas expungendi, quod ab ipso Deo positum? Falsissimum interim: & quæro ex Adversariis, num autument, Deum, cum initio Decalogum populo Israelitico dedit, præceptum istud eodem modo sub primo comprehendisse: an verò velint, fuisse tum distinctum à primo, quemadmodum nobis hodie est distin-Si *posterius*: petulanter utique tractant Dei verbum & in sensum alienum detorquent, id, quod Deus disjungi & distingui voluit, conjungentes & confundentes. Si *prius*: ipsum Deum haud obscurè postulant insipientiæ, ut qui in brevi norma vitæ humanæ usus sit supervacuis battologiis & inani repetitione. Nempe, cum Deus promulgavit legem in Horeb, defuit monitor, qui ipsum submoneret, ut sermonis faceret compendium & superfluis clausulis abstineret! 2. Constituunt ista verba

præ-

præceptum à primo distinctissimum : nam ut in primo præcepto *cultus objectum* sancivit legislator , ut nullus præter solum Deum adoraretur , ità hîc *modum cultus ipsius* præscripsit, ne scilicet colatur in imagine vel similitudine ulla. Argumentor ita contra Adversarios. Si in primum præceptum potest peccari, incolumi secundo: Item in secundum, primo utcunque manente: *Ergo* sunt distincta præcepta. Atqui verum prius : Ergo & posterius. Ratio consequentiæ est manifesta: si enim essent eadem præcepta ; eâdem etiam transgressione violarentur. Assumpti autem prius membrum patet Lacedæmoniorum, Romanorum, Persarumque diuturno exemplo, qui, teste Herodoto *lib. 1.* simulacra aversati, verum Deum tamen nec agnoscebant, nec colebant. Quod Cornelius Tacitus etiam notat in Germanis *lib. 1. de morib. German.* Posterius autem claret exemplo Israelitarum, Micæ, Ieroboami & aliorum, qui, ut in sequentibus liquebit, in fusilibus & simulacris suis verum Deum colere voluerunt, adeoque non propriè in primum, sed in secundum præceptum peccârunt.

VI. Quia verò non possunt verba ipsa è lege delere, varia captare solent effugia , quibus teli istius vim quacunque ratione declinare conantur. Quidam , inter quos est Catharinus *Opusc. de Imagin.* Vasquez *Disp. 4. c. 3.* Lorinus & alii, prætendunt, præceptum de imaginibus esse tantum *juris positivi*, quod Judæos duntaxat obligârit, non verò *naturalis*, quo omnes obligentur: At hoc est revera prodere causam desperatam. Ostendant nobis Jesuitæ ex Scripturâ, hoc præceptum esse abrogatum? Certè Paulus hoc nescivit : Disputat enim ex principio, deducto ex hoc mandato, audacter in Areopago contra gentiles Act. 17. 28. 29. Ostenditque, *cum*

Dei genus simus, non debere nos existimare, auro, argento aut lapidi sculpturæ artis aut cogitationis hominis, simile esse τὸ θεῖον. Si autem quod adoratur, potuisset aliqua ratione per imagines repræsentari, non fuisset id absolutè rejiciendum ab Apostolo, sed demonstrandum potius, quis esset legitimus imaginum usus: Hoc autem cùm non fuerit factum ab Apostolo, sed absolutè homines illi à sensibili repræsentatione Numinis abducti, sequitur præceptum illud, quod gentes convertendas obligare debuit, esse naturale & ad mores pertinere. Sed agite Papicolæ! Si secundum præceptum tempore V. T. fuit ceremoniale, ità ut jam Christianos non amplius obliget: Ergo verba præcepti nobis decimi vel constituerunt duo præcepta, vel unum tantum: Si *prius*: Deus non dedit decem, sed undecim præcepta, contra quod clamat tota scriptura: Si *posterius*: quis reddidit vos tam audaces, ut ex eo, quod est ex mente Dei unum præceptum, efficiatis duo? Sed refutet Pontificius Pontificios. *Hæc opinio Catharini*, inquit Bellarm. l. 2. de Imag. c. 7. *nobis non probatur, tum propter argumenta facta contra Judæos, tum etiam*, quia S. Irenæus *l. 4. c. 31. & 32. disertè docet, decalogum esse legem naturalem, excepto præcepto de Sabbatho, & Tertullianus l. de Idololat. toto contendit, nunc maximè observandum hoc præceptum. Idem docentes porrò allegat Cyprianum, Augustinum & Thomam.*

VII. Alii dicunt, lege prohiberi *idola*; non verò *imagines: idola esse rerum non existentium: imagines autem rerum existentium.* Quam distinctionem prolixe Catholicis suis commendat Bellarminus lib. cit. cap. 5. Et amplectuntur illam Rovenius Reip. Christ. l. 2. sect. 2. Richeomus *Tract. de imag.* & alii. Nulla autem nititur hæc distinctio veritatis basi, sive hæ voces Grammaticè: sive

sive Ecclesiasticè spectentur: Id quod nuper peculiari disputatione fusius demonstravimus. Grammaticè *idolum* & *imago* (ut & *simulacrum*) sunt συνώνυμα. Etiam συνωνύμως à probatissimis cùm Græcis tum Latinis Auctoribus frequentissime usurpantur. Sic Glossarium *imago*, εἰκὼν, εἴδωλον, & Hesychius εἴδωλον, ὁμοίωμα, εἰκών. Sic Diodorus Siculus Philippi εἴδωλον nuncupat ejus statuam *lib.* 16. & Plutarchus *in Anton.* ἐν τῷ θριάμβῳ, inquit, τῆς Κλεοπάτρας αὐτῆς εἴδωλον ἐκομίζετο, *in triumpho Cleopatræ ipsius idolum gestabatur.* Vide & Ælianum *lib.* 12. *c.* 64. Platonem *in Sophist.* Euripedem *in Hercul.* Nec aliter hæc vocabula apud veteres Latinos usurpata leguntur. Sic Cicero *Lib.* 1. *de Finib. imaginem & idolum* eo tantùm vult differre, quod illud Latinum, hoc Græcum sit. Eadem mens est Tertulliani *cap.* 3. *de Idolol.* Et Hieronymi *Epist. ad Marcell.* Sed quid ad aliorum provocamus testimonia, cum apud ipsosmet Pontificios promiscuus harum vocum sese offerat usus? *Non malè Nomenclator*, inquit Molanus *ad c. de Supell. Eccles. Imaginem, simulacrum & idolum pro iisdem accipit.* Sic Cardinali Cajetano Cherubini, quos Jesuita Bailius *Summ. Controv. Tr.* 2. *q* 34. imagines vult vocari, idola dicuntur. *Perspicuum est*, inquit in cap. 20. Exodi, *in tabernaculo Dei fuisse idola Cherubinorum.* Eodem sensu vocem idolum usurpat Durandus *Rational. in Summar. cap.* 3. *lib.* 1. *n.* 4. Nec abludit Jesuita Lorinus *in cap.* 17. *Act. v.* 18. scribens; *vox* εἴδωλον *apud profanos Auctores æque latè patet atque* τῆς εἰκόνος, *& si Latinitate utraque donetur, eadem est significatio idoli, & iconis, sive imaginis.*

VIII. Ad Ecclesiasticum earum usum quod attinet, dari quandam inter eas differentiam, haud imus inficias; cum plerunque imago latius pateat idolo & in bonam partem non rarò accipiatur; ita ut omne quidem ido-

idolum sit imago, sed non omnis imago vicissim idolum. Hoc autem quicquid est discriminis, à finibus, ob quos imagines fiunt, & ab earum usu proficiscitur: Unde evenit, ut, quæ simpliciter erat imago licita aut indifferens, sine formæ & repræsentationis mutatione in detestabile vertatur idolum; ut videre est in serpente æneo Num. 21 9. 2. Reg. 18 4. Certum interim est, nusquam ità inter se distingui, quasi idolum sit tantum τῶν οὐχ ὑφεστηκότων seu *non existentiũ*, imago verò τῶν ὑφεστηκότων seu *rerum existentium*, ut Bellarminus aliique Papicolæ contendunt. Nam 1. annon vitulus aureus in deserto Exod. 32. 4. conflatus, à Stephano vocatur εἴδωλον *idolum* Act. 7 41, qui tamen ad repræsentandum verum Deum (adeoque rem maxime, existentem) fuit erectus: id quod evidenter liquet tum ex alloquio Aaronis ad populum, *cras est festum Iehovæ*, tum ex verbis ipsiusmet populi אלה אלהיך ישראל אשר העלוך מארץ מצרים *Ecce Elohim tui Israel, qui te eduxerunt ex Ægypto.* Quis verò credat, illos eò vecordiæ processisse, ut autumârint, vitulum ex inauribus suis χθὲς ἢ πρώην conflatum post exitum ex Ægypto, ipsos ex Ægypto eduxisse? occurrit quidem vox *Elohim* terminatione plurali, juncta verbo plurali, per singularem tamen sensum exprimendum esse, patet ex collatione Nehem. 9. 18. *Ecce Deus tuus, qui* העלך *eduxit te ex Ægypto.* Agnoscit hoc nobiscum ex Pontificiis Ferus *in cap. 32. Exod.* maxime verò *in cap. 3 Jud.* pluribus probans, Israelitas per vitulum, quem conflaverant, verum Deum adorare voluisse. 2. Sculptile & fusile Micæ annon pariter idola erant? Etiam secundum ipsiusmet Vulgati versionem Jud. 17. 5. Fabrefacta autem fuisse ad repræsentandum verum Deum (adeoque rem vere existentem) quis negare ausit? Cum non solùm mater Micæ *v. 5. cap. cit.* asse-

cat,

rat, *se sanctificasse omnino istud argentum* Jehovæ, *dimissurum è manu sua filio suo ad faciendum sculptile & fusile*; sed & ipse Mica, invento ad peragendum istud ministerium Levitâ, addat; *Nunc novi, Jehovam benefacturum esse mihi, eò quòd est mihi Levita in sacerdotem.* 3. Nonne etiam vituli, Dane & Bethele à Jeroboamo erecti 1. Reg. 12. 28. 32. Idola e-erant? destinatos autem fuisse repræsentando vero Deo, quis in dubium vocet? Cum liqueat id ex scopo Jeroboami quàm evidentissimè: Is namque non erat Jehovam abnegare, sed cultum ipsius Dane & Bethele constituere, ne populus ad præstandum cultum divinum Hierosolymam profectus atque ita ad Regem Judæ reversus à se deficeret. Atque id discriminis inter Achabi & Jeroboami reliquorumque Regum Israelis idololatriam intercessit, quòd hic & alii, violato secundo præcepto, verum Deum per imagines coluerunt; ille autem transgressus primum præceptum, alienum Deum, Baalem puta, cultu religioso afficiendum proposuit: Unde & Achabus dicitur plus & pejus fecisse, quam cæteri omnes Reges Israelis 1. Reg. 16, 30, 33.

IX. Quemadmodum autem falsum est (ut hactenus evictum dedimus) idolum esse falsam similitudinem, id est, quæ repræsentet tantum id, quod revera non est: Sic non minus à vero alienum, *simulacrum* esse tantum rei fictæ, ut idem Bellarminus contendit. Annon enim Suetonius Tranq. *in Jul. cæs. c. 76.* imagines Julii Cæsaris, adhuc superstitis, in templis collocatas nominat simulacra? Annon A. Gellius *Noct. Attic. lib. 10. c. 27.* similitudines hastæ, quæ Romanis erat belli signum, in tesserula incisas, appellat *simulacra* hastæ? Annon Minutius Felix in Octav. inquit; *Quod simulacrum Deo fingam? cum, si rectè existimes, sit Dei homo ipse simulacrum*? Annon deni-

 que

que & Christianorum Latinissimus, Lactantius lib. 2. c. 10. ipsum etiam hominem vocat *simulacrum Dei?* Vide & Ethnicorum Latinissimum, Ciceronem *Epist. Famil. lib. 5. Ep. 12.* Sed quid multis opus? ipse Catech. Romanus voces *simulacri* & *imaginis* indifferenter usurpat Part. 3. c. 2. q. 10. inquiens; *Nam in Scripturis jussu Dei simulacra & imagines effectas legimus; Cherubin, serpentis ænei: superest igitur, ut imagines ob eam rem vetitas interpretemur, ne quid simulacris, quasi Diis colendis, de vero Dei cultu detraheretur.* Falsissimum proinde est, quod asserit Bellarminus, *simulacrum* esse tantum rei fictæ, & falsi Dei repræsentationem.

X. Sed neque verum, quod idem quoque affirmat, semper, ubi Vulg. Interpres posuit *simulacra*, apud LXX. Interpretes, & in N. T. esse in Græco εἴδωλα. Locorum enim contrarium demonstrantium haud parvus se se offert numerus. Sic. Exod. 34. 15. Vulgatus verba וזבחו לאלהים reddit, *& adoraverint simulacra eorum*: LXX. autem (multo convenientius textui Hebræo) καὶ θύσωσι τοῖς θεοῖς αὐτῶν. Levit. 26. 30 Vulgatus verba והשמדתי את במתיכם והכרתי את חמניכם vertit; *Destruam excelsa vestra, & simulacra confringam*: LXX. vero, καὶ ἐρημώσω τὰς στήλας ὑμῶν, καὶ ἐξολοθρεύσω τὰ ξύλινα χειροποίητα ὑμῶν. Num. 23. 25. Vulgatus verba לא הביט און ביעקב ולא ראה עמל בישראל transfert; *Non est idolum in Jacob, nec videtur simulacrum in Israël*: LXX. autem, οὐκ ἔσαι μόχθος ἐν Ἰακὼβ, οὐδὲ ὀφθήσεται πόνος ἐν Ἰσραήλ. Sic non minus vox *simulacrum* apud Vulgatum obvia 1. Sam 19. 16. 1. Reg. 15. 13. 2. Chron. 31. 1. & 33. 15. & 34. 3. 4. Es. 2. 20. & 10. 10. & 19. 3. & 40. 20. & 41. 29. & 46. 1. Ezech 6. 4. & 7. 20. & 30. 13. Os. 10. 1. Zach. 10. 2. Macch. 2. 2. &c. Ubi ne minima quidem vocabuli εἴδωλον apud LXX. Interpretes mentio. Impudentissimum proinde

inde Bellarmini est mendacium, *semper, ubi Latin⁹ Interpres posuit* simulacrum, *in Græco esse εἴδωλα.* De N. T. idem non minus falsum. Etenim Act. 17. 23. (ut jam brevitatis gratiâ alia silentio prætervehar loca) Vulgatus vocabulum *simulacrum* adhibet (*præteriens enim*, inquit, *& videns simulacra vestra, inveni & aram, in qua scriptum erat, IGNOTO DEO*) ubi in textu Græco à Paulo usurpatur non vox εἴδωλον, sed σέβασμα.

XI. Gregorius de Valentia, Jesuitarum haud postremus, videns causam Pontificiorum sic miserè admodum & jejunè defendi, admittit *lib. 2. de Idololatr. c. 7.* se quidem idololatras vocari posse; verùm idololatriam distinguit in *licitam* & *illicitam*, adducto ad tam nefarium commentum statuminandum loco Petri 1. c. 4. 3. Ubi damnantur ἀθεμίτοις εἰδωλολατρείαις, id est, Interprete Vulgato, *illiciti simulacrorum cultus*, quasi *illicitam* duntaxat idololatriam Lex divina prohiberet, non verò *licitam*, quæ à Catholicis exerceatur. Monstrum sanè doctrinæ! cui quod olim *in Exerc. nostris Philologico-Theolog. c. 7. quæst. 6.* opposuimus, jam repetere liceat, *epitheta* scilicet, *ut interdum distinguendi, sic etiam quandoque amplificandi gratiâ adhiberi, alioquin Jesuitas eodem acumine illaturos, peccata quædam esse pia: Cum juxta prophetiam Enochi Jud. v. 15. judicium futurum sit ob omnia dura, quæ adversus Dominum loquuntur* peccatores impii, *& scelus quoddam esse amabile, eo quod Quintilianus dicat lib. 8. c. 6.* O scelus abominandum! *ac denique stuprũ quoddam esse sanctum, alioquin haud opus fuisse, ut Cic. 2. in Catil. culparet* nefaria stupra Catilinæ.

XII. Videamus jam, quid responsi D J noster adferat; placet ipsi responsio eorum, qui pertendunt *prohibitum, adeoque non licitum esse, facere imagines in hunc finem, ut quis serviat iis, tanquam Diis: siquidem maledictus sit ille,*

 qui

qui sculptile, aliamve imaginem faciat, ut eam adoret, aut pro Deo habeat, more Israelitarum Jes. 44. 15. & 19. Exod. 32. 8. Levit. 19. 4. & 26. 1. &c. At sic nequaquam elabitur bonus ille Vir: nam 1. si prohiberentur tantum imagines, quæ haberentur pro Diis, ageretur non de *modo*, sed duntaxat de *objecto cultus*, & sic fieret confusio primi præcepti cum secundo. *Confer supra num. 5.* (2) Si valeret hæc exceptio, nec ipsis Ethnicis, si non omnibus, saltem plurimis, crimen idololatriæ impingi posset, utpote sæpe profitentibus, se non habere idola sua pro Diis. Origenes disputans adversus Celsum lib. 7. Κέλσος, inquit, φησὶν, αὐτὰ μὴ ἡγεῖσθαι θεοὺς, ἀλλὰ θεῶν ἀναθήματα. Et apud Arnobium lib. 6. Ethnici sic loquuntur: *Erras & laberis; nam neque nos æra, neque auri argentique materias, esse per se Deos & religiosa censemus numina, sed Deos ex his colimus.* Eusebius præf. in 4. lib. præp. Evang. *Evidens est*, inquit, *ipsis Ethnicis statuas inanimes non esse Deos.* Ejusmodi Ethnicorum responsa occurrunt etiam apud Lactantium lib. 2. c. 2. Et apud Augustinum in Psal. 113. *Videntur*, inquit ille, *sibi purgatioris esse religionis, qui dicunt, nec simulacrum nec dæmonia colo, sed per effigiem corporalem ejus rei signum intueor, quam colere debeo.* Item, *non hoc visibile colo, sed numen quod illic invisibiliter habitat.* Nonne hæc ipsissima Papicolarum lingua? Sed num propterea Ethnici ex Idololatrarum numero eximendi? Licet proinde à Papicolis imagines non colerentur pro Diis, non tamen idololatriæ crimen à se amolirentur. Nec aliam fuisse mentem Israelitarum, vitulum aureum adorantium, supra modo evictum dedimus, & quidē ex loco, quem allegas ex Ex. 32. Verum est, Israelitas dicere Aaroni, *fac nobis Eloh.* verū etiam est, Scripturā locis à te citatis & alibi sæpe invehi in cultores Deorū aureorum & argenteorum Deorū: At non minus etiam verum, in Scripturâ sæpe signis nomi-

na

na rerum significatarum tribui : ipse Deus eâdem phrasi Mosem affatur Num 21.8. *Fac tibi presterem*, id est, imaginem presteris. (3) Verba legis talem exceptionem respuunt; *Cùm prohibeant imagines colere & se coram illis incurvare*: Num colere aliquid & se coram eo incurvare, est statim illud habere pro Deo D. JCte? Ergo dum vos Sanctos & Angelos colitis & coram illis procumbitis, eos pro Diis habetis. Quid absurdius?

XIII. Ut status quæstionis rectè intelligatur, notandum, non quæri; *an omnes in universum imagines sint prohibitæ?* nec etiam; *An dari queant imagines, quæ aliquo in pretio apud nos esse debeant vel possint?* Nemo enim nostrum hoc negat. Sed hoc quæritur 1. *An liceat Deum ipsum & Trinitatis personas imagine aliqua repræsentare?* 2. *An Christi, Mariæ, aliorumque Sanctorum imagines in templis habendæ, iisque cultus aliquis religiosus sit deferendus, sive jam adoratio, sive veneratio dicatur?* Catechesis nostra & nos cum ea negamus utrumque: vos autem affirmatis, licet non sine aliorum dissensu. Licitum esse, fabricare imaginem SS. Trinitatis, affirmat Bellarminus l. cit. c. 8. & alii (hinc SS. Trinitatis imagines hodie frequentissimæ in Papatu: Fabricant autem plerunque ita, ut pingant *Patrem in forma senis barbati, veste papali induti*; forte ut credatur Papa esse aliquid Deo simile: *Filium, affixum cruci*, quam duabus manibus tenet senex ille, & *S. S. in forma columbæ*,) Negant autem ex ipsis Papicolis Abulensis *in cap. 4. Deut.* Durandus *in 3. dist. 9. q. 2.* Peresius *de Trad. part. 3.* &c. Et merito: (a) Quia Deus nulla similitudine repræsentari potest. *Cui assimilabitis Deum fortem, aut quam imaginem ei ponetis?* inquit Jesaias c. 40.18. Parati sunt pontificii Iconolatræ respondere. *Assimilabimus ipsum Seni, papali veste induto, ponemus*

 ei ima-

ei imaginem juvenis crucifixi & columbæ. (β) Quia imagines tales Deus severissimè prohibuit Exod. 20. *Ne facito tibi sculptile, aut ullam similitudinem eorum, quæ sunt in cœlis supra, aut quæ sunt in terra infra, aut quæ in aquis sub terra. Ne adorato ea, neq; colito.* Vbi duo prohibentur 1. *facere imagines* religionis causa, 2. *colere eas.* Non enim dicit Deus, *Non facies tibi sculptile, ut adores illud,* ut habetur in Catechesi vestra: sed duo clarè & distinctè vetat: alterum, *Ne facito tibi sculptile, aut ullam similitudinem eorum, quæ sunt in cœlis, aut eorum, quæ sunt in terra, aut eorum, quæ sunt in aquis*: Ergo nec Dei nec Sanctorum: nam Deus est in cœlis, & in terris, & in undis: Sancti autem in corpore terras incolunt: exuti autem cœlum: Alterum, *ne adorato, neque colito ea.* Confer Deut. 4. 15. Excipiunt quidem Papicolæ, *prohiberi l.c. imagines tales, quibus homines arbitrentur, se posse perfectè exprimere essentiam aut perfectam Dei similitudinem: non autem tales, quibus vel Deus vel Sancti in apparitionibus repræsententur*: At frustra: nam 1. prohibetur expressè omnis *similitudo*, vel imago. *Ne facito tibi Sculptile aut ullam similitudinem* &c. Ergo non unius tantū generis. (2) Prohibetur illius generis imago, à qua debemus nobis cavere valde, ut liquet Deut. 4. 15. *Qua propter cavebitis vobis ipsis valde*, inquit ibi De⁹, *nā non animadvertistis ullam similitudinem, quo die allocutus est vos Jehova* &c. At vero ab imagine, quæ exprimat Dei essentiam aut (ut loquitur Bellarminus l. c.) *perfectam similitudinem ejus naturæ*, non opus est, ut nobis tam solicitè caveamus, cum talis dari non queat. (3) si mens Dei esset, hoc præcepto duntaxat vetare imagines, per quas Dei essentia exprimatur, legem tulisset inanem, cum nemo eò stultitiæ procedat, ut spiritualem Dei essentiam per Symbolum aliquod corporeum repræsentare conetur. (γ)

Quia

Quia imaginibus talibus homines à cognitione veri Dei abducuntur. Quæso enim te D. ICte, quæ post visam Dei qualemcunque imaginem potest esse vulgi de Deo cogitatio? quomodo ex contemplatione Patris senis & juvenis crucifixi & columbæ discet Trinitatem personarum & unitatem essentiæ? cum columba non sit persona, nec cum homine possit esse una eademque substantia? Itane vulgi animus ad contemplationem naturæ divinæ attollitur? Egregii sanè *idiotarum libri*! nempe non quia *erudiunt*, sed *rudiorem* reddunt plebem! prout & sculptile מורה שקר *Doctor mendacii* audit Hab. 2, 18. Jer. 10. 14. (ſ) Ipsa Synodus Nicena, cui se in imaginum cultu conformare placuit Conc. Tridentino Act. IV. & VI. negat, *Deum pingi posse*. Quin ipse Georgius II. in illa Epistola, quam Græcè edidit Baronius *Annal. Tom. 9. an. 726.* ad quæstionem; *Cur tamen Patrem D. N. J. Christi non oculis subjicimus*? respondet, *quoniam Dei natura spectanda proponi non potest, ac fingi*. Annotat quidem Baronius, *postea usu venisse, ut pingatur in Ecclesia Pater & Sp. Sanctus*: At quando venit ille usus aut potius abusus? nimirum quando recentioribus Papis contra Dei verbum, & totam sanam antiquitatem placuit. Rectissimè præter Damascenum *Orth. fid. lib. 4. c. 17*. Durandus Papista, hodiernos Papistas hoc in passu ridens, *dist. 9. l. 3. 4. 2.* ait, *fatuum esse, imagines Dei & Sp. Sancti facere*. A quo haud abit Thomas *3. P. Sum. q. 23. art. 3.* scribens; *Ipsi Deo, cum sit incorporalis, nulla imago corporalis poterat poni: quia, ut Damascenus dicit, insipientiæ summæ est & impietatis figurare, quod divinum est.*

XIV. Verum est, Deum quandoque sub forma visibili apparuisse: At num propterea ita pingendus? Obstat 1. expressum Dei verbum Exod. 20. Deut. 4. & 5.

(2) Quòd illi ipsi, quibus Deus ita apparuit, non intellexerunt sibi licitum esse Deum sub ejusmodi specie visibili pingere. Num Pontificii forte prudentiores illis? Unde ipsi nacti hanc licentiam?

XV. Videamus jam, quomodo secundę quæstionis de veneratione imaginum Angelorum, Christi & Sanctorum, circa quas in primis occupatur, affirmativā tueatur D. J noster: provocat 1. ad Cherubinos & ornamenta templi Salomonis: at frustra: nam 1 unde constat, quod vult D. J. Cherubinos fuisse imagines Angelorum? ubi quælo, D. J. hoc legit? Dicat nobis, quorum ergo Angelorū fuerint imagines? Num Gabrielis? an Michaelis? an alterius alicuj⁹ angeli? At hoc sine summa temeritate affirmari non potest. Num ferent etiam Pontificii imaginem S. Anonymi? 2. Quicquid fuerint, facti erant (α) jussu Dei: num etiam imagines vestræ? (β) Erant extra populi conspectum, loco quem solus Pontifex quotannis semel ingrediebatur: imo si fides habeatur Jesuitæ Cornelio & aliis in cap. 25. Exod. alis adeò faciem & corpus obvelabant, ut nullo modo à quoquam visi, aut internosci, ne quidem à summo pontifice possent: hoc ne quadrat in imagines vestras, omnium conspectui, & quidem, ut vultis, ad excitandam devotionem, expositas? (γ) num etiam leguntur adorati ac cultu religioso affecti? Ubi D. Jureconsulte? & à quo? Audi Clem. Alexandrinum: *Moses*, inquit ille Strom. lib. 5. *qui præditus est ratione, in templo nullum posuit colendum simulacrum*, σεβάσμιον. Sed conjiciant in fugam pontificium Jureconsultum pontificii Theologi: *De Cherubinis jussu Dei factis*, inquit Jesuita Lorin in c. XVII. Act. *& de aliis imaginibus à Salomone, dicendum, fuisse duntaxat appendicem & additamentum ornatus alterius rei, non verò per se propositas modo accommodato ad adorationem, quam constat quoque ab*

Heb-

Hebræis ipsis non fuisse exhibitam: quod utrumque docet Tertullianus. Eritque id magis verum, si verum est, Cherubim ore, manibus, cruribus, erectione corporis humanam, jubis à pectore & cervice pendentibus leoninam, alis aquilinam, ungulis pedum vitulinam figuram retulisse. Negat etiam Vasquez *Tom. 1. in 3. p. disp. 94.* Cherubinis honorem aut adorationem adhibitam fuisse, additque, *omnes illas figuras fuisse in ornamentum aliarum rerum.* En ergo quàm eximium attuleris causæ tuæ argumentum! scilicet!

XVI. Quod D. J. addit, *Ezechielem c. 41. 18. 25. de novo templo, quod hodie in Ecclesia Christiana inveniatur, æque, ut in veteri fuerint, vaticinatum fuisse, in ejus parietibus angelos Cherubinorum fore*, risu non responso dignum est. Probet nobis D. J. Ezechieli illic loci sermonem esse de templo materiali, quale obtinebat in V. T! Demonstret, per Cherubinos intelligi imagines angelorum! *Quod Christus ipse Regi Agbaro* (seu Abagaro) *ejus videndi cupido imaginem suam transmiserit*, opima est fabula, cujus vanitas redarguitur Apostolorum & Evangelistarum, omniumque Christianorum per integra ferè sex secula de isto commento, alto silentio. Evagrius enim, ad cujus lib. 4. cap. 27. provocas, historiam suam terminat ann. Christi 595, quo tempore constat, multis fabulis fidem esse habitam. Legitur quidem apud Eusebium lib. 1 c. 13. *Abagarum Edessenorum Regem misisse ad Christum epistolam & aliam à Christo recepisse, deinde post Christi ascensionem Thaddæum, unum ex Christi discipulis, Edessam profectum esse, ibique curationes multas perfecisse, Evangeliumque prædicasse:* At novisse debes D. J. hanc epistolam accenseri scriptis Apocryphis & vitandis, & quidem ab ipso Papa Gelasio cum Synodo LXX. Episcoporum, ut legere est *apud Gra-*

tianum dist. 15. quamvis illam fabulam tueri non dubitet Papa Adrianus I. *in Resp. ad Capitulare Caroli M. c. 18.* (ubi nota Paparum vestrorum ἀντιλογίαν) *Eusebius refert*, inquit Jesuita Costerus Enchir. cap. 1. *Christum scripsisse ad Abagarum Regem, sed neque literæ illæ propria manu Christi extant, neque unquam ab Ecclesia pro hujusmodi acceptæ sunt.* Melchior Canus loc. Theol. lib. 11. c. 6. ait; *Cur autem Gelasius historiam Eusebii apocrypham pronuntiavit, causæ sunt sanè plures atque vehementes. Primum in 1. libro refert Eusebius epistolam Iesu ad Abagarum scriptam, quam Gelasius eadem distinctione explodit.* Sed si vel maximè genuina esset Eusebii relatio, quid inde pro imaginibus, cum nulla ullius imaginis ibi fiat mentio?

XVII. Ait quidem idem Eusebius lib. 7. c. 17. *extitisse Paneade & sibi visam esse imaginem æneam mulieris in genua procumbentis: deinde è regione hujus aliam extitisse erectam viri imaginem, manum mulieri porrigentem* &c. At 1. cujus illa fuerit imago, narrat ex relatione aliorum. *Hanc statuam*, inquit, *imaginem Jesu habere dicunt.* 2. Non ait se illi supplicasse; se coram illa in genua procidisse more hodiernorum Pontificiorum: non ait etiam, in templo collocatam esse imaginem illam aut à quoquam adoratam: certe si Christiani tum temporis fuissent Pontificii, non passi fuissent eam imbribus aliisque aëris incommodis sub dio exponi, sed illico in templum illatam cultu religioso affecissent. Quid? ait expresse Eusebius, imaginem illam erectam fuisse ἐθνικῇ συνηθείᾳ *gentili quadam consuetudine.* Sic enim pergit. *Nec mirum videri debet, eos, qui ex gentibus olim à Servatore nostro curati sunt, ista fecisse, quando & Apostolorum illius imagines, Pauli videlicet & Petri, denique & ipsius Christi in tabulis coloribus depictas asservari vidimus, quod veteres N. B. ex gentili consuetudine eos, quos Servatores putarunt, ad hunc modum* *hon-*

honorare solitifuerint. Quæ verba addere debebat D.J. Sed de industria omisit bonus Vir, ne malam causam suam, quæ his verbis aperte proditur (liquet enim hinc, antiquitatem Christianam ab usu & cultu imaginum fuisse alienissimam) ipse proderet.

XVIII. Verum est, Sozomenum lib. 5. cap. 20. (non cap. 21.) referre, *statuam illam à Juliano Apostata deturbatam esse, ejusque loco positam esse statuam ipsius Juliani, quo facto, statuam illam Juliani cœlitus igne percussam esse & capite colloque truncatam; inde gentiles statuam Christi tanta cum violentia traxisse, ut eam confregerint: Christianos vero postea collegisse ejus fragmenta & in Ecclesia posuisse*: At 1. Sozomeni relationibus non multum tribuendum: liquebit id in sequentibus ex ipsis Pontificiorum testimoniis. (2) quid inde pro Pontificiis? dicuntur quidem Christiani collecta istius imaginis fragmenta posuisse in Ecclesia: at non dicuntur ea adorasse: quæso te D. Jureconsulte, Si isti Christiani fuissent Pontificii, quales vos estis, quàm frequentes processiones non fuissent instituturi ad illam Ecclesiam (seu potius templum) quanto cultu ista fragmenta non affecturi? quam devotè ea non osculaturi? at tale nihil leguntur fecisse: Addit quidem Nicephorus, hanc historiæ partem repetens ex Sozomeno, hanc Christi statuam à Christianis in diaconicum Ecclesiæ translatam & cultu convenienti affectam esse: At addit hoc, suo more, de suo Nicephorus, sine ullo antiquo auctore: Vixit ille demum post. ann. Chr. millesimum trecentesimum & in ejus historia non paucos errores occurrere monent ex Baronio Bellarminus *l. de Scr. Ecc.* & Possevinus *in Appar. sacr.*

XIX. Verum etiam est, Theodorum Lectorem lib. 1. referre, *Eudoxiam B. Deiparæ imaginem, à Luca pictam, Pulcheriæ Hierosolymam dono misisse*: At non minus

quoque verum, tempore Theodori Lectoris nimiam fuisse multorum facilitatem, tum in admittendis, tum in referendis commentis: Num hæc sufficiens probatio, post altum sexcentorum circiter annorum silentium, celeberrimisque sequentium etiam temporum historicis in silentium descendentibus? Non addit interim, Pulcheriam Imperatricem donatam sibi Mariæ imaginem in templo collocâsse & cultu religioso prosecutam esse, ut in Papatu fit: quid ergo ad rem?

XX. Quod Evagrius lib.5.c.18. refert *de imagine quadam B. Virginis, quæ ab Anatolio quodam supplicante indignabunda se averterit*, ejusdem est commatis: Terminat ille historiam suam post absolutum ferè seculum sextum, ubi neminem latet, multas modo fabellas obtinuisse. Ubi autem refert, veteres hanc imaginem cultu religioso prosecutos fuisse, quo vos vestras, licet stent immotæ & se nec admoveant nec amoveant ab hominib', prosequimini? Multæ etiam ejusmodi fabellæ occurrunt apud Metaphrasten, qui teste Baronio *in Annal.* & Bellarmino *l. de Script. Ecclesiast.* vixit circ. ann. Chr. 859. & in conscribendis vitis Sanctorũ multa addidit (ut & Evagrius) ex proprio ingenio, quæ fidem non merentur. De omnibus istiusmodi relationibus enuntiamus, quod olim Papa Gelasius de scriptis de inventione crucis & capitis Joh. Baptistæ; *novella quidem revelationes sunt & nonnulli eas Catholici legunt, sed quum hæc ad Catholicorum manus pervenerint, B. Pauli Apostoli sententia præcedat; Omnia probate, quod bonum est retinete. dist. 15. can. Sanct. Rom.*

XXI. Coccius vester, ad quem provocas, incassum conatur iconolatriæ vestræ ab antiquitate splendorem conciliare: Imaginum enim cultus quatuor primis secu-

feculis in Ecclesia Christiana plane incognitus fuit: id quod in sequentibus evidentissimè à nobis demonstrabitur. Vide interrim Coccio vestro os obstruentem Celeb. Dallæum *lib. 1. de Imag.*

XXII. Argumentatio, quam multis verborum ambagibus instituis à terra sancta Exod. 3. 5. (de qua postea *n.. 26.*) & à cultu Nominis Dei, plane frivola est. Aut enim nomen Dei sumis pro syllabis & literis, aut pro re per-nomen significatâ. Si *prius*: abuteris locis allegatis utpote in quibus non syllabæ & literæ, sed res significata intelligenda est. Et quid? annon syllabis & literis religiosum cultum deferre, magiam saperet? Si *posterius*: quid ad rem? *Si licet nomen Jesu*, inquis, *si E. G. in conclavi alicujus pulchrè depictum occurrit, docente Paulo Phil. 2. 10. genuflexione aut alio cultu prosequi, cur non etiam Christi imaginem?* En eximiam argumentationem! Ubi verò dicit Paulus D. J. nomen *Jesus*, si pulchrè depictum est, genuflexione colendum esse? Dicit quidem loco cit. *in nomine Jesu flectendum esse omne genu*: At non dicit, *in nomine Jesu pulchrè depicto*: non sumit nomen pro syllabis & literis sed pro ipsa persona: ut supra evidentissimè demonstravimus. Et quid, quæso, sibi volunt hæc verba D. J. *Si pulchrè depictum est*? Num ergo nomen JESUS si non adeò pulchrè pictum est, non est colendum? Nimirum devotio vestra erga nomen *Jesus* se conformat artificio pictorio, ut & erga imagines. Imagines quæ artificiosius sunt pictæ & statuæ, quæ magis nitent auro aut splendidius amictæ sunt, coluntur impensiùs: At quæ non fulgent, sed araneis obsitæ sunt, licet etiam sint imagines Mariæ vel ipsiusmet Dei, illis ne minimus quidem cereus accenditur: ut manifestum sit, imaginem coli, non San-

ctum. Constat ex S. Literis, B. V. Mariam fuisse pauperem, adeoque non dubium, quin, dum viveret, fuerit tenuiter vestita: At imago ipsius apud vos sæpe fulget auro & serico: num hæc respondent statui ipsius? Mortua ornatur vestibus pretiosis, quas viva nec habuit, nec desideravit. Bestiolis quanta non in Papatu accrescit dignitas? cum enim earum imagines quandoq; sint appositæ imaginibus hominum (nam adstat S. Roco *canis*, S. Eustatio cervus, S. Antonio *porcus*, S. Radegundæ *mures* &c.) illis perinde adoletur thus & accenduntur cerei. Unum adhuc est, quod, antequam ad alia progrediar, doceri velim à D. JCto, nimirum, cùm imago sit quasi *imitago*, id est, *imitatio prototypi*, cujus rei *imitago*, i. e. imitatio sit imago S. Longini, S. Martialis, S. Margaretæ, S. Ursulæ, S. Christophori, S. Georgii, equitis &c. cum sint sancti ficti & qui nunquam fuerunt in vivis? id quod de duobus ultimis haud obscure concedunt ipse Baronius *in Not. ad Martyrolog. Roman.* & Villavincentius *lib. 3. de stud. Theolog. c. 7.*

XXIII. Verum est, etiam Reformatos in ædibus suis asservare parentum suorum, Principum & aliorum imagines & honorare etiam: at quid hoc ad rem D. JCte? Longè utique aliud est, imaginem asservare eamque vel ratione materiæ vel antiquitatis, vel etiam propter prototypum, si sit vir alicujus nominis, vel nobis carus, honorare seu æstimare: Aliud eam cultu religioso prosequi, coram ea in genua procidere, ei thus adolere, cereos accendere. Dicis, *Salvatoris nostri & dilectæ matris ipsius imagines tantum rejiciuntur & contemnuntur à Reformatis, an hoc non irrationale? Illorum* (scil. parentum & aliorum) *imagines habere & honorare, licitum censetur: horum autem non: imo in ignem conjiciuntur: an hoc non*

non impium? O devotum Catholicum! At 1. ubi apud vos vera Christi & B. Mariæ imago D. JCte? nusquam illam demonstrabitis: lineamenta corporis Christi & Mariæ ad vivum nunc repræsentari non possunt, cum nulla extet eorum imago ita expressa, ut eos plane referat, quod etiam liquet ex variis eorum figuris, in quibus est magna dissimilitudo lineamentorum, coloris, statuæ &c. (2) Si tamen vel maximè veræ essent imagines, merito à Reformatis, ubi ipsis exhibetur cultus religiosus, rejiciuntur: nam cultus religiosus imagini exhibitus ex ea facit idolum; idola autem debent aboleri. Serpens olim Dei ipsiusmet mandato ad figurandum Christum in deserto erectus Num. 21. 9. quamdiu aliter non usurpabatur, erat imago Christi typica Joh. 3. Quando autem accessit superstitio, evasit idolum: & quemadmodum eam Moses laudabiliter, Deo sic jubente, instituerat; ita etiam laudabiliter, accedente superstitione (incipiebant enim Israelitæ ei adolere, quemadmodum Pontificii adolent suis imaginib⁹) destruebat Ezechias 2. Reg. 18. 4. Dices cũ Jesuitis tuis, ignominam imagini illatam in eum cujus sit imago, redundare: at frustra: nam quemadmodum honor imaginis non transit ad Exemplar, nisi id ipse voluerit aut instituerit, qui exemplar est: ita nec ignominia imaginis redundat in eum, contra cujus voluntatem imago prostat ad cultum. Princeps minime læditur, licet à ministro publico moneta adulterina sua imagine aut charactere notata Vulcano tradatur: quia ea ab ipso non approbatur & non ignorat eam, non ad auctoritatem suam spernendam, sed confirmandam Vulcano tradi: sic Christus non spernitur sed potius honoratur idolorum vituperatione, licet ipsum ac Sanctos referre dicantur: cum ea ab ipso non approbentur, sed cultum ipsis

ipsis exhibitum maxime detestetur. Nec hîc valet prætextus bonæ intentionis, cum de bonitate operis ex mandato Legislatoris, non ex intentione facientis judicandum sit.

XXIV. *Si licitum erat*, inquis, *Pharisæis sine peccato ædificare sepulchra Prophetarum & ornare monumenta justorum Matth. 23. 17: quidni & nobis liceret idem facere eorum imaginibus*? En, quàm hæreat D. JCto nostro aqua! cum ipsi desit, ad probandum cultum imaginum praxis justorum, confugit ad injustos & maximos hypocritas, Pharisæos. Vosne vultis comparari Pharisæis? Reperitur quidem, quod negare non possumus & supra etiam, ubi de Monachis egimus, demonstravimus, inter Pharisæos & Monachos vestros eximia convenientia: At interim, quî per ipsos vester cultus imaginum promoveatur, nullus video. Quæ enim quæso consequentia D. J. *Pharisæis sine peccato licitum erat sepulchra Prophetarum ædificare & monumenta justorum ornare: Ergo & Christianis licet imagines cultu religioso prosequi, coram illis procumbere, illis thus adolere, cereos accendere*? hæc ne sibi correspondent D. Jcte? Ne jam addam, apud vos ne quidem imagines Eliæ, Elisæi aliorumque Prophetarum, quorum sepulchra Pharisæi ædificabant, inveniri: Saltem ego non memini, me unquam tales vidisse: Nullæ etiam preces diriguntur peculiariter ad Eliam, Elisæum &c. nulli Davidi aut Esaiæ &c. accenduntur cerei: imo verò dicere in Litania S. Elisæum aut S. Samuelem, sermo esset hodiernis auribus valde insolens. Horum locum occupârunt imagines Sanctorum novitiorum, Francisci, Dominici & aliorum, qui Papæ debent sanctitatis suæ honorem, quemadmodum & nuper adhuc eodem dignatus est Petrum de Alcanthara, cujus

jus eapropter imaginem Franciscani meo apud ipsos studiorum tempore hac, aureis characteribus expressa, Scripturâ admodum devotè colebant; S. PETRE DE ALCANTHARA, ORA PRO NOBIS. Pergis, *Si licitum erat, cadavera & reliquias Sanctorum pulchris eximiisque monumentis honorare, cur ergo Reformati Ecclesiam Catholicam, reliquias Martyrum aliorumque Sanctorum honorantem contemnunt?* ℞. Reformatos veras Martyrum aliorumve Sanctorum reliquias contemnere, falsissimum est: ostende mihi vel unicum, qui hoc vel fecerit, vel faciendum esse docuerit? Honorem veris martyrum reliquiis deberi, lubentes fatemur omnes. *Honorem* dico 1. non *adorationem*, non *cultum religiosum*: quæ utique longe differunt. Dico 2. *Veris*, non *fictis* & *suppostititus*. Ecclesiam Pontificiam, si veras honoraret martyrum reliquias, hoc in passu non contemneremus: At quia reliquias Sanctorum honore & cultu religioso prosequitur & quidem etiam fictas & suppositititias, merito à nobis hoc nomine perstringitur. Certum enim est, immensam illam reliquiarum vestrarum farraginem, apud vos ostentari & cultu religioso affici solitam, suppostititiam esse, & de nullis earum posse constare vel probabiliter, quod sint veræ, & illæ quæ feruntur esse & verorum Sanctorum: Ipse Cassander vester *Consult. cap. de Venerat. Reliq.* non diffitetur, *avaritiæ causâ ad simplicem popellum alliciendum, falsas reliquias suppositas esse, & ficta miracula prædicata & iis miraculis alitam superstitionem &c.* Vix in toto Papatu jactantur celebriores reliquiæ reliquiis S. Jacobi Majoris, quas Compostellæ asservari ferunt. Narrant. *partitione ab Apostolis facta statim post ascensionem Domini*

Jacobo obtigisse Hispaniam, eumque in eam regionem Evangelium, imperante ibi Reginâ Lupâ, intulisse: deinde Hierosolymam reversum Herodis sævitiâ & gladio vivere desiisse: Corpus ejus navi impositum à discipulis delatum esse Compostellam, sine rectore & vectoribus, immenso circuitu; postea discipulos Lupam Reginam adiisse, eique dixisse; Jesus Christus mittit ad te corpus discipuli sui, ut, quem noluisti suscipere vivum, suscipias mortuum: Reginam autem, quamvis nihil non fuerit, ne obtruderetur invita translatum, causata; omnibus tamen miraculosissimè discussis, ad fidem tandem conversam, non tantum à se petitis dedisse locum: verum etiam de suo palatio S. Jacobi reliquiis Ecclesiam ivisse didicatum: Vide Johan Beleth. in Rational. cap. 140. Jacobus de Voragin. Legend. 94. Vincent. lib. 9. Hæc tantisper in dubium vocare quantum non esset crimen inter Hispanos? (Hinc fratres Jacobæi cum suis conchis & pectinibus, ex vicino mari in peregrinationis suæ argumentum secum relatis) At quæ, quæso, fabella hac major? Nam 1. ex quo historico fide digno constat, ullam unquam fuisse Lupam reginam Hispaniæ? 2. Paulo legitur commissum fuisse ministerium inter gentes, non autem Jacobo Gal. 2. (3) Jacobus Hierosolymis capite plexus legitur Act. 12. quomodo ergo ab ipso Hispani ad Christum conversi sunt? num dices, hoc factum fuisse ante ipsius decollationem? frustra: Constat enim ex Patrum & Scriptorum Ecclesiasticorum consensu, martyrium subiisse ante factam Apostolorum divisionem, quam rationem etiam urget Baronius *in notis ad Martyrolog. In annalib.* addit, ex antiquitate constare, Petrum & Paulum prædicâsse Hispanis Evangelium. (4) Jacobum, nunquam fuisse in Hispania, sed Sacerdotes à Petro & Successoribus ejus constitutos instituisse in ea Ecclesias, contendit ipse Papa, Innocentius III. Verba

ipsius

ipsius *in Dist. 12. Can. quis nesciat* hæc sunt. *Præsertim cum manifestum sit, in omnem Italiam, Galliam, Hispaniam & Africam nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus aut successores ejus constituerunt Sacerdotes. Legant autem, si in his provinciis alius Apostolus invenitur aut legitur docuisse. Quod si non legunt, quia nusquam inveniunt, oportet hoc eos sequi, quod Ecclesia Romana custodit.* Videas hîc Romanam ambitionem (quæ monarchiam suam papalem in Hispanicas Ecclesias hoc Achille sibi vindicat, quod B. Petrus ad Hispaniam convertendam septem Episcopos ordinarit) confligentem cum Hispanicâ superstitione (5) Præter Erasmum & Boschum ipse Cardinalis Baronius *in notis ad Martyrol. Rom. 25. Jul.* & *in annal. ad an. 816.* Compostellanum istud Palladium ridet, & pluribus argumentis contundit. His autem ridentibus, Catholici Hispani reliquias suas Jacobæas devotè adorant. En Cadmeos fratres! en concordem Papicolarum devotionem! Ad alias reliquiarum quisquilias si abire liberet, ubi dicendi finis inveniendus? Refert Jesuita Sylvester *in Balzaci Apolog.* cap. 16. p. 169. quòd *Neapoli Sancti Januarii sanguis inclusus phiala bulliat, quando admoveatur cranio ejusdem Sancti. Barii de genu Nicolai profluat Manna, unde ampullæ millenæ & centenæ impleantur. Cadaveri Catharinæ crescant ungues & pili. In monte Falio ostendantur tres globuli carnei, formati cælitus in corde S. Claræ ad probandum, Deum esse unum & trinum, quorum tres non sint majoris ponderis quàm unus. Ædicula virginis ex Illyrico sit trans mare Adriaticum translata in agrum Picenum. Atrebati sit candela, quæ anniversariis celebritatibus accendatur, sed nunquam minuatur.* Potuisset addere Jesuita, in Papatu dari imagines crucifixi, quæ ex manibus, pedibus & latere emittant sanguinem: talem

ego ipse vidi. Latent sub ejusmodi reliquiis & miraculis mille fraudes monachorum & aliorum. Exemplum occurrit apud Socratem lib. 7 c. 14. de Ammonio quodam Monacho & Latrone, qui diu Sancti nomine & cultu affectus est. Gregorius Turon. lib. 9. hist. c. 6. testatur, *in Sancti cujusdam capsula inventas fuisse radices, dentes talpæ, ossa murium & vulpium ungues conditos.* Et quo, quæso, indicio demonstrabit Sylvester, hæc non esse de eo genere miraculorum, cum quibus venturum τὸν υἱὸν τῆς ἀπωλείας præmonuit Apostolus 2. Thess. 2. 3. Sane in S. Codice nulla alia novissimis temporibus leguntur prædicta miracula, quàm quæ erunt ad imposturam comparata. Miraculis ab Apostolis & Prophetis patratis magna adjuncta erat utilitas: At cui bono cadaveris Catharinæ crescunt (Si tamen crescant) ungues & pili? Cui bono sanguis bullit? aut candela ardet, quæ nunquam minuitur? (minuitur autem nunquam, quia custodes reliquiarum clanculum supponunt oleum, ut meo tempore elabenti ex quinque vulneribus excavatæ imaginis crucifixi sanguini clam alium affundebant.)

XXV. Eò superstitionis plebs in Papatu processit, ut credat, ostendi adhuc verum lac Mariæ & Christi lacrymam: imò, quod magis, verum Josephi halitum, exceptum ab angelo ex ipsius inter asciandum anhelantis ore: asservatur enim adhuc & devotè colitur prope Blesas in pago, cui nomen *Courchiverini*, ampullæ inclusus: De putatitio ligno crucis quid dicam? tanta frustorũ ejus congeries passim occurrit, ut vix navis oneraria illis vehendis sufficiat, vel, ut Calvinus noster loquitur, vix trecenti homines gestare queant, quod unus Simon Cyrenius gestare potuit. Baronius, postquam probaverat, *trium crucis Christi clavorum unum in Constantini*

equi

equi fræno, alterum coronæ ejusdem immistum , *tertium in mare Hadriaticum projectum fuisse*, gnarus, non exiguum adhuc clavorum numerum (à Calvino 14. numerantur *in Invent. Reliq.*) ostendi, respondet Annal. Tom. 3. ad an 326. *Fortasse accidit, ut ex aliquo clavorum Christi modica singulis accesserit ferri portio, vel potius, deperditis antiquioribus rem testantibus, monumentis, clavi illi, quibus compacta sunt ligna sanctissimæ crucis, crediti ipsi fuerint*, *quibus Christi membra cruci fuerint infixa: nisi forte alicubi accidit, ut clavus aliquis inter sacras reliquias asservatus, quo mystica membra Christi, nempe martyr quispiam confixus est*, *idem unum ex ipsis passionis Christi Clavis fuerit existimat⁹. Quicquid sit, fides (quod ait Ambrosius) purgat facinus.* Videtis, quàm firmis Romanorum devotio nitatur fulcris? Cardinalis suo FORTASSE & FORTE absolvit rem totam. Reliqua reliquiarum scruta si susciperem excutienda, quando essem perventurus ad dicendi finem? Ex his de reliquis fiat judicium! Audi D. Jcte Cassandrum vestrum. *Hodie*, inquit ille Consult. artic. 22. *Cum omnia Sanctorum reliquiis plena esse videantur, verendum est, ne diligenti examinatione adhibita, NB. detestandæ imposturæ patefiant, quemadmodum in nonnullis locis patefactum est, ut olim B. Martino accidit, qui in loco nomine martyris celebri*, *deprehendit non martyris, sed scelerati latronis monumentum. Multo consultius videtur, ut NB. ab omni reliquiarum ostentatione abstineatur, & populus ad veras reliquias colendas, id est, ad exempla sanctitatis, & virtutum, quæ in Scripturis, vel ab ipsis Apostolis, de ipsis extant, imitãda provocetur.* Si salutari huic consilio daretis locum D. J. haberetis nos consentientes: At proh dolor! populo subducitis Scripta Apostolorũ & ostentatis ipsi fictas eorũ & aliorum reliquias: nempe quia Scripta Apostolica Papæ contradicunt: re-

liquiæ autem mutuæ sunt, nec periculum est, ne aliquid hiscant in Papam. Prudenter rem vestram instituistis! scilicet more Pharisæorum, ad quos etiam provocasti, qui Prophetarum & justorum doctrinam contemnebant & nihilominus tamen *eorum sepulchra ædificabant & exornabant.* Matth. 23.29.

XXVI. Verum est Exod. 3.5. *terram* dici *sanctam*: verum etiam, *templum & arcam fuisse honorata*: At quid inde D. JCte pro imaginibus vestris? Sancta & honorata hæc omnia erant ob Dei singularem in iis præsentiam: At ubi Deus dixit, se singulariter præsentem fore in imaginibus vestris? 2. licet hæc terra & instrumenta essent sancta & honorata, & quidem ex instituto & jussu ipsiusmet Dei, quod vos de imaginibus vestris non potestis dicere: quis interim fidelium legitur ea cultu religioso prosecutus esse? Dicis, *per imaginem Christi æquè præfigurari Salvatorem, ac olim per templum & arcam fœderis præfiguratus fuerit.* Rþ. falsissimum hoc esse: præfiguratio Christi per templum & arcam erat ex Dei institutione: sed per imaginem ex hominum imaginatione & libidine. 2. posito, interim hoc verum esse, cur adoratis imaginem Christi, cum nemo adoraverit templum & arcam? Dicit quidem David Ps. 99.5. השתחוו להדום רגליו *adorate ad scabellum pedum ejus*: At non dicit, *adorate scabellum pedum ejus*, ut Vulgatus vester habet. Locus publicæ adorationis, non objectum designatur. In quem modum etiam à Paraphraste Chaldæo redditur סגידו לבית מקדשיה *adorate in domo* vel *ad domum sanctuarii ejus.*

XXVII. Addis (ad commendandas simul Processiones vestras) *arcam fœderis fuisse sæpe circumgestatam in processionibus Jos. 6. 1. 1. Chron. 15. 27* &c. *Totam domum Israelis lusisse in processione adhibitis variis instrumentis, nempe citharis, nablis &c. 2. Sam. 6. 5. Imo ipsum Davidem saltâsse*

se &c. v. 15, destitutum licet divino id faciendi mandato: At in casu um: nam 1. circumgestatio arcæ, populique coram eâ plausus expresso nititur Dei mandato Jos. 6. 4. 1. Paralip. 13. 1. An sic etiam circumgestatio imaginum vestrarũ? Ad Davidem in specie quod attinet, præditus ille erat Spiritu Prophetico, quomodo ergo sine Dei verbo? Etiam liquet 1. Paralip. 13. 1. cum in deportanda arca consilio Dei usum esse. (2) Nullibi hîc processio Pontificia: Est ergo lusus homonymiæ. Abest enim & formale & requisita primaria ac necessaria, de quibus vide sîs Celeb. Voëtium *part. 3. Disp. Theol.* Ut paucis dicam, Religiosis vestris processionibus & peregrinationibus vestris, loci unius præ alio majori sanctitati innitentibus, conditio Ecclesiæ N. T. evertitur. In V. quidem Testamento locum loco fuisse sacratiorem in aprico est: At in N. locorum discrimen sublatum esse docet ipse Christus Joh. 4. 21. 23. 24. & Paulus 1. Tim. 2. 8. *Non dixit Dominus*, inquit Augustinus Serm. 3. de Martyr. *Vade in orientem & quære justitiam, naviga usque ad occidentem, ut accipias indulgentiam, dimitte inimicis & dimittetur tibi. Nihil à te extra te quære.* Optimè interim prospectum est Papæ in processionibus: ille enim in iis, (forte ne pedem ad lapidem offendat) corporibus hominum, ceu vehiculo nobilissimo vehitur. *Præsertim Pontificem*, ait Diana de Ador. P. P. 10. *reverenter adoramus, cum in quibusdam diebus solennioribus procedit ad Capellam, gestatus super humeros cum tiara in capite* &c. Quod si ipsi quandoque libeat vehi equo, (quemadmodum varietas delectat) maximis inter præsentes Dominis, stapham equi, ut commodius conscendat, tenere convenit. *Cum Papa*, inquit Marcellus Cerem. l. 1. tit. 2. *per scalam, quam superius diximus, ascendit equum, major Princeps, qui præsens adest, etiamsi Rex esset aut Imperator, staphā equi Papalis tenet, & deinde*

inde ducit equum per frænum aliquantulum. Res commodissima! Addit: *Si vero Pontifex non equo, sed sella veheretur, quatuor majores Principes, etiamsi inter eos Imperator aut Princeps maximus adesset, in honorem Salvatoris I. C. sellam ipsam cum Pontifice NB. humeris suis portare aliquantulum debent.* En honorem Papæ! at an idem etiam hostiæ, quam Christum suum esse credunt, in processione illa papali exhibetur? neutiquam. *Post eos ducitur*, inquit idem Cerem. l. 1. p 16. *per familiarem Sacristæ rubro etiam indutum & baculum in sinistrâ habentem equus albus, mansuetus, portans Sacramentum, habens ad collum tintinnabulum bene tinniens & supra portatur baldachinum cum insignibus Papæ.* En quanto major Papa ipso (juxta Pontificios) Christo! Papæ si lubet sellâ vehi, humeris Imperatoris, Regis aut Principum portatur: Christus autem dorso bestiæ. Equum, quo Papa vehitur, ducit manus Imperatoris aut Regis: At equum, quo vehitur Christus, ducit famulus Sacristæ! Egregie sanè! quia nimirum Paulus prædixit 2. Thess. 2. 4. τὸν ἀντικείμενον *se se elaturum esse* ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεὸν ἢ σέβασμα.

XXVIII. *Papæ*! ais, *si hodie in locis Reformatis Sacerdos Catholicus in processione (ubi Christus in Sacramento circumgestatur) exemplo Davidis &c. plaudendo, saltando, ludendo & jubilando procederet, quot & quanta Adversarii cum Michale, uxore Davidis (quæ Davidi illusit, eumque hoc nomine despexit: Ergo in hoc passu Reformata fuit:) è suggestibus coram imperita plebe de idololatria non essent facturi, verba?* R. Non tam de idololatria, nisi accederet hostiæ adoratio, essemus verba facturi, quam de *de* ἐθελοθρησκείᾳ & cultus vestri vanitate. Circumgestatio arcæ, Davidisque coram ea saltatio, nitebatur Dei verbo, ut supra audivimus: At circumgestatio hostiæ vestræ

ſtræ nititur verbo Papæ contra verbum Dei: Quæſo enim D. JCte, ubi Chriſtus diſcipulis ſuis mandavit hoſtiam circumgeſtare? annon præbuit panem manducandum, non verò circumgeſtandum? annon dixit, *accipite, edite*: ubi vero, *accipite, circumgeſtate*? Ubi quæſo Eccleſia Apoſtolica, ubi Eccleſia primitiva legitur circumgeſtaſſe vel oſtentâſſe panem Euchariſticum? Porro, adoratio euchariſtiæ veſtræ quo nititur mandato? quo exemplo? mandavit quidem Chriſtus Apoſtolis, *ut acciperent, ederent, biberent & facerent hoc in ſui memoriam*: At ubi, *ut panem adorarent*? cum tamen de adoratione panis, utpote re novâ, multo magis admonendi fuiſſent, quàm de manducatione: Ubi etiam Apoſtoli? ubi primitiva Eccleſia legitur panem Euchariſticum adorâſſe? Papæ & vobis Papiſtis hæc ἀρτολατρεία propria eſt. Hanc jam ſuperſtitionem & idololatriam veſtram dum carpimus, & deſpicimus, quî ſimiles ſumus Michali, Davidem, arcam non adorantem, ſed coram ea juſſu Dei circumgeſtatâ, ſingulari ejus, qui in Prophetis erat, Spiritus impulſu ſaltantem deſpicienti? Hæc mulier potius *hoc in paſſu Pontificia* fuit, utpote quæ, quemadmodum nos Pontificii in vero Dei cultu deſpiciunt & in eo, ubi poſſunt, interturbant, Davidem, Deum verè colentem, deſpexit & interturbare allaboravit.

XXIX. Addis porrò, *Johannes honorabat corrigiã ſolearũ Chriſti Marc. 1. 7. & primi Chriſtiani ſudaria, Pauli & umbram Petri: annon ergò æquè, imò magis adhuc, honoranda eſſent horũ, ut & cæterorum Apoſtolorum & Sanctorum, maximè B. V. Mariæ, imagines*? ℞. 1. da veram Chriſti, da B. Mariæ, da Apoſtolorum & aliorum verè Sanctorum imagines & eas honorabimus: At dare non poteris: quia apud vos

Nn non

non sunt, ut supra demonstratum: *honorabimus*, inquam, i. e. erunt apud nos in pretio & loco honesto: At non exponemus eas loco publico & sacro, ut sint libri laicorum: cùm Deus non velit suam Ecclesiam imaginibus, sed verbo suo erudiri? multo minus coram iis procumbemus, thus adolebimus, cereos accendemus, ut vos soletis: alioquin eas in idola converteremus. 2. *Honoraverit Johannes corrigias, honoraverint alii sudaria Pauli* &c. quid ad rem? Longe utique aliud est *honorare*, aliud *adorare*: Ubi Johannes adoravit corrigias? ubi Apostoli leguntur mandâsse hominibus adorare? ubi leguntur homines adorasse *umbram* & *sudaria*? An Petrus, qui noluit adorari vivus à Cornelio Act. 10. 25. mandare voluisset adorationem sui cadaveris? (3) Sudaria Pauli Act 19. 11. & umbra Petri Act. 5. 15. non habebant in se inclusam virtutem sanandi morbos, sed erant extraordinariæ & Dei virtute factæ sanationis symbola. Ipse Petrus, ut claudus ab ipso erat erectus, negat, id *sua virtute aut pietate factum esse Act. 3. 12.* quî ergo corporis sui umbræ hanc virtutem attribui concessisset? Incluserunt Papicolæ reliquiario suo halitum Josephi, ut supra audivimus, mirum, quòd non cogitaverint etiam de includenda eidem hac Petri umbra!

XXX. Hæmorrhoissa, cujus mentio fit Matth. 9. 21. ubi legitur corporis sui sanationem adscripsisse vestimento Christi D. JCte? Verum est, eam dixisse apud se; *si solum tetigero vestimentum ejus, liberabor*: At quid inde? num propterea putanda est credidisse, virtutem sanandi latere in veste Christi? non certe: Dicit, *liberabor*, sed non addit, *virtute vestis vel fimbriæ*: credebat se, si vel fimbriam tangeret, virtute Christi sanatum iri: *hæc* enim *virtus* legitur *è Christo egressa*, non è fimbria Luc. 6. 48. sed 2. D. JCte, quæ comparatio vestimenti Christi cum vestris reliquiis? 3. Si hæc hæmorrhoissa fuit *Catholica* (id

est,

est, Pontificia) quod scribis ; cur ergo non adoravit vestem Christi , ut vos reliquias vestras ? *Hanc itaque fimbriam*, inquis, *in & cum eâ vero præcipuè Christum ipsum , ut non minus etiam imaginem ejus, venerata est, quam , ut supra dictum in beneficii sibi exhibiti memoriam Servatori nostro ex ære parandam & ante ædes suas collocandam curaverat.* ℞. Mulierem hanc Christum veneratione religiosâ prosecutam esse, dubitare nos non sinit vera , quâ ipsum amplectebatur, fides: At illam eâdem prosecutam esse ipsius vel fimbriam vel imaginem , nunquam probabit nobis D. JCtus , adeoque nec demonstrabit, eam fuisse Pontificiam. Quid? ne quidem certum est, eam imaginem ab illa muliere fuisse erectam: non enim dicit Eusebius, se vidisse , sed tantum id memorari : quamvis si ab eâ factum esset, non propterea fuisset pontificia : quia eam cultu religioso non est prosecuta : interim erecta non fuit *Catholica* sed *ethnica consuetudine*, ut supra ex Eusebio audivimus.

XXXI. *Christus autem*, addis , *respondebat illi, in fimbriâ suâ fiduciam collocanti eamque hinc ad impetrandam sanitatem suam tangenti, mulieri, abi, fides tua te servavit : fimbriam venerata est & tetigit ; sed Christum ipsum putavit : Eadem est ratio imaginum Catholicarum : has habent & venerantur quidem : non autem imaginem aut ejus colorem* venerantur, *sed id quod eâ designatur & significatur , adeoque sequuntur exempla, à Christo ejusque discipulis in S. Scriptura approbata* &c. Res acu tacta D. JCte, scilicet! At 1. Ubi legitur mulier illa fiduciam suam in fimbriâ Christi collocâsse? Num etiam in ullo præter solum Deum fiducia collocanda ? negat Jeremias c. 17. 5. Patet hinc, quam speciem *honoris & venerationis* (quam hactenus texeras , generali & ambigua voce usus) intelligas , nimirum *religiosæ* : quam

& alii non pauci generalibus & ambiguis vocibus proponunt, partim quia, quod corde fovent, verbis disertis exprimere erubescunt: partim ut, ad tegendum fucum suũ & denigrandam religionem nostram coram plebe, nos aggredi queant, tanquam Sanctorum corporibus debitum honorem negantes, adeoque ea afficientes contumeliâ: quâ quidem in re nobis maximam inferunt injuriam. Dent illi nobis vera Apostolorum, aliorumque verè Sanctorum corpora aut reliquias, & venerabimur, id est, non insepulta abjiciemus, non contumeliâ afficiemus: absit hoc à nobis! sed honorificè terræ mandabimus: quemadmodum, quoties in V. vel N.T. mortuorum memorantur exempla, illorum corpora terræ mandata dicuntur. En Abrahamum, Isaacum, Jacobum, Josuam, Davidem, Johannem Baptistam, Stephanum, aliosque in V. & N.T. mortuos: num eorum corpora aut reliquiæ circumgestatæ religionis ergo? num ostentatæ? num veneratione religiosâ affectæ? Quin Mosis corpus ab ipso Deo sepultum Deut.34.6. ne à Judæis propter viri sanctitatem & miracula ad ejusmodi cultum raperetur. De vestris insuper reliquiis, quas circumfertis, quæ vobis certitudo? nulla: nemini enim de illis constare potest, quales vel illæ sint, vel hi fuerint, quibus tribuuntur, hoc tempore, quo nullus hujusmodi miraculorum, si vel vera, quæ jactantur, forent, nisi ad incrementum superstitionis, usus: obtinet proinde, quod Christus olim dicebat ad Mulierem Samaritanam, maximè etiamnum apud vos: *adoratis, quod nescitis, nos adoramus, quod scimus* Joh.4.22.

XXXII. Dicis, *Vos eodem modo agere cum imaginibus, quo hæc mulier cum fimbria Christi*: Admodum bellè! Ergò fiduciam vestram collocatis in imaginibus, ut ea eam

eam juxta te in fimbriâ Christi collocaverat. Quo quid quæso dari potest absurdius? Addis, *eam fimbriam veneratam esse, sed Christum ipsum putâsse:* At probari vellemus utrumque: unde probabitur, *mulierem veneratam esse* (*religiosè* scilicet, *fiduciam in eâ collocando*, ut scribis,) *fimbriam?* Unde & demonstrabitur, *eam, si vel maximè ita fimbriam venerata esset, Christum ipsum putâsse?*

XXXIII. *Catholici*, pergis, *imagines habent & venerantur quidem: non verò imaginem & ejus colorem* venerantur, *sed id quod imagine designatur & significatur.* Quis non videat, D. JCto nostro hîc hærere aquam? *Catholici*, inquit, *imagines habent & venerantur quidem.* Admodum timidè loquitur bonus Vir, gnarus, Catholicos suos, ceu Babelis istius mysticæ operarios, de veneratione imaginum diversis magis linguis loqui, quàm priscæ Babelis architectos. Quæro autem 1. ex te D. JCte. Num Catholici, quos vocas, dum venerantur imagines, venerentur eas in se, an verò nullo modo venerentur in se, sed tantùm coram imagine exemplar? Si *prius*: Catholici hoc in passu non sunt vestri præstantissimi Doctores, Durandus, Alphonsus à Castro, & alii quos citat Bellarminus lib. 2. de imag. c. 20: Statuunt enim, vel ipso Bell. teste, *imaginem non esse ullo modo in se colendam.* Si *posterius*: Iterum Catholici non sunt Religionis vestræ antesignani, Cajetanus, Marsilius, Almayn, Carthusianus, Capreolus, Bonaventura, Thomas (qui duo posteriores à Papa relati sunt in album Sanctorum: ergo utique boni Catholici) nam illi, teste eodem Bellarmino docent, *eundem honorem deberi imagini & exemplari, & proinde imaginem Christi esse adorandam cultu latria, B. Maria cultu hyperdulia, & Sanctorum aliorum cultu dulia.* Quæro 2. An Catholici, dum venerantur ima-

gines, venerentur eas propriè, ità ut ipsæ terminent adorationem: an vero impropriè: Si *posterius*: Catholicorum numerum non augebit amplius ipse Bellarminus vester: nam ille scribit lib. 2. cap. 21. *imagines Christi & Sanctorum venerandas esse, non solum per accidens vel impropriè, sed etiam per se & propriè, ita ut ipsæ terminent venerationem, ut in se considerantur, & non solum, ut vicem gerunt exemplaris.* Si *prius*: Catholicorum numero eximentur Gerson, Major, Holchotus, Sicus Mirandulanus & alii apud Raphaëlem de la Torre *in Summ. de Religion. q. 49. art. 2. disp. 6.* utpote qui strenuè negant, *imagines propriè coli posse, ut terminent venerationem.* Quæro 3. An Catholici, dum venerantur imagines, venerentur eas eodem, quo exemplar an verò minori cultu? Si *prius*: quales fuerunt Catholici Peresius, Catharinus, Sanderus & alii, qui, teste Bellarmino, volunt, imaginem esse venerandam minori cultu, quàm ipsum exemplar? Si *posterius*: quales fuerunt Catholici Thomas & Thomistæ, qui, ut supra audivimus, docent, *eundem honorem deberi imagini & exemplari*? En bonos Catholicos tuos D. JCte! incerto adeò pede cursitantes, ut etiam te, asserentem, *non imaginem, sed id, quod imagine designatur, coli*, non parum recalcitrationibus suis tangant. Sed excutiamus D. JCto nostro ulterius soporem: dicit Catholicos *habere quidem & venerari imagines*: quæro, annon religiosè venerentur? annon adorent? quid respondes? Num affirmas, an negas? Si, *affirmas*, vel te ipso fatente, Catholici tui sunt idololatræ: *Si negas*: Anathemate te percellit Synodus Nicena II. Audi ipsius verba. *Gloriosorum angelorum*, inquit Act. 7. *& omnium Sanctorum imagines ADORANDAS putamus. Qui verò ità non est animatus: sed circa venerandarum imaginum adorationem laborat*

rat & dubitat, eum anathematizat Sancta & veneranda Synodus: Scio in Ecclesia Romana non paucos reperiri, præsertim inter Laïcos, qui aperte negant adorationem imaginum in Papatu obtinere, aut doceri: imò etiam nos calumniæ insimulant, quòd tale quid Religioni Romanæ imponamus. At boni isti homines ablegandi sunt ad Sacerdotes & Doctores suos, ut melius in Religione Romana informentur. Audiant interim eandem Synodum. *Omnes*, inquit ea Act. 4. *Qui se sacras imagines venerari confitentur, ADORATIONEM autem recusant, à sancto Patre Anastasio redarguuntur ut hypocritæ, Nam cum verè adorationem, quod est honoris Symbolum recusant, contrarium facere cognoscuntur, nimirum Sanctis convitia dicere.* Nota bene hæc verba D. JCte: Aut tu igitur, dum hactenus veneratus es imagines in Papatu, eas sub illa veneratione adorâsti, aut non: Si *adorâsti*, fuisti *idololatra*: si *non adorâsti*, fuisti, juxta hoc Concilium, *hypocrita*. Ne autem prætendas, recentiores ab ista impietate recessisse, audi Thomam vestrum. *Sequitur*, inquit ille Summ. part. 3. q. 25. art. 3. *quòd eadem reverentia exhibeatur imagini Christi & ipsi Christo; Cum ergo Christus adoretur adoratione latriæ, consequens est, quod ejus imago sit adoratione latriæ adoranda.* Thomam sequuntur Gabriel Biel *Lect. 49. in Can. Miss.* Cajetanus *in Notis*, &, citante Vasquezio *lib. 2. de Adorat. disp. 8. c. 3.* Azor, Alexander, Bonaventura, Ricardus, Paludanus, Capreolus, Alphonsus de Castro & alii plurimi. En hîc divortium Laïcorum à Clericis! Volunt hi imagines adorari: At illi nolunt, saltem quidam & prudentiores: Alias quod attinet ad popelli fæcem; quis neget, ab eâ adorari imagines? *Eo insania*, inquit Polydorus Vergilius lib. 6. c. 13. *deventum est, ut hæc pietatis pars parum differat ab impietate:*

sunt

sunt enim bene multi rudiores stupidioresque, qui saxeas vel ligneas, marmoreas, æneas, seu in parietibus pictas, variisque coloribus litas imagines colant, non ut figuras, sed perinde quasi ipsæ sensum aliquem habeant, & iis magis fidant quam Christo, vel aliis divis, quibus dicatæ sunt. Verum est, esse & inter Clericos, qui in vulgaribus libellis Polemicis, vernaculo aut latino sermone conscriptis, prætendant, Pontificios non adorare imagines, sed in iis demum tanquam mediis & adminiculis id, quod designant, adorare: Annumerantur his W*addingus*, *Bailius*, *Becanus*, *Coppensteinius*, *Volusius* & alii. At hos bonos viros pudet doctrinæ matris suæ: hinc fingunt & refingunt, ut lethales nostrorum ictus declinent; quamvis & sic idololatriæ crimen neutiquam à se amoliantur, ut suo loco demonstrabitur. Sunt interim, dum imaginibus adorationem derogant, juxta Conc. Nicenum Act. 4. *hypocritæ*, & juxta Cardinalem Baronium Tom. 9. ann. 794. sect. 3. 9. *hæretici*. Et quis Papicolarum hoc in dubium vocet, cum Thomas, Angelicus ille Ecclesiæ Romanæ Doctor (in cujus sententiam promptissime concessit turba ingens Doctorum, quos ad triginta usque enumerat Vasquez *lib. 2. de Adorat. disp. 8. cap. 3.*) disertè doceat, *eundem honorem deberi imagini & exemplari*, & addat (*part. 3. q. 25. artic. 4.*) *hanc esse sententiam Ecclesiæ*? Si autem est sententia Ecclesiæ, quis contradicat? quis obloquatur Thomæ, Doctori Angelico, in Album Sanctorum relato, ad quem (quodadmodum devotè credunt Papicolæ) ipse Christus per divinam revelationem dixit, *Rectè de me scripsisti Thoma*? Et quid? annon etiam Bellarminus, Coryphæus vester, *lib. 2. de imag. c. 21.* expresse, docet, *imagines Christi & Sanctorum venerandas esse*, id est, adorandas (probat enim hanc suam sententiam ex Conc. Niceno, adorationi,

tioni,ut supra audivimus, faventissimo) *non solum per accidens vel impropriè, sed etiam per se & propriè, ità ut ipsæ terminent venerationem (* adorationem) *ut in se considerantur & non solùm, ut vicem gerunt exemplaris.* En Papistas imagines propriè adoratione religiosa, in ipsâmet imagine terminatâ, adorantes! Quâ fronte ergò scribunt hodierni Jesuitæ & cum illis D. JCtus noster, omnem inter eos imaginum cultum esse relativum? Verum est, eundem Bellarminum, etsi fateatur imagines per se & propriè adorandas esse, negare tamen, eas adorandas esse eodem cultu, quo exemplar. *Quantum ad modum loquendi*, inquit lib. 2. c. 22. *præsertim in concione ad populum, non est dicendum, imagines ullas adorari debere latria, sed è contrario non debere sic adorari.* Addit paulo post. *Imaginem Christi vel crucem adorandam esse latriæ cultu, illo ipso, quo adoratur Deus, non caret magno periculo, nam qui defendunt imagines adorari latria, coguntur uti subtilissimis distinctionibus, quas vix ipsimet (* audi Thoma, Doctor Angelice, audite Doctores Scholastici quî adhuc ad Scholas ablegemini à vestro Cardinale) *intelligunt, nedum populus imperitus.* At bonus ille Cardinalis sic salvus non evadit: nam 1. Scriptura unum adorandum, unum cultum religiosum nobis proponit: Unde ergo Pontificia cultus in inferiorem & superiorem distinctio? (2) Bellarminum Thomæ contradicentem confutant Jesuitæ. *In veneratione Christi imaginum*, ait Greg. de Valentia lib. 1. de Idol. c. 5. *adeoque etiam crucis idem cultus, quo honoratur Christus ipse, id est, divinus, usurpatur.* Et Costerus Enchirid. Tr. de Imag. *Ex quo*, ait, *non obscurè consequitur, omnem honorem, qui prototypo debetur, etiam exhiberi imagini posse.* (3) Si imagines sunt colendæ inferiori & diverso à cultu exemplaris, agedum dicant nobis Papicolæ, quis sit ille

cultus inferior, quo V. G. prosequuntur imaginem Christi? num *dulia*, an verò *hyperdulia*? Si dulia: quo ergò cultu afficient imagines Sanctorum, cùm juxta ipsos dulia sit infimum adorationis genus? Item quomodo *dulia* potest in Christo terminari, cui debetur latria? prætereà, illa dulia, quâ prosequuntur imagines Sanctorum, aut est inferior duliâ ipsorummet Sanctorum, aut non est: *si est inferior*, dabuntur duæ duliæ species, dabitur cultu infimo inferior, quod utique absurdum & contradictorium: si *non est*: imagines Sanctorum non coluntur cultu inferiori, quam ipsa Exemplaria, quod tamen contendit Bellarminus. Si *hyperdulia*: quo ergo cultu afficient imaginem Mariæ, imò ipsam Mariam, cùm ei soli hunc cultum destinârint? Ne jam addam, ipsos vana hac distinctione B. Mariam supra Deum efferre: Cùm enim, teste Scriptura, Deo debeatur dulia Rom. 12. 11. Matth. 6. 24. &c. ipsi Mariæ hyperduliam tribuunt; quâ Theologiâ quid absurdius? (4) Ipse tandem Bellarminus ex animi angustia eodem capite mutat sententiam & agnoscit, *imagines adorari posse cultu latriæ, modo adorentur cultu latriæ per accidens & impropriè.* Hem Cardinalem, risu dignissimum! Re ipsa igitur, quamvis per accidens ex ipsius confessione, Papicolæ sunt idololatræ. Unde autem constat Cardinali, populum, dum coram imaginibus procumbit adorabundus, eas osculatur, ad eas affricat Sphærulas suas precatorias, imagines adorare cultu latriæ per accidens? Dicit; *id non esse efferendum in vulgus & in concione ad populum abstinendum ab hoc loquendi modo.* Quis, quæso, à cachinno sibi temperet? pudet ergo Papicolas dicere, quod facere non pudet. Addit rationem, *quia Concilia non affirmant, sed simpliciter negant, imagines adorari latriâ*: quâ fronte tu ergo contra Concilia

cilia affirmas, *imagines adorari posse latria per accidens*? Adjicit tandem. *Cultus qui per se, proprie debetur imaginibus, est cultus quidam imperfectus, qui analogicè & reductivè pertinet ad speciem ejus cultus, qui debetur exemplari. Itaque imaginibus Sanctorum non debetur propriè dulia, sed cultus inferior, qui dici potest dulia secundum quid, vel dulia analogicè sivè reductivè. Similiter imaginibus B. Virginis non debetur hyperdulia simpliciter, sed secundum quid, sive analogice & reductive. Denique imaginibus Christi non debetur latria vera & simpliciter, sed cultus sine comparatione inferior, qui tamen reducitur ad latriam, ut imperfectum ad perfectum.* En quàm bellè Bellarminus rusticos & vetulas instruat! Debent quidem adorare imaginem Christi latriâ, *sed analogice* demum *& reductive*. Quomodo, per Deum immortalem, misellus Rusticus aut imperita muliercula, coram imagine procidens, dum prototypo aut latriam, aut duliam aut hyperduliam exhibere tenebitur, eodem simul tempore, alium nescio quem cultum *reductivum* concipere debebit, *analogice* ad latriam & duliam, quæ exhibetur exemplari? qui tamen nec *latreuticus* nec *duleuticus* debeat nuncupari? Reprehendit Cardinalis, ut supra audivimus, Catholicos suos, qui defendunt, *imagines adorari latriâ*, eò quòd *cogantur uti subtilissimis distinctionibus, quas vix ipsimet intelligant, nedum populus imperitus*: At debebat bonus ille vir in suum ipsius sinum descendere. Cudit ille hîc ex animi angustiâ distinctiones, quas nec popellus (quomodo enim is capiet, quid sit latria *analogica & reductiva*, item quid sit, *colere imaginem hyperdulia simpliciter & secundum quid*?) nec ipsemet intelligit: Excogitavit cultum *analogicum*, qui nec sit *latreuticus*, nec *duleuticus* nec *hyperduleuticus*, sed tamen *religiosus*: quem ille non scit exprimere, concipi

 tamen

tamen vult ab anibus, ſe ſe à periculo idololatriæ vindicaturis. Quid? annon bonus ille Cardinalis ſibi manifeſtè contradicit? Determinaverat cap. 21. *imagines colendas per ſe & propriè, ita ut ipſæ terminent illum cultum*: Hîc autem c. 25. aſſerit, *non competere ipſis propriè latriam, duliam, hyperduliam, aut cultum alium, qui conveniat naturæ intelligenti.* En viri conſtantiam! Sed excutiamus ipſi cerebri vertiginem. Dicat nobis, an latria *analogica* & *reductiva*, quam excogitavit, ſit vera latria nec ne: Si *non eſt vera*, falſus eſt cultus: Si *eſt vera*, Bellarminus, dum vult, ut homines imaginibus Chriſti deferant *latriam analogicam* & *reductivam*, eo ipſo vult, ut honorem ſoli Deo debitum imaginibus propriè tribuant, adeoque, ut ſint idololatræ.

XXXIV. Diſtinctio inter *cultum abſolutum* & *relativum*, quâ D. JCtus cum quibusdam aliis elabi quærit, vaniſſima eſt: nam 1. falſum eſſe, quòd Pontificii *cultum relativum* tantum imaginibus deferant, ſuprà modo demonſtratum. *Si imago*, inquit Bellarminus lib. 2. c. 20. *non eſt veneranda niſi impropriè, quia nimirum coram illâ vel in illa aut per illam adoratur Exemplar, certe licebit ſimpliciter negare, imagines eſſe venerandas. Quod enim non dicitur niſi impropriè, ſimpliciter negari poteſt. At Conc. VII. act. 7. anathema dicit illis, qui negant imagines eſſe venerandas.* (2) Ubi Deus cultum illum relativum inſtituit D. JCte? quis vos docuit diſtinguere, ubi lex non diſtinguit? Annon eâdem diſtinctione ſe olim excuſare potuiſſent Iſraëlitæ moſcholatræ? Volebant enim per conflatum vitulum (cujus figuram potius elegerunt quàm hominis aut alterius animalis, quia, ut Viſorius veſter ſcribit, viderant Ægyptios ſub bovis imagine colere vel Apim regem, ſuum olim benefactorem, quem inter

Deos

Deos relatum imaginabantur, vel Nilum, cujus inundatione terra Ægypti fœcundabatur) colere verum Deum, ut supra probavimus: sed an propterea non erant idololatræ? Quid? ipsorummet gentilium, saltem plurium, cultus annon quoque ex ipsorum mente relativus erat? demonstravimus id supra evidentissimè: Sed an ideo crassæ idololatriæ culpa illi vacârunt?

XXXV. Verum est, *Paulum in cruce Christi gloriari Gal.6.14.* Verum etiam, eundem dicere 1.Cor.1.18. *Sermo ille de cruce iis quidem, qui pereunt, stultitia est: iis autem, qui servantur,* id est, *nobis, potentia Dei est.* Sed quid inde D. JCte? Num hîc Paulo sermo est de ligno crucis? Non audes asserere: ad quid ergo loca illa? *Respondent,* inquis, *Reformati, Paulum his verbis non intellexisse crucem materialem, sed eum, qui cruci fuerit affixus: agedum, idem etiam faciunt Catholici: venerantur quidem imaginem, intelligunt autem sub hac veneratione eum, quem imago designat.* Rem acu tangis D. JCte! scilicet! at 1. ubi Paulus legitur nominâsse imaginem? ubi legitur veneratus esse crucem & sub hac veneratione intellexisse crucifixum, quod Catholicos tuos facere dicis? 2. Quam eximia sit inter Catholicos tuos harmonia, hactenus satis audivimus. Diffident magis à se invicem boni tui Catholici, quàm capita vulpium Simsonis, caudis unitarum, à se invicem aversa. Dicas mihi, Num tu Catholicus Jurisconsultus, dum veneraris imagines, imaginibus tribuas eundem cultum, quem exemplari, an verò non tribuas: Si *non tribuis*, pungeris à Catholicis tuis Theologis, Thoma, Bonaventura, Alexandro, Cajetano, Marsilio, Almayno, Carthusiano, Capreolo & aliis; utpote qui, teste Bellarmino l.c. docent, *quod idem honor debeatur imagini & exemplari*, Rationem dant, *quia*

honor imaginis transit ad exemplar. Si *tribuis*, pungeris rursus à Catholicis tuis Theologis, Durando, Alphonso à Castro, Peresio, Catharino, Sandero, Gabriele & aliis quorum quidam, eodem teste Bellarmino, docent, *imaginem in se nullo modo esse colendam*, alii, *ipsas imagines in se & proprie honorari debere, sed honore minori, quam ipsum exemplar.* Quò se jam vertat Catholicus Jureconsultus, ità vulneratus à Catholicis suis Theologis? Quid? *Constans*, ait Jesuita Azorius lib. 9. c. 6. *est Theologorum sententia, imaginem eodem honore & cultu honorari & coli, quo colitur id, cujus est imago. Mihi unus tantum cultus videtur imagini debitus, idem nempe qui debetur exemplari*: Hoc si verum, quî asseris, *Catholicos tuos sub veneratione imaginis non intelligere ipsam imaginem, sed exemplar*? Nempe perplexus hæret D. JCtus: enatare conatur, at nescit, quo modo; sufflaminante eum, ab una parte, idololatriâ, ab alterâ Theologorum dissensu. Sic non minus in tota hac explicatione cultus imaginum Bellarminus funambulum agit religionis, pendente vestigio ingreditur, juxta præcipitium turpissimæ idololatriæ: plebem rudem vult secum ducere, quæ subtilibus distinctionibus nescit gradus suos vibrare: Quid hoc est aliud, quàm ludere cum Deo & hominum animabus?

XXXVI. Ubi interim conscientia tua D. JCte, dum Reformatos, tanquam σαυρομίσους & contemptores crucis traducis? Crucem nullus nostrûm odit aut contemnit, sed duntaxat ejus abusum; qui apud vos maximus est: recepta enim apud vos est sententia, cultu latriæ, qui soli Deo debetur, crucem ejusque imaginem esse afficiendam; *Si loquamur de ipsa cruce*, inquit Thomas p. 3. q. 25. art. 4. *in qua Christus crucifixus est, utroque modo est à no-*

nobis veneranda, uno scil. modo, in quantum repræsentat nobis figuram Christi extenti in ea, alio modo ex contactu ad membra Christi, & ex hoc quod ejus sanguine est perfusa; unde utroque modo adoratur eadem adoratione cum Christo, scilicet adoratione latriæ; & propter hoc crucem alloquimur & deprecamur quasi ipsum crucifixum: Si verò loquamur de effigie crucis Christi in quacunque alia materia, puta lapidis vel ligni, argenti vel auri, sic veneramur crucem tantùm ut imaginem Christi, quem veneramur adoratione latriæ: Huic sententiæ Thomæ calculum suum addunt plerique Scholastici: imò scribit Vasquez in 3. Thomæ disp. 91. c. 2. *Catholicam fidem & doctrinam esse*, Quod *non solum crux illa, in qua Christus mortuus est, sed & quæcunque Crucis figura, vel in materia permanenter sculpta aut depicta, vel in aëre aut manu, aut digitis expressa, exosculanda & adoranda est*. Quin & ipse Papa crucem, simul atque consecrata est (consecratur autem nova ab ipso inter alia hisce verbis; *Digneris benedicere hoc lignum crucis, ut sit remedium salutare generi humano, sit soliditas fidei, profectus bonorum operum, redemptio animarum, sit solamen & protectio ac tutela contra sæva jacula inimicorum. Vide Pontif. Rom. pag. 359. & Ritual. p. 375.*) *flexis ante eam genibus devotè adorat & osculatur.* Nec alia est praxis Papicolarum: *Illi*, inquit Thomas p. 3. q. 25. art. 4. *exhibemus latriæ cultum, in quo ponimus spem salutis, sed in cruce Christi ponimus spem salutis: Cantat enim Ecclesia Domini de passione Domini in hymno. O crux ave spes unica, E. crux Christi adoranda est adoratione latriæ.* Quomodo hæc sapiunt palato tuo D. JCte? si hoc non est idololatriam crassam committere, non video, quid sit idololatria. Conatur quidem Bellarminus *lib. 2. de Imag. c. 24.* elabi, prætendendo *crucem ibi accipi pro ipso Christo crucifixo*: at frustra: nam intelligendam esse ipsam

cru-

crucem, ex verbis præcedentibus (*in Brev. Rom. dom. pass.*) patet quàm evidentissimè.

Arbor decora & fulgida- Ornata regis purpura
Electa digno stipite- Tam sancta membra tangere.
Beata cujus brachiis- Secli pependit pretium:
Statera facta corporis- Prædamque tulit tartari.
O Crux ave spes unica- Hoc passionis tempore,
Auge piis justitiam- Reisque dona veniam

Audi etiam devotam orationem *ex Breviar. Rom. p. 892.* qua 3. die Maji (hoc enim crucem ab Helenâ inventam credunt staurolatræ) crucem adorant; *O Crux splendidior cunctis astris, mundo celebris, hominibus multum amabilis, sanctior universis, quæ sola fuisti digna portare talentum mundi; dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera:* NB. *Salva præsentem catervam, in tuis hodie laudibus congregatam.* Quę hic relinquitur adorationi Christi ipsius & imaginis crucis ej⁹ differentia D. JCte? Noli ergò nos amplius traducere tanquam σαυρομίσους: Vos potius tales estis, dum illam, ut jam audivimus, in idolum convertitis. Nos detestamur tantum illum abusum, qui paulatim irrepsit, quo, quod Crucifixo proprium, tributum est cruci materiali. Quæres forte ex me; cur ergò ex templis vestris cruces ejecistis, si illas non odistis & contemnitis? quæro vicissim ex te, cur olim Ezechias serpentem æneum, ipsius tamen Dei jussu erectum, fregit & abjecit, cùm tamen eum per se, ut rem materialem, non odisset? Si ad Ezechiæ factum scis respondere, habes & responsum ad nostrum. Nimirum abjecit Ezechias serpentem æneum, quia fuerat & in posterum esse poterat objectum idololatriæ: sic etiam nos cruces (quas alias in rebus civilibus formare & gestare rem indifferentem judicamus) è templis ejicimus, quia invehendæ su-

superstitioni & idololatriæ hactenus inservierunt, & in posterum servire possunt.

XXXVII. Quod D. J. dicit, *fore ut die judicii signum crucis in nubibus appareat*, id nunquam ex Scriptura probabit. Verum est, veterum quosdam, ut Theophylactum & alios signum, cujus meminit Matthæus cap. 24.30 dicens; *Tunc apparebit signum filii hominis in cœlo*, intellexisse *de signo crucis*: At etiam non minus verum, id eos asseruisse sine fundamento. Hieronymus interim in h.l. *aut de signo crucis aut de vexillo victoriæ triumphantis* intelligit. Origenes in h.l. Tract. 24. *per signum filii hominis* nihil aliud *præter adventus Christi claritatem & gloriam* intelligit, altumque apud ipsum de cruce silentium. Mendax ergo est Bellarminus, dum *lib. 2. de Imag. c. 28.* scribere non veretur, *omnes veteres ad unum exponere hunc locum de cruce*. Ponamus autem, de cruce intelligendum esse: quid inde lucri Pontificiis? num propterea crux adoranda?

XXXVIII. Quod porrò longè petitum it D. J. ex Apoc. 14. 1. & 22. 4. & Ezech. 9. 4. non minus notat extremam omnium probationum inopiam. nam 1. ne minima locis illis crucis mentio. *Centum & quadraginta quatuor millia illa*, quorum mentio fit Apoc. 14. 1. dicuntur quidem *habuisse nomen Patris agni scriptum in frontibus suis* (quæ phrasis & reperitur Apoc. 22. 4.) sed non crucem: Et quodnam quæso est Patris nomen, D. JCte, seu Hebraicum seu Græcum, seu quovis alio idiomate scriptum, quod crucis figuram referat? Nisi forte dicere velis (prout Theologi vestri sunt admodum felices in fingendo) quòd, quemadmodum *Hebraicum* יהוה, *Græcum*, Θεὸς, *Latinum Deus* complectitur 4. literas; sic in cruce sint tignorum capita quatuor prominentia: At si

Pp Theo-

Theologis iſta licent, quis erit ineptiarum finis? Falſiſſimum eſt Ezech. 9. 4. *Deum præcepiſſe omnes viros Hieroſolymitanos mandâſſe ſignari ſigno Tau.* Ubi quæſo hoc legiſti D. JCte? Ne quidem apud Vulgatum tuum: ita enim ille: *& ſigna thau ſuper frontes virorum gementinm*, non inſertâ voce *ſignum*, quæ etiam citra manifeſtam tautologiam ſubaudiri non poteſt; cùm *Thau* Hebræis ſignificet *ſignum*: Audi ipſam veritatem Hebraicam: והתוית תו על מצחות האנשים *& ſigna ſignum ſuper frontes hominum:* Vox enim תו, ut diximus, ſignificat *ſignum* ſeu *notam*, & notare τῷ תו eſt *ſignare ſigno* aliquo in genere. Hinc ità reddunt LXX. Interpretes iſta verba, καὶ δὸς σημεῖον ἐπὶ τὰ μέτωπα τῶν ἀνδρῶν, *& da ſignum ſuper frontes virorum.* Quin, ne longius eamus, ille ipſe locus, qui à Bellarmino ceu parallelus citatur ex Apoc. 7. 3. ita illud תו *ſignum* in genere interpretatur. Sed 2. ſi vel maximè D. JCto noſtro concederemus, hîc intelligendam eſſe literam ח, quid inde lucraturus eſſet? dicit, *literam Tau referre crucem:* ℞. *Latinam*, T. verum eſt: *Hebraicam* ח, falſum: at Deus per Ezechielem ſuum non eſt locutus Latinè ſed Hebraicè. *De ſerpente æneo reſponſum ſupra.*

XXXIX. Dictum etiam & demonſtratum ſuprà, Pontificios non poſſe nobis ſiſtere veras Chriſti & Sanctorum imagines: Addo jam, idem eis objici poſſe, quod olim Ethnicis de imaginibus ſuis apud Arnobium lib. 6. *Unde noviſſimè ſcitis, an ſimulachra hæc omnia, quæ Diis immortalibus* (Sanctis) *vicariâ ſubſtitutione formatis, ſimilitudinem habeant, referantque divinam* (Sanctorum?) *Poteſt enim fieri, ut barbatus in cœlo ſit* (reipſa fuerit) *qui eſſe à vobis effingitur lævis; poteſt ut ſenectute provectior, cui puerilem commodatis ætatem; poteſt ut hic flavus ſit, qui in veritate*

tate habet oculos cæsios: displosas ut gestiret nares, quem esse vos facitis figuratisque nasicam. Neque enim est dicere aut appellare simulachrum, quod non pariles lineas principali ab ore traducat. Quam regulam si applices imaginibus Pontificiorum, patebit, apud eos nullas veras imagines esse, nisi forte novorum Sanctorum ultimis hisce temporibus depictorum. Quid ad hæc D JCtus noster? Dicit *angelos etsi spiritus sint adeoque secundum naturam suam depingi non possint, nihilominus tamen jussu ipsius Dei figurâ aliqua externâ, veris Cherubinis nullo modo respondente, fuisse repræsentatos. Exod. 25. 18.* ℞. Cherubinos, fuisse *imagines personales*, Angelorum repræsentivas, ad adorationem propositas, unde demonstrabis D JCte? non credunt Jesuitæ tui Lorinus & Vasquez, ut suprà audivimus *n. 15.* Num putabimus cum Synodo Nicena II. *Angelos esse corporeos, eorumque corpora esse aërea aut ignea* Act. V.? Non crediderim, hoc Concilium, quod tibi alias infallibile, hac in sententiâ infallibile visum iri. Fuerunt potius *figuræ Symbolicæ* & *Emblematicæ* officii angelici, à quibus quæ quæso consequentia D. JCte ad *imagines personales* Sanctorum? Occurrit apud vos imago personalis *S. Nicolai, S. Laurentii, S. Sebastiani, S. Jacobi, S. Pauli* & aliorum; At unde vobis constat, hanc, quam colitis pro imagine *Pauli, Petri* &c. esse veram *Pauli* aut *Petri* imaginem? De mille imaginibus ejusdem Sancti vix duas reperias eandem faciem referentes. Imaginem V. G. S. Mariæ, in templis vestris frequentissimam aliâ Coloniæ, aliâ Confluentiæ (imò aliâ atque aliâ in eodem templo: quod non semel observavi) videbis facie. Verbo: finguntur imagines ad libitum pictorum & Statuariorum, aut ut fors tulit: Et quò devotius ab artificibus pinguntur, eò etiam devotius boni Catholici eas venerantur:

Cum è contrario boni Patroni, qui jam senescunt aut quibus color decedit, locum in angulo aliquo occupare teneantur araneis obsiti. Imò in non paucis imaginibus non alia quam barbæ aut insignium deprehenditur differentia: si S. Sebastiani imagini demas sagittas, S. Laurentii craticulam, S. Jacobi conchas imbricas, pro quibuslibet aliis Sanctis venditare poteris. Deme Petro claves & facile in Paulum mutabitur. Quin, quod ridiculum, similes sæpe imagines sunt hominibus notis, χθὲς ἢ πρώην natis, quandoque insignitè improbis, quos sic honor & cultus ille continget. Mirum, quòd artifices pontificii, qui tam artificiosè lacrymam Mariæ & halitum Josephi incluserunt, etiam de odontalgia imagini Apolloniæ, & *febri* imagini *Petronellæ* &c. appingenda non cogitaverint! Sic enim facile ab aliarum Patronarum imaginibus distingui potuissent!

XL. Quantopere Deo ἐθελοθρησκεία, quam jam tueri conatur D. JCtus, displiceat, sequentibus Scripturæ dictis haud obscurè liquet. Deut. 12. 8 & 23. *Non facietis secundum omnia, quæ nos hic facimus hodie, quisque sicut rectum videtur in oculis suis. Sed quod ego præcipio tibi, hoc tantum facito, nec addas quicquam, nec minuas ex eo.* Matth. 15. 9. *Frustra me colunt docentes doctrinas*, quæ sunt *mandata hominum.* Videatur & Coloss. 2. 23. Hinc jam ita argumentamur. Omnis ἐθελοθρησκεία ab Ecclesia Dei est eliminanda: Imaginum cultus est ἐθελοθρησκεία. Ergo &c. Major liquet locis cit. quàm evidentissimè. Minor inde patet: quia cultus imaginum institutione promissione & approbatione in Dei verbo destituitur. Quod non diffitetur D. J. dum ad fovendam Iconolatriam, ipse ad ἐθελοθρησκείαν confugit, probans illud Iconolatrarum, Act. VI. *Omne quod in recordationem Dei erigitur, acceptum illi esse constat.* At hoc falsum esse, nisi fiat ex Dei

Dei præcepto, supra testantem audivimus Scripturam. Verum est, locis citatis rejici fabulas & traditiones Judaicas: at rejici judaicas tantum, est falsissimum: quis te docuit distinguere, ubi non distinguit Scriptura? Rejiciuntur in genere omnes doctrinæ, quæ ab hominibus docentur extra *legem* & *testimonium*, ad quæ revocantur omnes fideles & exitium denuntiatur iis, qui juxta illa non fuerint locuti Jes. 8. 20. Rectissime proinde à Pastoribus nostris (quorum quidam si *fratres ignorantiæ* sunt, ut scribis, quid pro nobis? præstat *esse ignorantem*, quàm *idololatram*: quasi interim verò monasteria vestra *fratribus ignorantiæ* non abundent! & diœceses vestræ non scateant Canonicis, quorum scientia se ultra Breviarium & Missæ lectionem non extendit!) hæc loca contra vos urgentur: Dicis *rem indifferentem esse apud Catholicos, Angelum aut Sanctum invocare, aut eorum imagines habere & venerari; ac proinde stultum esse, in hac materia illis multa Scripturæ loca de præcepto agentia objicere, cùm nullum unquam de imaginibus habendis & colendis præceptum Ecclesia dederit* &c. R. Sive vos ab Ecclesia vestra habeatis mandatum invocandi Sanctos, eorumque imaginibus cultum religiosum deferendi, sive non; perinde est: sufficit nobis praxis vestra: cujus cum nullum ex Scriptura vel mandatum vel exemplum possitis demonstrare, estis ἐθελόθρησκοι. 2. Quomodo apud vos est res indifferens, quam, ut supra audivimus, Deus severissime prohibuit. 3. *Faciendas esse imagines Christi & Sanctorum, pertinet*, docente Bellarmino l. 2. de Imag. c. 8. *ad fidem* (cum dicente eodem, *an facienda sint imagines Trinitatis, tam certum non sit*) quî ergo tu asseris, esse rem indifferentem? Quid? Synodus Nicena Act. 7. anathemate percutit

eos, *qui vel tantisper dubitant*, *an imagines sint adorandæ?* quomodo ergò est res indifferens?

XLI. Quæris, *quis præcepit ante Legem Caino, Abeli & Noacho offerre sacrificia Gen. 4. & 8. quis Jacobo, erectum lapidem oleo perfundere & illic votum nuncupare Gen: 28. 18. 22? quis Davidi, coram arca saltare 2. Sam. 6. 15? quis Jonadabo, vitam monasticam colere, domos non exstruere Jer. 35. 6. 7? quis Hannæ, filium suum statui Ecclesiastico consecrare 1. Sam. 1.? quis Jephtæ, primum sibi obvium Deo in holocaustum offerre Jud. 11. 30? quis Paulo, radere suum caput Act. 18. 18? &c. quis Eliæ, ponere faciem suam inter genua 1. Reg. 18. 42?* &c. *quis Johanni Baptistæ in eremo degere Matth 3. 4.* &c. *quis Davidi, nudis pedibus incedere 1. Sam. 15. 30.* &c. R. 1 distingue cultum Dei à circumstantiis cultus & rebus mediis. Varias cultus divini circumstantias & res alias medias observari posse laudabiliter, etiam sine præcepto, non negamus: at vero cultus ipse religiosus; de quo nobis hîc quæstio, non potest esse sine Dei præcepto, ut suprà demonstratum. 2. Exempla, quæ adfers, non sunt unius generis: quædam ad res per se indifferentes (quæ pro ratione circumstantiarum fiunt bonæ & malæ) quædam ad Dei cultum pertinent: quædam prorsus aliena sunt. Præterea ab Elia, Davide, Johanne Baptista, viris Dei extraordinariis, quæ consequentia ad nos D. JCte? annon scis: ipsos præditos fuisse Spiritu Prophetico, vixisse in extraordinaria vocatione, verbumque Dei ad ipsos factum esse extra ordinem? si ergo non habuerunt *mandatum Dei externum*, certè *interno* destituti non fuerunt, φερόμενοι ἀυτοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου 2. Pet. 1. 21. *Confer Paragr. 1. num. 6.* Ad sacrificia Abelis & Noachi quod attinet, ea quoque Dei mandato non destituuntur: cum oblata fuerint per fidem, sicut expresse dicitur Heb. 11. 47. nam

fides

fides est ex auditu verbi Dei Rom. 10. ac proinde opera, quæ fiunt per fidem non fiunt absque Dei mandato. Quid quod ante diluvium occurrit distinctio animalium mundorum & immundorum, haud dubiè à Deo instituta eo potissimum fine, ut sacrificiis inserviat. *Abel,* inquit Athanasius in Decret. Syn. Nic. *quæ ab Adamo perceperat, Deo obtulit; Adamus autem magisterio Dei instructus fuit.* Ubi & disce, unde Cain suum sacrificandi morem hauserit. Jacobi lapidem erectum oleo inungentis eadem, quæ Abelis & Noachi sacrificantium, est ratio. Falsum est, quod vult Bellarminus *l.3. de cult. Sanct. c.5. eum hoc fecisse ex natura instinctu*, quomodo enim id placuisset Deo post naturam corruptam? sed id cum fecerit ex fide, nulla autem sit fides, verbo Dei non præeunte, sequitur, ab ipso id factum esse, præeunte verbo. Ad Hannam quod spectat, consecrabat illa filium suum divino ministerio, quia Deo hoc voverat 1. Sam. 1. 11. convenienter ejus verbo Num. 30. 7. 8. Rasura Pauli & quatuor aliorum cum ipso virorum processit etiam ex facto voto & quidem Nasiræorum, de quo vide Num. 6. 5.18. Verum est *Judaicas ceremonias fuisse jam modo per mortem Christi abrogatas*: attamen earum observatio tanquam res, non quidem necessaria, sed media & indifferens ad tempus aliquod apud Christianos, accommodantes se judæorum infirmitati, tolerata fuit usque ad honorificam Synagogæ sepulturam. Jonadabi & Jephtæ exempla quî huc quadrant? Ubi enim ille (Jonadabus) legitur vitam monasticam egisse? Ubi filiis suis præcepisse abstinentiam vini &c. *religionis causa & ad cultum*? quid ergò ad rem? cessante hac conditione filii, tanquam in re indifferenti, rectè obediebant: quorum obedientia etiam laudatur, non autem consilium Patris. De hujus

(Jephtæ)

(Jephtæ) voto audi Theodoretum *in Judic. quæst. 20.* Ἀνόητος ἄγαν, inquit, ἡ τῦ Ἰεφθάε ὑπόσχεσις, *stolida nimium erat Jephte pollicitatio.*

XLII. Pergis, ubi legunt Reformati, *imaginum cultores & scandalosos à S. cœna esse abstrahendos?* ℞. Legunt hoc Matth. 7. 6. *Ne date, quod sanctum est canibus, nec projicite margaritas vestras coram porcis* &c. Legunt 1. Cor. 5. 11. *Nunc autem scripsi vobis, ne commisceamini,* id est, *si quis cum frater nominetur, sit scortator, aut alieni avidus, aut idololatra, aut convitiator, aut ebriosus, aut rapax: cum ejusmodi* inquam, *ne edatis quidem.* Legunt 2. Thess. 3. 6. 14. 15. &c. Dicis, *Christum hunc modum non servâsse:* ℞. 1. quid tum? non habebat inter communicantes suos ejusmodi scandalosos & imaginum cultores seu idololatras. 2. Observari tamen voluit à discipulis suis, ut patet locis citatis. Ad ea, quæ addis de observatione præceptorum, responsum vide Cap. IX.

XLIII. De templis eorumque ornatu, quæ multis verborum ambagibus cumulas, ad quid? Conveniens esse, imò necessarium, ut fideles in loco, quantum fieri potest, commodo ad cultum divinum peragendum, conveniant; haud diffitemur: sed ut locus ille præcisè sit templum, qualia hodie reperiuntur, non est de necessitate: Posset cultus divinus peragi sub dio, posset in privatis ædibus, si ita ferret occasio: nihil nobis hîc præscriptum in Dei verbo: Etiam apud Christianos nec tempore Apostolorum templa fuerunt in usu (ut liquet ex Act. 1. 13. & 2. 46. & 12. 12. & 20. 7. 8.) nec etiam per aliquot secula post eorum tempora: Unde Cælius *apud Arnobium lib. 8. adv. gentes* de illis dicebat; *Cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota simulacra?* A Constantini temporibus demum templa splendidè ædificari apud

apud illos cœperunt, ut videre est *apud Eusebium H. E. lib. 8. c. 1. & 10. c. 2.* Quæ nos & hodie, tanquam rem indifferentem, faciles admittimus, improbantes tantum papalem circa ea superstitionem & abusum. *Consecrabantur* olim, teste Eusebio *in Orat. de laud. Constant. uni omnium Deo & universali rerum Domino.* Addit, *unde etiam Domini nomen obtinuerunt*, ita ut dicantur κυριακαὶ *Dominica.* At ubi hodie apud vos templa, quæ Dei nomine vocentur? vix ullum invenias, quod non Sancti alicujus nomen gerat. *Sacræ domus*, inquit Bellarminus lib. 3. c. 4. *non solum Deo, sed etiam Sanctis rectè ædificantur.* En quàm bellè Bellarminus! dixerat paulo antè, *Ecclesias Christianorum ad sacrificia offerenda institutas esse, & ideo verè & propriè templa appellari posse.* Sacrificia autem inferunt cultum latriæ: ergo, dum Papicolæ Sanctis ædificant templa, exhibent iis cultum latriæ: quæ utique manifesta est idololatria. Sed audi, quàm bellè se expediat. *Esset*, inquit, *idololatria erigere eis templa sub ratione templi, non autem est, sub ratione Basilicæ.* Distinctio vanissima, in sana antiquitate nusquam obvia: nusquam illa talem inter templum & Basilicam differentiam agnoscit, sed passim his vocibus συνωνύμως utitur. Audiant Papicolæ Augustinum. *Nonne*, inquit ille l. 1. contr. Maxim. *si templum alicui sancto Angelo excellentissimo de lignis & lapidibus faceremus, anathematisaremur à veritate Christi & ab Ecclesia Dei, quoniam creaturæ exhiberemus eam servitutem, quæ uni tantum deberetur Deo?*

XLIV. Ornatum templorum etiam non improbamus, modò non sit superstitiosus & idololatricus, qualis in vestris obtinet, vel aliàs modum excedat. Argumenti, quod instituis à palatiis Regum, si procedat consequentia, imagines Christi & Sanctorum non dun-

taxat, ſed & ipſa altaria vobis è templis veſtris ſunt eliminanda, utpote quæ in palatiis non obtinent: Palatia Regum ſplendidiſſimè ornantur 1. ex Regum mandato: at ubi Deus juſſit ſibi exſtrui & ornari templum in N. Teſtamento? 2. ob Regum in illis præſentiam & habitationem: at Deus non eſt magis in templo manufacto, à cœtu fidelium ſeparato, quam alibi, poſt templum legale ſublatum vide Joh. 4. 21. 23. Præterea aut eſt de neceſſitate, ut templa paſſim quàm ſplendidiſſimè exornentur, aut non eſt: ſi *poſterius*: quare ergo hoc nomine nobis moleſtus es: Si *prius*: cur vos ipſimet id non paſſim præſtatis? quot enim apud vos non obvia templa, non duntaxat in pagis, ſed etiam in Urbibus, mihi bene nota, quorum ornatus admodum friget, araneis paſſim invaleſcentibus & ne quidem imaginum oculis, quamvis ſemper apertis, parcentibus. Dicis, *eſſe ſaltem æquum*. ℞. 1. Si intelligis de ornatu imaginum & altarium, dicimus, eſſe iniquum & contra Dei verbum: ſi de Ornatu nitoris, non repugnamus: inſervit enim Fidelium in templis convenientium commoditati, ut ea, quantum poteſt, nitida teneantur. Approbamus cum Ambroſio decorem, non luxum. *Quicquid* inquit ille *2. Offic. lib. 2. c. 21. ex affectu puro ac ſincero promitur, hoc eſt decorum, non ſuperfluas ædificationes aggredi, nec prætermittere neceſſarias:* Quod deinceps ad Eccleſiarum ornatum refert, dicens; *Et maximè ſacerdoti hoc convenit, ornare Dei templum decore congruo, ut etiam hoc cultu aula Domini reſplendeat, impenſas miſericordiæ frequentare, quantum oporteat, largiri peregrinis, non ſuperflua, ſed competentia.* 2. Si *æquum eſt*, ædificare & exornare templa lignea & lapidea; *magis tamen æquum*, ædificare & exornare Eccleſiam ſeu fideles, quæ ſunt templum Dei vivũ 1. Cor. 3. 16. Si in his templis

plis, ædificandis & veritate Evangelica magis magisque exornandis, Monachi & Jesuitæ tam occuparentur, quàm illos occupatos videmus in ædificandis & immodico luxu exornandis templis lapideis, laude utique hoc nomine digni essent: at quid faciunt Domini isti? lapidea *imaginibus mutis* exornant, & viva *secundum imaginem Dei* creata negligunt. Expendant quæso, quod scribit Chrysostomus lib. 2. Epist. 246. *Illud ex me discat, quòd Apostolorum tempore, cum Ecclesia & spiritualibus gratiis abundaret & vitæ splendore afflueret, nulla templa erant: at nostra tempestate templa, plus quam par sit, exornata sunt: Ecclesia autem, ne quid gravius dicam,* κωμωδεῖται, *comicis cavillis incessitur. Ego verò si mihi optio daretur, temporibus illis fuisse mallem, in quibus templa quidem non perinde ornata erant: Ecclesia autem divinis ac cœlestibus gratiis undique cincta & redimita erat, quàm his nostris, in quibus templa quidem omnis generis marmoribus cohonestata sunt; Ecclesia autem spiritualibus illis gratiis nuda & vacua est.* (3) Si *æquum est* exornare templa lapidea, *magis tamen æquum* subvenire egestati pauperum, templorum vivorum: Si Monachi & Jesuitæ superfluos illos sumptus, quos templis exornandis impendunt, impenderent in pauperum subsidium, rem Deo longè gratiorem facerent. Audiant Hieronymum, *Alii*, inquit ille ad Demetriad. Ep. 8. c. 7. *ædificent Ecclesias, vestiant parietes marmorum crustis, columnarum moles advehant, earumque decorent capita, pretiosum ornatum non sentientia, ebore argentoque valvas & gemmis aurata distinguant altaria* &c. *sed tibi aliud propositum sit, Christum vestire in pauperibus* &c.

XLV. Verum est, templum Salomonis fuisse admodum splendidum & magnificum: at 1. tale erat ex præscripto ipsius Dei 1. Chron. 22. 5. ut nimirum ornatus

ille splendidissimus summam Christi venturi dignitatem, Ecclesiæque Christianæ præstantiam adumbraret. 2. Quid inde pro te? *Æquum est*, inquis, *ut illud in ædificandis & exornandis templis nostris solicite imitemur*. Miseret me tui D. JCte! nuper delapsus es ad Papismũ jam parum abest quin delabaris ad Judaismũ, Messiamq; adhuc exspectes: Si ornamenta templi judaici sunt introducenda, Ergò Christus adhuc exspectandus: nam illa respiciebant Christum venturum. Audi Hieronymum. *Neque verò*, ait is ad Nepotian. c. 12. *aliquis mihi opponat dives in Judæa templũ, mensam, lucernas &c. Tunc hæc probabantur à Domino, quando Sacerdotes hostias immolabant &c. Nunc verò, cum paupertatem dom⁹ suæ pauper Dominus dedicarit, cogitemus crucẽ ejus & divitias lutum putabimus &c. Alioqui si tantum literam sequimur, & in auro atq; divitiis simplex delectet historia, cum auro observem⁹ & cætera*. Optime! si ornamenta templi sunt solicite imitanda & observanda, quare non & cætera Judæorum ceremonialia? Addis, *Templum Salomonis fuisse figuram templorum nostrorum:* At ubi hoc didicisti D. JCte? in Schola Jesuitarum; non certe in Schola S. Scripturæ: illa enim omnem tabernaculi, adeoque etiam templi, utpote ad formam ejus compositi, figuram unicè ad Christum refert Heb. 9. Et quæso D. JCte, ubi Christus templa in N. T. fieri curavit? Si proinde Templum ejusque ornamenta figurârunt nostra templa, sequitur, eum veteris legis typos non implevisse. En quò delabaris à veritate Religionis Reformatæ delapsus!

XLVI. Addis, *Reformatorum templa non nisi mensa cum imposito illi nigro panno ad administrandum sacramenta, suggestu, parietibus & scamnis intus ornata esse*. ℞. Veritatem loqueris D. JCte: non ergo contradico: at quid tum?

tum? num male? demonſtra: an bene? cur carpis? *At ubi, ſcriptum*, inquis, *domum Dei ſuggeſtu, ſcamnis, panno nigro* &c. *exornandam & obvelata pileo facie in ea precandum eſſe?* ridicula ſane! tune tamdiu verſatus inter Reformatos & neſcis, hæc illis indifferentia eſſe? Si autem indifferentia, quî ergo præceptum à nobis requiris? præſtat interim inſidendo ſcamno audire Dei verbum, quàm genua flectendo adorare imagines! præſtat operta pileo facie (operimus autem, ne per externa objecta à devotione abſtrahamur) invocare Deum, quàm apertâ invocare Sanctos! præſtat è ſuggeſtibus percipere Dei verbum (en ornamentum ornamentorum!) quàm ex altaribus capi traditionibus hominum!

XLVII. Magna cum devotione & reverentiâ Sacramentum S. cœnæ tractandum eſſe omnes fatemur: num interim flexo poplite, an verò ſtante pede accipiendum ſit, cùm in verbo Dei definitum non inveniatur, relinquitur libertati Eccleſiæ. Genuflexionem, modò abſit ſuperſtitio, non improbamus. Ad dies & tempora, judaico more alligati non ſunt Chriſtiani, ſed ſuâ hîc gaudent libertate Gal. 4. 10. Verum eſt, Chriſtum celebrâſſe S. Cœnam ἐν τῇ νυκτὶ ᾗ παρεδίδοτο: at inde non ſequitur, nobis quoque nocte celebrandam eſſe, quia id factum eſt ex accidenti, quòd paſcha citiùs, lege obſtante, non potuerit manducare, & diutius, proditione ejus imminente, S. cœnæ inſtitutionem non differre. Hæc & his ſimilia inter adiaphora ponenda cenſemus, adeoque fruſtra D. JCtus quærit, *ubi ſcriptum, S. cœnam tempore diurno & non nocturno celebrandam* eſſe? quære ex Apoſtolis, quære ex diſcipulis Chriſti, qui nullâ habita ratione temporis, licet illos non lateret, Chriſtum nocte inſtituiſſe, S. cœnam adminiſtrârunt, Act. 2. 46. 20. 7. 1. Cor. 10. & 11. De lotione pedum ſatis ſupra reſponſum.

XLVIII. Quod *nos S. Patrum auctoritatem pedibus calcemus & doctrinam eorum torqueamus pro nostro lubitu*, Jesuitica est veritas: S. Patres à nobis magni fiunt; imò longè pluris quàm à vobis, etsi (ad conciliandum erroribus vestris ab antiquitate splendorem) patres semper crepetis: Credimus interim illis non *propter se*, quemadmodum Scripturæ, sed *propter consensum cum Scripturâ*: Cum hac si consentiunt, admittimus; Ab hac si quandoque abeunt, bona cum ipsorum veniâ, ab ipsis abimus. Hæc nobis lex ab ipsismet Patribus præfixa. *Ne mihi*, inquit Cyrillus Hierosl. Catech. 4. *ea tibi proferenti NB. simpliciter fidem adhibeas, nisi de divinis Scripturis eorum, quæ dicam, demonstrationem accipias. Nam fidei nostræ salus & conservatio non orationis facundiâ nititur, sed Scripturarum divinarum comprobatione.* Audi & Augustinum. *Ego*, inquit ille Epist. 19. ad Hieron. *fateor charitati tuæ solis iis Scripturarum libris, qui jam canonici appellantur, didici hunc honorem timoremque deferre, ut nullum eorum autorum scribendo aliquid errâsse, firmissimè credam. Ac si aliquid in eis offendero literis, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud, quàm vel mendacem esse codicem, vel interpretem non assecutum esse, quod dictum est, vel minimè intellexisse non ambigam. Alios autem ita lego, ut NB. quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ità senserunt, sed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione, quòd à vero non abhorreant, persuadere potuerunt. Nec te, mi frater, aliquid aliter sentire existimo; prorsus, inquam, non arbitror sic legi tuos libros velle, tanquam Prophetarum vel Apostolorum, de quorum Scriptis, quod omni errore careant, dubitare nefarium est.* En Patres, praxin nostram circa Patrum Scripta approbantes, Papicolarum verò, qui doctrinam Patrum S. Literis adæquare

non

non erubescunt (quorum numerum auget ineptus decreti Glossator, *Gloss. in Canon. Noli meis dist. 9.* scribens, *hodie omnia Augustini & aliorum sanctorum Patrum scripta tenenda usque ad ultimum jota & ad unguem usque esse observanda*) temeritatem maximè improbantes! Eadem, quæ nostra, de S. Patribus mens est, ex Pontificiis, Thomæ, cùm *1. part. q. 1. art. 8. ad 2.* ità ait; *Sacra doctrina utitur autoritatibus canonicæ Scripturæ propriè ex necessitate argumentando: auctoritatibus vero aliorum Doctorum Ecclesiæ, quasi argumentando ex propriis, sed probabiliter. Innuitur enim fides nostra revelationi Prophetis & Apostolis factæ, qui canonicos libros scripserunt, non autem revelationi, si qua fuit aliis Doctoribus facta.* Tuus ubi igitur candor D. JCte, dum scribis, *nos Patrum auctoritatem pedibus calcare?*

XLIX. Verum est, magnam esse apud vos de Patribus jactantiam: at quàm vana sit & inanis, præter alios & à me *in meo Anti-Cornio* (*id est, libro* Jesuita *Corn oppositο*) *part. 3. est* demonstratum. Audiamus jam quædam tantum ex solo Bellarmino: scribit is *lib. 3. de verb. Dei c. 10.* disertè *quosdam ex præcipuis Patrum in quibusdam non leviter lapsos esse.* Alibi (*de Purg. lib. 2. c. 18.*) dum urgetur testimonio Prudentii; *nihil aliud dico*, ait, *nisi more poëticò lusisse Prudentium.* Lactantii dum ipsi opponitur auctoritas, scribit *lib 1. de Sanct. beat. c. 5. eum in plurimos errores esse lapsum, præsertim circa futurum seculum; cum esset magis librorum Ciceronis, quàm S. Scripturarum peritus.* Tertulliani verbis si premitur, respondet *lib. cit. eum fuisse hæresiarcham*; Addit ibid. *Victorinum fuisse quidem martyrem, sed ei defuisse eruditionem, licet eruditionis voluntas non defuerit.* Alibi (*lib. 1. de Sanct. Beatit. c. 4.*) de Euthymio dicit, *eum non esse in hac re* (nim. de Sanct. beat.) *usq; adeò magni faciendum.* Tertullianus, Procopius, Eu-

cherius,

cherius, Isidorus & alii, cùm ipsi in sententia de limbo Patrum opponuntur, respondet *lib. 2. de Purg. c. 6. omnes aut esse incertos aut obscuros.* En Papisticam erga S. Patres reverentiam! In eodem lib. c. 8. Origenes ex, nescio, qua revelatione, cum Ario & Nestorio æterno igni ab ipso adjudicatur. En charitatem Jesuiticam! Ex his jam, tanquam ex fimbriâ judicium feratur de texturâ totâ.

L. Dicis, *Catholicos* (Pontificios) *S. Patrum doctrinam in omnibus amplecti & sequi.* Quàm verum hoc sit, patet ex dictis; liquet etiam ex his Cardinalis Baronii verbis Tom. 1. an. 34. sect. 213. *Sanctissimos Patres, quos Doctores Ecclesiæ ob sublimem eorum eruditionem meritò nominamus, quantumlibet ea Sp. Sancti gratia imbutos esse liqueat, in interpretatione Scripturarum non semper, nec NB. in omnibus sequitur Ecclesia Catholica.* En quàm verax sis in verbis tuis! Audi interim & Jesuitam vestrum Tannerum: *An fortasse* inquit ille Hypothes. de Patr. 17. Thes. 83. *S. Patres jam demortui, Patrumque monumenta, judices erunt? neque hoc: tum quia non minus aliquando de Patrum, quam de Scripturæ Sententiâ propter ambiguitatem & obscuritatem dubitari potest; tum quia singuli Patres fallere possunt, omnia monumenta vel non extant vel dubiæ fidei esse possunt; tum quia novæ semper oriri possunt controversiæ in antiquorum Patrum monumentis, vix aut ne vix quidem agitatæ.* Num dices, vos in omnibus sequi Patres, in quibus consentiant? æque frustra: nam 1. *Docent*, teste ex vestris Melchiore Cano de loc. Theol. lib. 7. cap. 1. num. 3. *omnes patres, qui in ejus rei mentionem inciderunt, & uno ore asseverant, B. V. Mariam in peccato Originali esse conceptam*: Ubi verò hanc ipsorum communem doctrinam sequimini? Nonne vobis, qui idem docent cum S. Patribus, hodie hæretici sunt?

sunt? (2) Omnes Patres unanimi consensu (excepto Augustino) docent, quatuor esse primæ tabulæ Decalogicæ & secundæ sex præcepta: quis autem vestrûm illos sequitur? vos mavultis unum Augustinum sequi (qui tamen vobis non favet; nam ille tria in primâ tabulâ numeravit præcepta, conjunctis duobus primis propter mysterium SS. Trinitatis: vos autem tria nominatis, expuncto secundo, ad fovendum cultum imaginum. *Vide Dissertat. meam de Divis. Decal. thes. 9.*) quàm Patrum omnium aliorum consensum. (3) Constans totius antiquitatis consensus est, sub utraque specie communicandum esse: Audi angelicum Doctorem vestrum Thomam: *Secundum Ecclesiæ antiquæ consuetudinem*, inquit in c. 6. Joh. *sicut omnes communicabant corpori, ita & communicabant sanguini.* Audi & Tapperum vestrum. *Apostolus*, ait is, *testatur, Corinthios sub utraque specie communicâsse: Et longissimâ consuetudine hunc morem in Ecclesiis Apostolicis fuisse observatum in Africa, Asia & Roma, testantur Dionys. Areop. Tertullianus, Cyprianus, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus tom. 2. art. 13.* Item, *Ostendimus hanc consuetudinem obtinuisse non solum in Ecclesiis Africanis Orientalibus & Græcis, verum etiam in Eccl. Romana. Olim per multa secula*, inquit Alphonsus à Castro hæres. ult. de Euch. *sic apud omnes Catholicos usitatum esse* (cœnam scil. sub utraque specie præbere) *ex multorum Sanctorum Scripturis didicimus.* His adde Cassandrum vestrum, qui lib. de Commun. ait. *Non puto demonstrari posse totis mille amplius annis in ulla Catholicæ Ecclesiæ parte sacro-sanctum hoc Eucharistiæ Sacramentum aliter in S. Synaxi è mensa Dominica fideli populo, quàm sub utroque panis vinique symbolo administratum fuisse.* Item, *Cur non in illum ritum potius convenimus, quem Christus instituit, Apostolus tradidit, Ecclesia universa tot se-*

 culis

culis tenuit, Orientalis verò universa, atque imprimis insignis illa Æthiopica Ecclesia in hunc usque diem retinet? Ubi hodie Ecclesia vestra hos Patres & consentientem antiquitatem sequitur? (4) Statuunt omnes Patres, teste vestro Christophoro à Capite Fontium Tract. 4. *Christum prius consecrâsse, quàm ista verba, hoc est enim corpus meum, diceret:* At vos hodie statuitis, per hæc sola verba fieri consecrationem. En ergò quàm accuratè S. Patrum vestigia prematis!

LI. Novi hîc D. Jesuitarum effugium: prætendunt, *Patrum auctoritatem admittendam esse, quatenus approbetur ab Ecclesia; Patres in rebus fidei judicio Papæ opera sua submisisse:* At hoc 1. ridiculum 2. falsissimum. Clamant, ut notum est, Domini isti (cùm hoc vel illo Scripturæ dicto à nostratibus urgentur) ad ravim usque *Patres, Patres* (idque admodum prudenter in rem suam: sic enim 1. populo persuadent, quasi nostra Scripturæ Expositio sit planè nova, sanæque antiquitati ignota 2. fucosas merces suas ei sub antiquitatis paucissimis accessibilis mangonio facilius vendunt) & tamen cùm ad rem ventum est, *Patres omnes* ficto *Patrum Patri* submittunt, ut nihil in *veris Patribus* fide dignum sit, quod non *à Patre ficto* sit approbatum: quis hoc non rideat? At interim, cum ad Pedes Papæ jaceat ipsa S. Scriptura, ut *possit dispensare contra Apostolum & V. Testamentum*, ut habet Glossa *Canon, Lector. Dist. 34.* & *Ecclesia* (i.e. Papa) *sit majoris auctoritatis quàm Evangelium*, ut blasphemat Gabr. *Biel Lect. 22. in C. Miss.* quis miretur, quòd ejus etiam pedibus subjiciantur S. Patres! Cur hodie à Papicolis integra Concilia, ut Francofurtense, Constantiense, Basileense & alia rejiciuntur? Ratio est, quia Papa non approbavit (cur autem ipsi non placuit approbare? quia illud cultum imagi-

num,

num in Niceno approbatum damnavit: hæc autem decreverunt, *Concilium esse supra Papam)* ex Papæ ergo auctoritate dependent omnia; imò *omnium salus ex ejus unius auctoritate pendet*, *ut loquitur* Andradius *lib. 1. de defens. fid. Trid.* Vivis rem, ut in se est, depingit coloribus Cornelius Mussus, Episcopus Biton. *A quo*, inquiens in Ep. ad Rom. c. 14. p. 606. *quærenda sunt divina consilia, nisi ab illis, quibus mysteriorum Dei dispensatio credita est? Quem ergo NB. pro Deo habemus in his quæ Dei sunt, quicquid ipse dixerit, tanquam Deum audire debemus. Ego (ut ingenuè fatear)* NB. *plus uni summo Pontifici crederem in his, quæ fidei mysteria tangunt, quàm NB. mille Augustinis, Hieronymis, Gregoriis, ne dicam, Richardis, Scotis, Gulielmis. Credo enim & scio, quod summus Pontifex in his, quæ fidei sunt, errare non potest, quoniam autoritas determinandi, quæ ad fidem spectant, in Pontifice residet.* En Papalem in Patres reverentiam! Verbo: Subdolus est omnis vester erga Patres & patrum Concilia honos; id quod ex nostratibus peculiari libro evidentissiè demonstravit Jacob. Laurentius: Et expertus id ipsum fatetur Archiepiscopus vester, Christoph. de Capite Fontium, quando Tract. 7. refert, quid sibi acciderit in disputationibus cum iis, qui cum hodiernis Papicolis statuunt verbis istis, *hoc est enim corpus meum*, fieri consecrationem. *Allegant*, inquit, *Ambrosium & ex allegato testimonio partem rejiciunt. Allego & ego illum, idem quod ego docentem; tum dicunt, NB. non habendam illi fidem. Nonne hoc est, non suas opiniones ad Sanctorum doctrinam corrigere, Sed Sanctorum sententias ad normam suæ opinionis emendare?* Hæc hodie adhuc tui ipsiusmet Papæ mens est Ô Archiepiscope! hæc ejus mancipiorum ordinara hodie praxis! Autoritas patrum juxta ipsos nulla est., nisi à Papa approbetur, ad ejus arbitrii normam o-

omnes Patrum sententias revocant: imò etiam eorum scripta mutilant & varia expungunt, ut *Indices Expurgatorii* plus satis testantur. *At*, inquiunt, *S. Patres ipsi submiserunt opera sua Judicio Ecclesiæ*, id est, Papæ: Ubi vero hoc & quando? probate & credemus. A nemine illorum judicium supremum omnium controversiarum in Papæ decisione constitutum: à nemine vel ille solus vel tota Ecclesia in universali Concilio coacta, norma fidei agnita: vestrum hoc figmentum est. Ad S. Scripturam unicè provocarunt, huic nisi conformia essent dicta sua, noluerunt eis adhiberi fidem. Audi Ambrosium. *Nolo*, inquit ille de Incarn. Dom. sacram. c. 3. *nobis credatur*, *Scriptura recitetur: non ego dico à me, in principio erat verbum, sed audio; non effingo, sed lego.* Audi & Cyrillum Hierosol. *Ne meis*, ait is, Catech. 12. εὑρεσιλογίαις *attende; posses enim forte decipi: sed nisi de singulis Prophetarum testimonia acceperis, ne credas dictis.* En! non dicit, *ne credas dictis, nisi ab Episcopo Romano, vel ab Eccl. Romana fuerint approbata*, ut ipsi juxta vos dicendum fuisset, sed *nisi de singulis Prophetarum testimonia acceperis.*

LII. Quæ jam multis verborum ambagibus cumulas (vocans nos *Bibilistas*, quasi verò non magis honorificum esset, *vocari Biblistam, quàm Papistam!*) de lotione pedum, unctione ægrotorum, baptismo hæreticorum, ornatu sepulchrorum, cruce, sudariis & umbra Apostolorum & aliis, sunt crambe bis, si non ter, cocta: responsum ad ea, quantum satis, supra. Quod addis, *Davidis reliquias adeò honoratas fuisse, ut etiam sepulchrum ejus adhuc tempore Apostolorum repertum fuerit Act. 2. 29. Satanam è contrario adeò sævisse in corpus Mosis, ut etiam Archangelus Michaël de eo cum ipso disceptaverit Jud. ℣. 9.* &c. quid quæso ad rem? quis enim Reformatorum unquam negavit

gavit, veras verè Sanctorum reliquias esse honorandas? sed quæstio est *de specie honoris: quæritur, an Sanctorum corpora & reliquiæ religioso cultu sint venerandæ?* Hoc vos, ut supra audivimus, affirmatis, sed nos negamus. Tu jam affirmativam proba, & eris nobis magnus Apollo: Mane autem domi cum exemplis supra adductis: alias causæ tuæ pessimè consules: Honoratum fuisse corpus Davidis, verum est: ast quomodo? num forte reliquiæ ejus circumgestatæ, ostentatæ, adoratæ, ut apud vos usitatum? nihil horum: quid ergo? corpus ejus honestè fuit sepultum, ut ipse fateris: quid ergo contra nos? num ergo corpora Sanctorum abjicienda & ludibrio habenda cum eorum reliquiis censemus? *Satanam corpus Mosis sæviter persecutum esse*, loc. cit. non legitur: quod etiam si legeretur, num nobis applicandum D. JCte? num nos corpora Sanctorum ignominiâ afficimus, ut Davidem de hostibus sui temporis querentem introducis ex Psal. 78? ubi quæso conscientia tua? Non alia fuit causa jurgii inter Michaëlem & Satanam, quàm quod Satan cadaver Mosis vellet promi & adorari, quemadmodum adhuc hodie apud vos fit; Michaël verò vellet premi & ignorari. Audi tuum Jesuitam Salmeronem; *Si de vero Moysis corpore*, inquit is Comm. in hanc Ep. p. 342. *fuit alteratio cum angelo; intellige Michaelem ejus corpus sustulisse, ne populus Israel ad idololatriam proclivis illud coleret. Diabolus autem laborabat, ut in terra remaneret, quò posset illud inventum adorationi exponere: unde c. ult. Deut. habetur: Et non cognovit homo sepulchrum ejus usque in præsentem diem, quod certè hanc altercationem insinuare videtur.* Perpende jam quæso D. Jureconsulte, utri corpora & reliquias Sanctorum magis honorent? Num nos, an verò vos? Nos circa ea facimus, quod Scriptura jubet, imò

ipſe Deus fecit circa corpus Moſis, id eſt, honeſtè ſepelimus: *Deus ipſe*, inquit Bellarminus lib. 2. de Eccl. Triumph. c. 3. *honoravit corpus Moſis, dum illud proprius manibus ſepelivit.* At vos, (quod, fatente Salmerone, Satanas circa corpus Moſis fieri volebat) *laboratis, ut in terrâ remaneant, quò adorationi exponantur.* Eſt ne hoc honorare Sanctorum reliquias? Sed unum adhuc eſt, de quo, antequam ad alia deſcendam, à te erudiri velim D. JCte: Nimirum an, cum Eccleſia veſtra adoret reliquias Sanctorum verſas in cinerem, an, inquam, ſi reliquiæ (ut non raró fit) pariter vertantur in vermes, hi vermes perinde ac cineres ſint adorandi? Negativam tuetur Henricus veſter *Quodlibet. decimo quæſt. 6.* autumans, hominis Chriſtiani non eſſe rem tam fœdam adorare: At bonus iſte Henricus hoc nomine non parùm exagitatur à Jeſuita Vaſquez. Diſp. 13. cap. 8. dicente; *Henrici ſententiam futilem eſſe & inanem: parum enim referre hoc an illo modo fiat corruptio &c. Ergo tam ſub hac forma (vermium) quàm ſub illa cinerum partes & reliquias Sanctorum adorare poſſumus.* Tua & cæterorum Papicolarum ſi eadem, quæ hujus Jeſuitæ, ſit ſententia; augetis numerum veſtrarum reliquiarum: ſic enim non tantum habetis *Sanctos Cineres*, ſed etiam *Sanctos Vermes*. Mirum, quod cineres murium, qui devocarunt hoſtiam conſecratam, non expreſſiùs jubeantur adorari. *Si hoſtia conſecrata*, inquit Miſſale de Ritib. celebr. Miſſ. pag. 23. *diſpareat vel caſu aliquo, ut vento, aut miraculo, vel à mure accepta, vel alio animali & nequeat reperiri: tunc altera conſecretur & illud animal, ſi capi poteſt, occidatur & comburatur & cineres ejiciantur in ſacrarium vel ſub altari.* Nec minus mirum, quòd *in Miſſalibus* non fuerit ſancitus canon de ventriculis ſacerdotum demortuorum, qui utique ex doctrina Eccl. Roma-

manæ fuerunt quotidianum corporis Christi domicilium, adorandis ?

LIII. Miracula frustra à nobis exigis: nam 1. vel ipso teste Bellarmino lib. 4. de Eccl. c. 14. *miracula* demum *necessaria sunt ad novam fidem*: at nos *novam fidem* non prædicamus, sed ad veterem, quæ Christi & Apostolorum miraculis est confirmata, revocamus: Vos proinde dum adhuc hodie crepatis miracula, eo ipso ostenditis vestram doctrinam esse novam, non veterem Christi & Apostolorum. (2) Donum miraculorum hodie in Ecclesia cessavit, uti hoc supra *Parogr. IV. num. 1. & seq.* evidentissime demonstravimus. Incassum opponis verba Christi Joh. 14 12. *Amen, amen, dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & majora istis faciet*, nam non loquitur de omnibus omnium temporum credentibus, cum non omnes credentes, ut constat, dono miraculorum sint instructi, sed de Apostolis, aliisque ministris suis, quorum ministerio regnum Satanæ destructurus, suamque Ecclesiam inter gentes erecturus erat. Majora isti faciebant opera quàm Christus, *quatenus Evangelio, quod Christus in Judæa tantum prædicaverat, per universum orbem dessеminato gentes mirabiliter convertebant &, destructo regno Satanæ, ad regnum Christi adducebant*. Audi Augustinum. *Cur, inquient* (inquit ille lib. 22. de C. D. c. 8.) *nunc illa miracula, quæ prædicatis facta esse, non fiunt? Possem quidem dicere, necessaria fuisse prius, quàm crederet mundus, ad hoc ut crederet mundus. Quisquis adhuc NB. prodigium, ut credat, inquirit, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente, non credit.* Nota hoc D. JCte; vos ergo, dum prodigia & miracula hodie requiritis, judice Augustino, prodigium estis. Audi interim & Chrysostomum. *Nonne & nunc quoque* ait is homil.

23. in

23. in Joh. *signorum petitio, tentantium est? sunt sanè* NB. *& hac nostra ætate qui quærant, quare & nunc signa non fiunt? Si fidelis es, ut oportet, si Christum diligis, ut diligendus est, non indiges signis, signa enim incredulis dantur.* Quæres, *quando ergo dona miraculorum in Ecclesia vigere desierunt?* ℞. Post religionem Christianam propagatam & Gentilismum ac Judaismum satis triumphatum: Audi eundem Chrysostomum. *Nunc*, inquit *homil. 49. in Matth. signorum operatio omnino levata est: magis autem apud eos invenitur, qui falsi sunt Christiani, fieri ficta.* Et in cap. 17. *Adest fides justificans; sed ea, quæ miraculorum dicitur, jam desiit.* Audi & Augustinum. *Cùm enim Ecclesia Catholica*, ait de Ver. Rel. c. 25. *per totum orbem diffusa atque fundata sit, nec miracula illa in nostra tempora durare permissa sint: ne anima semper visibilia quæreret & eorum consuetudine frigesceret genus humanum, quorum novitate flagravit.* (3) S. Scriptura nulla alia novissimis temporibus miracula prædixit, quàm quę erunt comparata ad imposturam *Vide 2. Thess. 2. 9. Apoc. 13. 13. Exsurgent*, inquit ipse Christus Matth. 24. 24. *Pseudochristi & Pseudoprophetæ & edent signa magna & prodigia, ita ut seducant (si fieri possit) etiam electos.* (4) Miracula Papicolarum sunt τέρατα ψεύδους. Probo: (α) Quia ad erroris & mendacii confirmationem adhibentur. Audi, quàm eximium miraculum (quod & ego à Monachis vestris commendari audivi) ad confirmandam fictam Transsubstantiationem vestram, Bellarminus referat. *Disputante*, inquit lib. 3. de Euch. c. 8. *S. Antonio* de Padua *de veritate corporis Domini in Eucharistia cum hæretico quodam in partibus Tolosanis, petiit hæreticus ab Antonio, quem noverat dono miraculorum præditum esse, ejusmodi signum: Habeo, inquit, jumentum, cui per integrum triduum cibum non dabo. Exacto triduo adsis tu cum Sacramento, ego adero cum jumento,*

atque

atque ante illud hordeum effundam; si jumentum hordeo derelicto ad Sacramenti venerationem accesserit, credam. Factum est, ut ille voluit, & triduo exacto, S. Antonius, turbis fidelium comitatus & venerabile Sacramentum manu tenens, sic ad jumentum locutus est: In virtute & nomine Creatoris tui, quem in manibus, licet indignus, veraciter teneo, tibi dico animal & pracipio, ut confestim venias humiliter modo tuo & ei reverentiam exhibeas: ut ex hoc cognoscat hæretica pravitas, quòd omnis creatura suo subditur creatori, quem sacerdotalis dignitas jugiter tractat in altari. His verbis prolatis, jumentum (asinum fuisse, mihi Monachi retulerunt) *hordei ante se effusi & famis oblitum ad Sanctum accurrit, & capite inclinato ac genibus curvatis, eo modo quo potuit, Dominum adoravit & hæreticum confutavit.* En miraculum, quo etiam bestiis suus adorandi modus datur! Ejusdem commatis miracula, ad confirmanda alia erronea Papicolarum dogmata, V.G. *purgatorium, confessionem auricularem, invocationem Sanctorum, cultum imaginum* &c. quot ac quanta non ficta à Monachis & Jesuitis? Adeat tantum B. Lector Catechismum Historialem Jesuitæ Dauroutii Tom. II. & licet vel alter Heraclitus, sine cachinno non redibit. (*ß*) quia maxima ex parte sunt illusiones & vel malorum spirituum vel impiorum hominum præstigiæ, ad quæstum adornatæ: Incurvant se (quod ipse vidi) quandoque vestræ imagines & extendunt brachia, sed ope trochleæ: loquuntur, sed monachi post altare latentis voce: lachrymantur, sed lachrymis sarmentorum. *Ego* inquit Polyd. Vergilius lib. 3. *vidi simulacrum Deiparæ, ejusmodi lamentatione insigne; quippe quod cujusdam monachi pecuniam ità corradentis artificio, in annos singulos, mense Martio lachrymabat, palmite vitis à tergo in foramen, quod ad imaginis oculos pertinebat, inserto: sed dolo comperto, scelus auctori*

SS   *fraudi*

fraudi fuit. Quid? annon & Gentilium imagines & statuæ esse locutæ, interrogatæ respondisse, sese inclinâsse, capita, brachia & pedes motitâsse, se in gyrum vertisse leguntur *apud Valer. Max. lib. 1. c. ult. Tacitum l. 4. histor. & lib. 2. Annal*? Toti orbi notæ & apud Adversarios etiam in confesso sunt prodigiosæ Dominicanorum, contra adversarios suos, Franciscanos, conceptionem B. V. Mariæ miraculis adstruere satagentium, vivicomburio autem deinceps publicè ann. 1509. à Senatu Bernensi affectorum, fraudes. Sed quid ad superius seculum excurro? in præsenti quot non à Sacrificulis ficta miracula seu potius prodigiosa mendacia? quæ omnia si recensere vellem, equidem me chartæ deficerent. Non possum tamen, quin unum, idque recentissimum, hîc adjiciam. *Transiit ante octennium, ejurato Papismo, ad Reformatos Claudius Schobingerus, hactenus Monachus Capucinus: de hoc, progressu temporis ad ministerium Ecclesiasticum Tiguri elato, quid non finxêre Pontificis Romani Gnathones? inter alia, eum non ita dudum in odium Religionis Papisticæ duas hostias secum in suggestum sumpsisse earumque alteram in conspectu totius populi, more sacerdotibus Pontificiis consueto, consecratam in terram projecisse, pedibus populi ex ipsius mente & jussu conculcandam: hostiam verò illico sanguine intermistam ab iis, quos eam conculcandi subierit voluntas, semper ad passus latitudinem recessisse & tandem penitus disparuisse. Quo facto, & post biduum concionatorem* ἄφαντον *factum esse, & haud dubiè à diabolo* (חס ושלום) *ablatum: siquidem nigri coloris canis post ipsius abitum non duntaxat in ejus ædibus, sed etiam in ipso suggestu sese præbuerit conspiciendum.* Hæc autem, quamvis à Monachis, eorumque gnathonibus longe lateque disseminata, ab omni veritate aliena esse, Magistratus Tigurinus ann. superiore 92. publico programmate,

mate, quod mihi etiamnum ad manum, est attestatus. Hem Sycophantas! qui apertis mendaciis Religioni suæ splendorem conciliare haud erubescunt! Qualis illa jam sit Religio, quæ partim aperta vi & tyrannide, partim apertis mendaciis propagatur, tu ipse judicaveris D. JCte. Quæritis vos Papistæ miracula, sed sine causa: vos ipsi piis estis miraculo, qui fictis Monachorum miraculis tam facilem præbetis assensum! Miraculum miraculorum est Dei longanimitas, quâ tam nefandis miraculorum mangonibus connivere dignatur! Audi quàm eximiè quidam vestratium miracula vestra commendent! *Nostri*, inquit Melchior Canus lib. 2. Loc. Theol. *plerique vel affectibus inserviunt, vel de industria quoque ità multa confingunt, ut eorum non solum pudeat, sed etiam tædeat.* Subjicit postea de Legenda aurea: *In illa* NB: *miraculorum monstra sæpius legas, quàm vera miracula: hanc homo scripsit ferrei oris, plumbei cordis, animi certè parum severi & prudentis!* Huic adde & Lyranum vestrum. *Aliquando*, ait is *in cap. 14. Dan. fit in Ecclesia deceptio populi maxima in miraculis fictis à Sacerdotibus vel eis adhærentibus, propter lucrum temporale.* (γ) quia si veri aliquid subest, hoc non superat totius naturæ vires, sed referendum ad portenta dæmonum. *Potest, dæmon*, inquit Jesuita Pererius Disp. 4. in Exod. c. 7 *facere, ut statuæ vel aliæ res inanimatæ ambulent & incedant more hominum, dæmone videlicet eas movente. Sic est factum, quod ex Philastroto supra commemoravimus de tripodibus lapideis & pincernis æreis, qui apud Jarcham præsente Apollonio, in convivio per se movebantur & more famulorum ministrantium mensis, pocula convivis in loco ac tempore præbebant. Quin potest facere, ut vel statuæ, vel arbores vel animalia loquantur more hominum: qua ratione factum est, quod narrat Valerius Max. lib. 1. c. ult. de simulachro Junonis*

nis Monetæ: quod interrogatum quasi per jocum à militibus, an Romam migrare vellet, velle se respondit. Et simulachrum Fortunæ muliebris matronis Romanis, à quibus fuerat consecratum, dixisse fertur; RITE ME VIDISTIS, RITE ME CONSECRASTIS. Addere debebat Jesuita, *liquere hinc, qua ratione imago illa Pontificia ad Thomam Aquinatem, ejus Scripta utroque pollice laudando, dixerit; BENE SCRIPSISTI DE ME THOMA.* Nimirum rectè scribit Biel in Can. Miss. cap. 49. *Miracula fieri hominibus ad imagines confluentibus, nonnunquam operatione dæmonum, ad fallendum inordinatos cultores, Deo permittente, exigente talium infidelitate.* (4) Quid? si daremus, omnia quæ jactatis esse vera miracula: an propterea sequetur, apud vos dari veritatem doctrinæ & Religionis? Negat hoc Jesuita vester Maldonatus, dum *in cap. 7. Matth.* agnoscit, *ex miraculis necessarium veritatis argumentum sumi non posse; neque sequi eam, in qua frequentia & quasi ordinaria miracula fiant, esse Ecclesiam veram.* Negat etiam Jesuita A Costa, dum *de temp. Noviss. lib. 3. c.* 3. ità scribit; *Primæva Ecclesia miraculis abundavit, cum essent infideles vocandi: at ultima Ecclesia, cum fideles vocati jam sint, plus* Scriptura, *quàm miraculis nitetur. Quin etiam audacter dixerim, miracula omnia vana esse & inania, nisi Scripturâ approbentur, hoc est, doctrinam habeant Scripturæ conformem: Scriptura verò ipsa per se firmissimum veritatis argumentum est:* Negat quoque Jesuita Delrio, dum *Disquis. Mag. l. 2. q. 7.* scribit, *à malis etiam & perperam de fide sentientibus nonnunquam miracula edita fuisse, &c. Item, consequentiam non esse bonam: Fecit miraculum: Ergo fides ejus est vera.* Adjunge huic, si placet, Diegam Payvam ab Andrada. *Augustinus*, inquitis Defens. fid. Trid. l. 2. fol. 44. *contendit, Ecclesiæ certa atque firma indicia è sacris literis petenda esse, quia ab omni sunt falsi-*

falsitatis suspicione libera. Nam cum miracula stupendaque prodigia, quæ sæpe à viris fiunt sanctissimis, dæmonum operâ à perditis etiam & facinorosis fieri posse dicat, futurarum rerum prædictiones, non modo piis quoque & flagitiosis hominibus accidere aliquando possint, falsa profecto sunt hæc plerumque, infirma etiam semper, Ecclesiæ veræ indicia. Apostoli certè nihil confirmarunt miraculis, nisi etiam illud, quod confirmatum volebant, apertissimè traderent & docerent *Act. 20. 20. 27. & 26. 22. collat. cum Heb. 2. 3. 4.* Imò hæc est natura miraculorum, non ut sint μαρτυρία, sed ut sint συνεπιμαρτυρία. Heb. 2. 4.

LIV. Urget in primis D. JCtus dictum Christi Marc. 16. 17. 18. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc consequentur: per nomen meum dæmonia ejicient: linguis loquentur novis: serpentes tollent: & si quid lethale biberint, nequaquam nocebit eis: malè valentibus manum imponent & bene habebunt.* At quam irrito conatu, *supra parag. 4. num. 4.* ex tuis ipsismet Pontificiis audivimus. *Si Reformati*, inquis, *sunt Orthodoxi, cur ergo nulla apud eos audiuntur miracula?* Syllogisticè mens tua huc redit. *Vera & Orthodoxa Christi Ecclesia patrat miracula: At Reformata Ecclesia non patrat miracula: Ergo Reformata Ecclesia non est vera & Orthodoxa Christi Ecclesia.* Quam vacillet Major, intellecta simpliciter & de omni tempore, demonstratum est suprà satis superque. Num ei ulterius vis inhærere D. JCte? En retorqueo. *Vera & Orthodoxa Christi Ecclesia patrat miracula: At Papistica Ecclesia non patrat miracula:* Ergo *Papistica* Ecclesia *non est vera & Orthodoxa Christi Ecclesia.* Major est tua. Minor est in Confesso apud præstantissimos Theologos vestros, Episcopum Roffensem, Maldonatum, Ferum, Jesuitam à Costa & alios, quorum verba suprà audivimus. Unus

 Gre-

Gregorius, cognomento magnus & R. Pontifex, instar multorum esse potest. Nota ejus verba. *Numquid*, inquit homil. 29. in Evang. Marc. *fratres mei, quia miracula ista non facitis, minimè creditis? sed hæc necessaria in* Exordio Ecclesiæ *fuerunt: ut enim ad fidem cresceret multitudo credentium, miraculis fuerat nutrienda; quia & nos, cum arbusta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quousque ea in terra jam coaluisse videamus, & si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit.* Probat eandem Minorem 2. experientia. Ubi enim videntur Papicolæ patrare miracula? Ubi videmus, *eos dæmonia ejicere? loqui linguis novis? serpentes tollere? non nocere eis, si quid lethale biberint?* Ubi audimus, *eos malè valentibus manus imponere & bene habere?* Papa vester, juxta vos Christi vicarius & Petri Successor, annon præ omnibus clarere deberet veris miraculis? at, secundum Jesuitam Lessium Disp. de Ant. Dem 10. *ne quidem mortuum canem excitare potest*: & secundum Bellarminum l. 3. de P. R. c. 21. *Pontifices nec vera nec falsa ulla miracula fecerunt.* Retorqueo ergo verba D. JCte; *Si Papistæ sunt Orthodoxi, cur ergò nulla apud eos audiuntur vera miracula?* Tentavit nuper quid Marcus vester D' Aviano, imaginans sibi cum Simone mago εἶναί τινα ἑαυτὸν μέγαν Act. 8. 9. At effectu tam prospero, ut Evangelicis risum, pontificiis autem sui pudorem reliquerit. Claudis, quos sanare volebat, grallas suas recipientibus, bonus ille *Marcus* Venetias se recepit, imaginatus sibi forte, *Marcum*, Venetorum Patronum, jam senio esse confectum, dignum se esse (maximè postquam tam eximia in bonum Catholicæ suæ Religionis patraverit passim miracula) qui in ipsius locum succedat!

LV. Monachi & Jesuitæ cùm videant, se non posse patrare miracula, ablegant sæpe simplices ad corpora & reliquias demortuorum & ad imagines, maxime

ad

ad hanc vel illam imaginem B. Virginis, fingentes plaustra *miraculorum* (potius *mendaciorum*) quæ mox hîc, mox illic contigerint. Commendant in primis Mariam *Lauretanam*, *Provenzanam*, *Vtcanam*, *Tungrensem*, *Cignaciensem*, *Suessoniensem*, *Hallensem*, E*berhards-Clausianianam* &c. tot, si monachis credas, miraculis celebres, ut אין חמור נושא ספריהם (prout loqui placet *Rabbi Abr. Sebæ in* צרור חמור *Parasch.* Jethro) *ne asinus conscriptos de illis libros veheret*. Notatu digna in primis sunt verba, quæ adscripserunt imagini Mariæ Eberhards-Clausianæ; *DE PLENITVDINE EIVS ACCIPIVNT OMNES: ÆGRI SANITATEM, CLAVDI GRESSVM COECI VISVM, MVTI LOQVELAM, INCANTATI CVRATIONEM, CAPTIVI ET DAEMONIACI LIBERATIONEM, MORTVI VITAM.* En devotos Catholicos, qui, quod S. Scriptura Christo tribuit, imagini Marianæ tribuunt! Audivimus supra Christum dicentem, *credentes esse miracula patraturos*: At monachis nostris, cum ipsi adeò credentes non sint, ut possint, mutæ imagines miracula patrant: num forte etiam imagines credunt?

LVI. Prudenter admodum post tempora Reformationis rem suam instituunt Catholici! dum Miracula, quæ hodie præstari dicuntur, ad terras remotissimas rejiciunt, ne fraus patefiat. Cur ante oculos Reformatorum? Cur in civitatibus Evangelicis non patrant miracula? ut *hæretici*, quos vocant, *miraculorum majestate confundantur & disputationum nebulæ, factorum luce, dispellantur*, ceu loqui placet Lipsio *in sua Virgine Aspricoll. cap. 2.* Hoc miraculariis nostris non placet: quare autem non? quia verentur, ne miraculorum suorum fraudes detegantur. Hanc veram esse causam, talpâ cœcior sit, oportet, qui non videat: cur enim aliàs, si vera possent patrare miracula, ea in conspectu Evangeli-

gelicorum, quorum ad fidem Papisticam conversionem tantopere desiderant, non patrarent? Mittunt nos interim Lauretum, ablegant nos ad montem Serratum & in Iaponiam. *Ite*, inquiunt, *ad hæc & alia remota loca, & multa videbitis Catholicorum miracula.* Res risu dignissima: Si Jesuitæ irent cum Jesu, haberentque fidem Apostolorum, mitterent nos, eorum exemplo, ad Scripturam Joh 5.39. Luc.16:29. 2.Petr.1.19.&c. At mittunt nos lucifugæ ad locorum remotissimorum tenebras. Sciunt, nos non ituros: alias ne quidem hoc dicerent. *Ibat* meo apud ipsos studiorum tempore *cæcus*, quem bene novi: sed *cæcus* etiam *redibat*. Quid? si iremus, quo indicio nobis Jesuitæ probarent jactata miracula non esse de eo miraculorum genere, cum quibus venturos Pseudoprophetas & filium perditionis præmonuerunt Christus *Matth.24.* & Paulus 2.*Thess.2.* Nobis ne Jesuitæ, cum de rebus nobis præsentibus gestis impudentissimè mentiantur, ea, quæ tam procul facta esse clamant, persuadeant? Bellarmino, cum diligentissimè inquireret, an esset, qui superiori seculo miraculorum dono polluerit, nemo occurrebat præter unum Xaverium, quem *Novella historia Maphæi, Ribadinira, Tursellini* referunt viginti quinque mortuos in India excitasse. At negant miracula ibi facta esse aut fieri alii Pontificii, Josephus à Costa *lib.6. de Indor. Salute c.4. & 12. & l.2.c.9.* Franciscus de Victoria *Relect. 5. prop. 5.* Benzo *lib. 2. hist. nov. orb. c. 18.* Adde, quod Xaverius miraculorum, ab aliis de ipso jactatorum, nusquam mentionem faciat. Nec est, quod Jesuitæ prætexant, id tribuendum esse ipsius modestiæ: Num enim Apostoli, ea, *quæ Deus per ipsos effecerat Act.14. 27.15.14.* memorando, extra limites modestiæ abiisse putandi? Et quid? si Xaverius dono miraculorum polluisset, annon id in eo ostendendum maximè fuisset, ut

sine

ſine moleſtiâ loqueretur barbarorum linguâ? At quanta cum difficultate ei diſcenda fuerit illorum lingua, audivimus ſupra ex ipſius ore *Paragr. IV. num. 1.*

LVII. Effugium, quo hîc D. JCtus noſter elabi quærit, vaniſſimum eſt: *Chriſtus ipſe*, inquit, *ob incredulitatem hominum in patria ſua nullam virtutem edere potuit, niſi quod, cum paucis ægrotis impoſuiſſet manus, ſanavit eos Marc. 6. 5. quod etiam diſcipulis ipſius contigit Marc. 9. 18. & Luc. 9. 40.* &c. *Non ergo mirum*, vult dicere, *quod Catholici inter Reformatos & Lutheranos, tanquam incredulos, miracula edere non poſſint.* Res acu tacta! ſcilicet! Verum eſt, Chriſtum non potuiſſe in patriâ ſuâ miracula multa edere: at quomodo non potuit? an forte ex defectu virium? non dixeris. *Non potuit* ergò *edere*, id eſt, (ut Gregorius Homil. 2. bene exponit) *non æquum aut conveniens judicavit:* cùm miracula fiant, ut confirmetur fides in Dominum JESUM: ubi autem nulla in ipſum fides: ad quid miracula? Quo ſenſu & ipſe Chriſtus alibi dicit, οὐ δύνανται οἱ υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος πενθεῖν, ἐφ' ὅσον μετ' αὐτῶν ἐστιν ὁ νυμφίος, *non poſſunt*, ſive *æquum non eſt, ut lugeant.* At quî hæc quadrant in Evangelicos, qui firmiſſimâ utique fide amplectuntur D. JESUM: quî ergo eorum incredulitas thaumaturgis veſtris obſtaret? 2. Chriſtus licet non multa miracula fecerit in patriâ ſuâ, fecit tamen aliqua, ut patet loc. cit. At quis veſtrum hactenus in conſpectu Evangelicorum edidit miraculum? (3) Si Thaumaturgi veſtri non poſſunt edere miracula inter Evangelicos & quidem ob eorum incredulitatem: cur ergo ſaltem talia non edunt inter Catholicos Evangelicis vicinos? Nolunt hoc Domini, quare? quia reipſa non poſſunt, verenturque ne fraus detegatur & hominum ludibrio exponantur: conſultius judicant nos ablegare ad Italos,

Hispanos & ultimos Indos, scientes de ejusmodi rebus tutius ibi mendacia spargi, difficilius confutari. (4) Sed interim Catholicum istum Jureconsultum in fugam conjiciant Catholici Theologi (α) Bellarminus, utpote qui narrat, S. Antonium eximium miraculum (à nobis supra num. 53. relatum) coram hæretico edidisse, eumq; per id confutâsse. (β) Baronius, qui *ad ann. 1192.* refert, *aquam per commixtionem corporis Christi, in sanguinem Christi prope Erfurdiam esse transsubstantiatam, & paulo post precibus Moguntini Episcopi & Sacerdotum pristinam formam recuperasse.* Addit, *per hoc miraculum confutatam fuisse hæresin, isto seculo obortam, negantium, aquam vino mixtam mutari in sanguinem.* (γ) Bzovius, qui, citante Cl. Crocio *Anti-Becan. Controv. 3. Sect. 11.* scribit ad an. 1199. num. 43. *Berengarianam hæresin in Germania repullulantem miraculis repressam esse.* Idem ad an. 1204. num. 23. & seq. dicit, *S. Dominicum vicisse Albigenses, igne confessionem utriusque partis probante.* Ad an. 1232. num. 6. refert, *Petrum Veronensem, Catharorum* Episcopum, *superâsse miraculo nubis, sereno cælo, auditores obducentis.* Si Berengarianorum, Albigensium & Catharorum incredulitas Papistis in edendis miraculis non obstitit, quî hodie iisdem Evangelicorum incredulitas obstaret?

LVIII. Relabitur jam JCtus noster ad imagines & reliquias suas, prætendens, *hunc articulum à Catholica primorum quingentorum* Ecclesia *semper ità creditum esse* &c. At quid quæso est adversus solem loqui, si hoc non est? Imaginum cultum incognitum fuisse in Ecclesia quatuor primis seculis, ex testimoniis Patrum liquet quàm evidentissimè, Irenæi *lib. 1. contra hæreses.* Tertulliani *Apologet. c. 11.* Origenis *contr. Celsum lib. 3.* Clem. Alexandrini *in Protrept.* Lactantii *lib. 2. c. 1.* Augustini *in Psal.*

113. &c. quorum verba vide apud Cl. Forbesium *Instr. Hist. Theol. l. 7. c. 8.* Sed obstruant os Pontificio Pontificii. *Certum est*, inquit Cassander Consult. Tit. de Imag. *initio prædicati Evangelii aliquanto tempore inter Christianos præsertim in Ecclesiis imaginum usum non fuisse.* Et porro. *Quantum autem veteres initio Ecclesiæ ab omni veneratione imaginum abhorruerint, declarat unus Origenes* &c. *Illud certè non prætermittam*, ait Gyraldus Syntag. lib. de Diis Gent. *nos, dico Christianos, ut aliquando Romanos, fuisse sine imaginibus in primitiva, quæ vocatur, Ecclesia. Simulachrorum cultum*, inquit Polyd. Vergilius de Inv. rerum lib. 6. c. 13. *omnes ferme veteres Sancti Patres, teste Hieronymo, damnabant ob metum idololatriæ, qua nullum execrabilius scelus esse potest.*

LIX. Ad Centuriatores incassum provocas: nam scribit quidem apud illos Eusebius lib. 7. c. 18. *vidisse se asservari à fratribus aliquibus in Asia imagines Apostolorum Petri & Pauli, ipsiusque Christi*: sed (quod etiam addunt Centuriatores) in locis publicis invocationis aut cultuum Christianorum, tantum abest, ut adseveret collocari solitas, *ut etiam ab ethnicis hunc ipsum privatum imaginum usum inventum dicat, qui, quos pro servatoribus habuerint, imaginibus & statuis honorare consueverint.* En quàm faventem se præbeat causæ vestræ Eusebius! Eodem modo & ei favet Lampridius, scribens apud eosdem Centur. *Imperatorem Severum imagines Christi & Abrahami habuisse*: nam factum id fuit à Severo ἐθνικῇ συνηθείᾳ, ut supra ex Eusebio audivimus: Et quæso D. JCte, num exemplum Ethnici Imperatoris idonea est regula divini cultus? Verum est, *Christianos cruce in locis publicorum congressuum* (tu scribis *in publicis plateis*, quod de tuo est) *& privatim usos esse*: Sed quid inde contra nos? qui

 &

& ipsi, si sub iisdem, cum veteribus Christianis, temporis loci & personarum circumstantiis viveremus, parati essemus signo crucis uti, ut supra dictum. Nota interim D. JCte cum tuis Catholicis, quod *in eodem Apologetico*, unde superiora desumpta sunt, scribit, *Christianos* nimirum *eo tempore maximè odisse solitos statuas cum suis ornamentis.*

LX. Verum est, *Sozomenum lib. 5. c. 21. ornamenti imaginum in templis meminisse*: Sed an propterea, quia Sozomenus id ità refert, statim verum est? Non credit Gregorius magnus: dicit enim *lib. 6. Regist. Episc. 31. tom. 2.* Sozomenum *multa mentiri.* Non credit etiam Jesuita de Valentia, *quia*, inquit de Cœlib. c. 6. p. 869. *Sozomenus multa alioqui mentitur. Non debet illis auctoribus* (Socrati & Sozomeno) *credi*, inquit Bellarminus lib. 1. Cler. c. 20. *quia Sozomeni historia à Gregorio reprobatur* &c. Et porro ibid. *Magis credendum est Epiphanio quàm Socrati aut Sozomeno hæreticis & multo recentioribus. Claudicat*, inquit Baronius in præf. annal. *veritas in Socrate & Sozomeno* &c. 2. Si hæc Sozomeni relata etiam vera essent, quid inde pro imaginum cultu?

LXI. Meminit quidem *apud eosdem Centur.* Athanasius imaginis Christi, sed non dicit, à quoquam Christianorum fuisse religiosè cultam, ut apud vos fit. Probandum prius D. JCto, *libellum de passione imaginis Domini*, ex quo hæc referuntur, *esse Athanasii.* Dubitat de eo Bellarminus *l. 2. de Imag. c. 10.* Dubitat etiam Possevinus *apparat. tom. 1. p. 127.* Imo *in Catal. Scr. Eccles.* expressè scribit Bellarminus, *librum illum esse authoris multo recentioris.*

LXII. Permulta quidem Lactantius tradit *l. 4. c. 27. de efficaciâ imaginis crucis Christi*; sed, ut Centuriatores bene

bene addunt, *superstitiosa ac anilia.* Opera Lactantii variis erroribus deformata esse, fatetur ipse Bellarminus vester *de Script. Eccles. sec. 3.* Addit idem l. 1. de Sanct. beat. c. 5. *Lactantius in plurimos errores lapsus est.*

LXII. Commemoratur quidem in Athanasii libello de passione imag. Christi, *Judaeos in Syria, in urbe Berytho, imaginem Christi olim à Nicodemo compositam & vastatâ Hierosolyma in Syriam translatam crucifixisse: & lanceâ dextrum ejus latus perfossum, aquam & sanguinem emisisse & hydriam complevisse. Eo autem cruore Judaeos unxisse paralyticum & alios quam plurimos aegrotantes, eosque subitò pristinae valetudini restitutos esse. &c.* At negamus, libellum citatum esse Athanasii. Negat idem nobiscum ex Pontificiis Nannius *praef. in Athanas.* Dubitant etiam de eo Bellarminus & Possevinus, ut supra audivimus. Jacobus de Voragine refert hanc fabulam in annum 750. *in hist. Lombard. Legend. 136. f. 277.*

LXIV. Dicit quidem Chrysostomus in homil. de nativ. Dom. tom. 2. *O si mihi liceret videre illud praesepe, in quo Dominus jacuit. Nam nos Christiani quasi pro honore tulimus luteum & posuimus argenteum.* At quid quaeso ad rem? ubi hîc quid de religioso cultu imaginum, de quo nobis est quaestio? Adhaec citata homilia supposititia est. *Vide Erasmum in resp. ad notat. Eduardi Lei tom. 9. oper. pag. 133.*

LXV. Nicephorus (qui demum vixit an. 1300.) qua fide dignus sit, disce ex vestro Casaubono, *Nicephorus* ait is Exerc. 1. ad Baron. c. 12. p. 92. *auctor est vanissimus, futilissimus, fabulosissimus, nec συγγραφεύς, sed μύθων καὶ λήρων ῥαψῳδὸς merito suo dicendus, cui ipse Baronius, quoties animum intendit, fidem omnem abrogat.* Eadem fide dignus est Antoninus, quem adjungis, ordinis Praedicat. ac postea

Florentiæ Episcopus, mortuus an. 1459. ab Adriano VI. vel (ut alii volunt) à Clemente VII. in numerum Sanctorum relatus.

LXVI. Ad seculum quintum quod attinet, non negamus, sub illius initium fuisse, qui picturas quasdam historicas in templis fieri curaverint, quamvis non in hunc finem, ut religiosè colerentur, sed duntaxat, ut essent historica symbola nec non templorum ornamenta, ut liquet ex Ep. 13. Paulini ad Severum. Tantum ergò abest, ut D. JCtus noster demonstret, quatuor prioribus seculis imagines fuisse cultas, quemadmodum hodie coluntur in Papatu, ut ne quidem demonstrare queat, Veteres illos ullas unquam imagines in templis habuisse.

LXVII. Ad λειψανολατρείαν quod attinet, fuit illa quoque Ecclesiæ trium primorum seculorum prorsus incognita. Probat id vel una Epistola Ecclesiæ Smyrnensis apud Eusebium Hist. Eccl. 4. 15. quæ agit de Polycarpi ossibus terræ reconditis, cum protestatione, illa coli non posse. Nec ea, quæ adfers, contrarium evincunt. *Honorârunt quidem Veteres*, testibus Centuriatoribus, *acceptas S. Polycarpi reliquias*: at quomodo? an forte circumgestando aut religiosè venerando? nullatenus: sed *condendo, ubi id fieri decebat*. Ità & vos facite; & sic demum veterum vestigia premetis.

LXVIII. Reliquias Ignatii à sociis Antiochiam esse translatas, refert quidem Nicephorus apud Centuriatores: at 1. non multum ipsius relationi tribuendum, jam suprà audivimus: Refert idem apud eosdem (sui immemor) lib 14. c. 24. *Theodosium hoc fecisse. Et Evagrius lib. 1. c. 16. idem asserit. Hieronymus eum ante portam Daphniticam jacere indicat.* 2. Sed ponamus verum esse, quod Nicephorus refert, quid lucri inde Papicolis? translata

fue-

fuerunt ossa & reliquiæ ej' non ut religiosè colerētur, sed ut furiis hostium eriperētur. Ad seculum quartum quod attinet, fatemur, aliquam illo circa Sanctorum reliquias superstitionem apud quosdam invaluisse, etiam quosdā S. Patrum sibi liberius aliquid indulsisse, & quædam, quę non probârunt, tolerâsse teste Augustino *Epist. 119. & de C. D. 22. 8.* At interim tamen nullus eorum eas cultu religioso afficiendas docuit. S. Ambrosius, ad quem provocas, Sanctorum corpora honoranda esse contendit: nos ei calculum nostrum addimus: sed de honore quæritur. Hieronymus etiam, etsi alibi liberius loquatur, vobis tamen non favet. Audi & nota ipsius verba. *Nos* inquit Epist. 53. ad Ripar. *non dico Martyrum reliquias, sed ne solem quidem & lunam, non Angelos, non Archangelos, non Cherubim, non Seraphim & omne nomen, quod nominatur in præsenti seculo & in futuro, colimus & adoramus, ne serviamus creaturæ potius quàm creatori* &c. Quid videtur D. JCte? nonne hæc comparatio vobis hodie hæresin saperet, qui pro religioso reliquiarum cultu, tanquam pro aris & focis, decertatis? Scribit quidem Augustinus l. 1. de C. D. c. 26. *celeberrimâ veneratione martyria quarundam fæminarum frequentari*: At scribit etiam, se dubitare, numnam hoc rectè factū sit. Verum est, Deum aliquando ad corporū Martyrum contactum miracula edidisse: sed 1. *quid inde contra nos?* qui id non negamus, non negamus inquam, id quandoq; factum esse, ut sic doctrinæ, ob quam à Sanctis sanguis effusus, testimonium redderetur, fidelibusque, ad constantiam ac martyria in persecutionibus subeunda, animus adderetur: stultum autem est, imaginari sibi, virtutem illam latuisse in Sanctorum ossibus: stultius adhuc, putare, ossa illa semper talem miraculorum vim retinuisse. Resuscitavit Deus per Elisæi ossa alium

quen-

quendam mortuum 2. Reg. 13. quis verò ossibus illis postea talem virtutem ordinariam attribuit? 2. *Quid inde pro nobis*? Num forte id, per quod Deus miracula edit, statim religiosè venerandum aut adorandum? Ergo etiam adorari debuisset aqua Jordanis, qua usus est, Deus ad sanandum Naamanum & sputum Christi & umbra Petri. Mandibulam asini, qua Simson millia Philistæorum profligavit, num etiam adorare vellent, si hodie adhuc inveniretur, Monachis perpendendum relinquo.

CAPUT V.

De

Confessione auriculari & indulgentiis.

TOtus jam Dominus JCtus noster in eo est, ut nobis commendet *confessionem auricularem & indulgentias Papales*: quàm bene, videamus *Christus* inquit, *homines à lepra sanatos misit ad sacerdotes, ut ut se eis ostenderent Luc. 17. 14. Marc. 1. 44.* &c. *Ergò spiritualis lepra est sacerdotibus N.T: ostendenda, sive peccata per confessionem auricularem exponenda.* Argutè! scilicet! Misit 1. Christus homines ad Sacerdotes: at quomodo exinde sequitur hodie adhuc mittendos esse ad sacerdotes, cum N. Testamentum Sacerdotes (propriè dictos) ignoret? 2. In quem finem misit ad Sacerdotes? ut pro eis secundum

dum legem Ceremonialem, quæ tunc nondum erat abrogata, fieret Levit. 14. Marc. 1. 44. Num ergo & hodie forte apud Pontificios Lex Ceremonialis in usu? 3. Quî quæso hoc in Confessionem vestram auricularem quadrat D. JCte? Illi, quos Christus mittebat ad Sacerdotes, modò à lepra erant sanati: vos autem in quem finem ad Sacerdotes mittimini? ut à lepra spirituali per illos sanemini: En ergo, quàm eximiè hinc stabilias Confessionem vestram auricularem! Quàm parum etiam eidem faveant loca Joh. 20. 23. & Matth. 18. 18. in sequentibus liquebit.

II. Mandatum, quod extat Jacob. 5. 16. ἐξομολογεῖσθε ἀλλήλοις τὰ παραπτώματα, quî etiam huc quadrat, Apostolo enim ibi sermonem non esse de confessione secretâ, in aurem sacerdotis susurratâ, quis non videat, partim ex voculâ ἀλλήλοις *invicem* seu *alii aliis* (Versio vestra Vulgata pro more suo barbarè reddit, *confitemini ergò alterutrum peccata vestra*: Unde & merito eluditur à Valla vestro *Annotat. in h. l. p. 889.*) quâ mutuam offensarum indigitat confessionem, id est, vult ut nostras infirmitates alter alteri detegentes consilio & consolatione mutuâ nos juvemus: partim ex verbis proximè sequentibus, καὶ εὔχεσθε ὑπὲρ ἀλλήλων *& precamini alii pro aliis*: ubi, quemadmodum Apostolus non jubet preces fundi pro solis presbyteris, ita nec jubet confiteri solis presbyteris, sed vult hæc officia inter pios esse reciproca. Certè si ibi ageretur de confessione, quæ sacerdoti susurratur in aurem, deberet ut confitens confessario, ita vicissim confessarius confitenti peccata sua confiteri. Audiat D. JCtus suum Cardinalem Cajetanum. *Nec hic*, inquit ille in c. 5. Ep. Jacobi, *sermo est de confessione Sacramentali, ut patet ex eo, quod dicit, confitemini invicem. Sacerdo-*

Uu *talis*

talis enim non fit invicem, sed Sacerdotibus tantum. Sed de confessione, qua mutuò fatemur nos peccatores, ut oretur pro nobis &c. En tibi os obstructum à Cardinale tuo! cum quo etiam sentiunt Vasquez *in 3. Thom. q. 90. art. 1.* & Melchior Canus *Relect. de pœnitent. part. 6.* Audi hujus posterioris verba. *Alia*, inquit, *quæ solent afferri, ut est illud Jacobi c. 5. Confitemini alterutrum. Et illud Luc. 17. Ite & ostendite vos sacerdoti, non adeò firma videntur adversus hæreticos testimonia.* En ergò, quàm firmiter Confessionem vestram adstruxeris ex locis adductis!

III. Verum est, *multos eorum, qui crediderant, venisse confitentes & indicantes* τὰς πράξεις αὐτῶν Act. 19. 18. At miserè falleris, dum hinc (ut & ex Matth. 3. 6. Ubi dicuntur *baptizati à Johanne in Jordane confitentes peccata sua*) confessioni vestræ auriculari patrocinium quæris. Nam 1. eorum confessio non erat clancularia in aurem & particularis omnium & singulorum peccatorum cum suis circumstantiis, ut ipse agnoscit Cardinalis Cajetanus *in cap. 19. Act.* scribens. *Quemadmodum ad baptismum Johannis concurrebant confitentes peccata sua, ità describuntur hìc confitentes facta sua, procul dubio in genere aut publicè. Neutra enim fuit NB. confessio Sacramentalis, sed professio pœnitentiæ vitæ præteritæ.* 2. Confitentes illi nondum erant baptizati, ut præter eundem Cajetanum fatetur & rationibus probat haud contemnendis Jesuita Lorinus *in Act. 19.* At verò Sacramentum pœnitentiæ non confertur nisi baptizatis, dicente Canisio *Catechism. c. 4.* Quî ergo tu cum Bellarmino tuo hunc locum tantopere crepas? quâ fronte audet Baronius *Annal. Tom. 1. an. 16. sect. 14.* scribere. *Certum est, locum hunc intelligendum esse de confessione Sacramentali.* Quam *certum sit*, audiat à sectæ suæ socio Jesuita Lorino. *Non ausim*, inquit ille loc. cit.

usur-

usurpare Baronii CERTUM EST. Nam excipere quisquam posset, sermonem non esse de jam baptizatis, sed de Catechumenis &c.

IV. Dicit D. JCtus, *hanc auricularem confessionem à Christo ducere originem & tempore Apostolorum modò fuisse usitatam.* Quàm verum hoc sit, liquebit è sequentibus. Nos dicimus esse

Monstrum horrendum, informe, ingens, cui
lumen ademptum.

Nam א est ἄγραφος: Nusquam enim legitur instituta, nusquam commendata nusquam usurpata, quod omnino tamen factum oportuit, si ea ad salutem *absolutè*, ut Pontificiis persuasum, fuit necessaria. Quis namque credat, Christum & Apostolos doctrinam adeò necessariam cognitu, adeò utilem scitu singulis fidelibus silentio prætermittere voluisse? Quis sibi persuadeat, eos, qui in Scriptis suis Religionis Christianæ capita quàm accuratissimè passim sunt executi, ne minimum quidem verbum de re tanti momenti voluisse facere? Eoque magis, quòd præter rei momentum accedebat tum *ejus novitas*: cum fatentibus Adversariis, in V. T. non fuerit exercita (vide Forerum *Tom. 4. Tract. 4.*) tum difficultas eam exercendi; siquidem, ut loquitur ipse Bellarminus lib. 3. de Pœnit. c. 12. *si qua res est in Ecclesia Catholica, quæ gravis ac difficilis videatur, sine dubitatione ulla confessio auricularis est.*

V. ב *Sed quid?* Non duntaxat ἄγραφος, sed etiam ἀντίγραφος est hæc Papicolarum confessio. 1. enim S. Scriptura omnibus verè resipiscentibus sine ulla tali peccatorum in aurem sacerdotis enumeratione remissionem pollicetur Prov. 28. 13. Psal. 32. 5. 1. Joh. 1. 9. &c. Exempla passim obvia, ut Paralytici Matth. 9. 2. Petri

 Matth.

Matth. 26. 75. Zachæi Luc. 19. 8. 9. Publicani Luc. 18. 13. &c. Hæc autem omnibus, qui, præteritis Sacerdotibus, Deo directè confitentur, remissionem abjudicat. Solle es nit gnug seyn / so man die Sünde GOtt beichtet / sich bessert / Buß thut &c. quærit Jesuita Cusanus Zucht-Schul part. 4. c. 3. Et respondet. Auff keinerley Weyß: Wiewohl jemand sein Lebtag solche Buß würckete &c. Similia occurrunt apud Elffium *lib. c. Tr. 4. c. 1.* Bellarminum *lib. 3. de pœn. c. 2.* Becanum *Manual. prælud. 2. §. 19.* &c. 2. Hæc confessio nititur peccatorum in venialia & mortalia distinctione: eam verò Scriptura improbat Rom. 6. 23. Gal. 3. 10. 1. Joh. 3. 4. Deut. 27. 26. &c. (3) Constituit presbyteros judices, habentes potestatem peccata remittendi judiciariâ auctoritate: at Scriptura eos contrà constituit *ministros* tantum *& dispensatores mysteriorum Dei* 1. Cor. 4. 1. innuitque, neminem judiciariâ auctoritate posse peccata remittere præter solum Deum. 1. Joh. 1. 9. Prov. 28. 13. Es. 43. 25. Marc 10, 7. Jesuita Vasquez in 3. p. Thom. q. 84. art. 3. eò impietatis adducitur, ut scribere non dubitet; *sententiam Dei, quam pronuntiat in cœlo, non absolvere peccatorem, sed tantum approbare sententiam sacerdotis, & non operari remissionem peccatoris.* Mirum, quod Pontificii, quemadmodum ipsis fas est dicere ad Sacerdotem; *Remitte nobis debita nostra*, non pariter dicant ad eundem; *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. (4) Statuit, nullum esse peccatum irremissibile. *Nullum est tam grave & nefarium scelus*, inquit Catechesis Tridentina de effic. Sacr. pœn. *quod pœnitentiæ Sacramento non quidem semel, sed iterum & sæpius non deleatur* (ne autem quis objiciat peccatum in Sp. Sanctum, statim addit, *id de difficili admodum veniæ impetratione* intelligendum

dum esse) at contra Scripturam Matth. 12. 32. Marc. 3, 29. Hebr. 6. 5. & 10. 26.

VI. ג Est ἀδύνατος: Nemo quippe mortalium in hoc terrarum degit orbe, qui omnium & singulorum peccatorum suorum cum omnibus eorundem circumstantiis queat inire numerum; cum quilibet cum Davide exclamare habeat necesse, *Delicta sua quis intelligat? ab occultis absolve me Psal. 19.* Prætendit quidem Conc. Tridentinum, ea tantum enumeranda esse, quorum *post diligentem sui discussionem*, memoriam quis habeat: Verùm frustra: si enim semel admissum fuerit, remissionem pendere ex enumeratione, conscientia semper dubia erit, an justam diligentiam discussionis adhibuerit. Et quæso te, si confitens confessionem per integrum annum (quod ei per quartum *Pentalogi Romani* præceptum licet) distulerit, cogites, quàm ipsi possibile fuerit ad rationem revocare totius anni acta, &, quid singulis diebus peccârit, colligere: cum experientia unumquemque convincat, ubi ad vesperam excutienda sunt unius tantum diei delicta, memoriam confundi. Cogites insuper velim, quomodo Confessarius, cùm magna confitentium turba, brevi sæpe spatio expianda, ei sese offert, tot dierum & mensium, imò sæpe annorum peccata brevi adeò auditu excipere & librare, justasque iis pœnas injungere queat.

VII. ד Est ἄλογος, *absona & ridicula.* Nam 1. Ecclesia V. T. quod inficiari non potestis, Deo directè peccata fuit confessa, talis peccatorum in aurem Sacerdotis enumerationis ignara: quî ergò Ecclesia N. T. eâ gravaretur? Num putandum, Christum venisse ad prægravandam suam Ecclesiam novis oneribus (rem namq; difficillimam esse hanc confessionem, Bellarminum

ſupra audivimus confitentem) ut deterior ſit conditio Chriſtianorum quàm olim Iſraëlitarum? (2) Confeſſarii inſtituunt examen in conſcientias confitentium non tam ſecundum decalogum divinum, quàm Pentalogum Romanum. *Vide libell. Societ. Coſteri lib. 1.* id eſt, non tam quærunt, an Deum diligant ex toto corde & proximum ſicut ſe ipſos &c. quam an feſta Pontificia hactenus obſervaverint, an Roſarium diligenter recitaverint, an Miſſæ ſedulò interfuerint &c. Nonne hoc abſonum? (3) Abſolutus à Sacerdote credere tenetur, ſibi eſſe remiſſa peccata à Sacerdote, cùm ipſe Sacerdos profiteatur, ſe dubitare de remiſſione ſuorum peccatorum *juxta Concil. Trid. Seſſ. 6. can. 13. 15.* Porrò idem Concil. *Seſſ. 14. c. 10.* approbat abſolutionem datam per ſacerdotem peccato mortali pollutum: Ergò Sacerdos adulter & veneficus remittet adultero & venefico peccatum, cujus ipſe ſibi conſcius eſt: Nonne hoc ridiculum? (4) Sacerdos abſolvens confitentem, aut abſolvit eum *abſolutè* aut *ſub conditione*: Si *prius*, deſipit: cum neſciat, num veram contritionem eliciat & pœnas ſatisfactorias poſt abſolutionem injunctas ſit impleturus, nec ne. *Si poſterius* (quod vult Toletus *lib. 3. de Inſtruct.* & alii) delirat, & eo ipſo oſtendit, ſe non eſſe judicem: cum judex, cui vel mica ſanæ mentis, abſoluturus innocentem & damnaturus ſontem, non dicat; *abſolvo te, ſi,* ſed *quia innocentem te deprehendo, & damno te, ſi,* ſed *quia convictus es hujus criminis.* Ne jam addam, ridiculè abſolutionem à ſacerdote præmitti ſatisfactioni, cùm neceſſe ſit ut debitor ſatisfaciat, antequam liberetur.

VIII. ח *Eſt profana ac pudori inimica,* quod ex ſpurcis Confeſſariorum quæſtionibus & abſurdis Caſuiſtarum aphoriſmis manifeſtè liquet. Etenim 1. cum non

raró

rarò contingat, ut confitens delicta sua incrustet aut molliat & multa dissimulet, confessarii ex improba sæpe curiositate, in petulantis lascivæque carnis oblectationem, spurcis quæstionibus suis animos conjugum pertentant, & rimando arcana thalami, *non confitendi, sed peccandi rationem ac normam*, ut ipse Canus *Relect. de pœn. p. 6.* fateri cogitur, docent. Videantur hac super re Toleti *instructio Sacerdotum*, *Pœnitentiale Romanum*, & Navarri *Manuale*, libri tam spurcis erotematibus referti, ut sine pudore vix legi queant. Et quot, Deum immortalem! hujus confessionis schemate hodie non libidines in Papatu foveri existimabimus? Questus est jam suo tempore Alvarus Pelagius *de Planct. Eccl. lib. II. c. 28.* de Confessariis, quòd *sæpe cum parochianis mulieribus, quæ ad confessionem admittuntur, scelestissimè fornicentur.* Fatetur etiam Erasmus Exomologes: T. 5. pag. 129. *confitentes in eos sæpe sacerdotes incidere, qui sub prætextu confessionis patrent non referenda, proq; Medicis fiant aut socii aut magistri aut discipuli turpitudinis. Et utinam hoc frustra videar monuisse, ac non tam multa passim exempla occurrerent, quæ nec sine dolore recordor, nec sine pudore possum referre.* Prodidit abunde Diana Panormitanus *Resol. Part. I tract. 4.* arcana sedium confessionalium. Quærit *Resol. XII. An confessarius, qui solicitavit adolescentem in confessione sit denuntiandus?* Se quondam quidem negativæ favisse fatetur Diana cum Paramo & aliis, eò quòd *lex pœnalis, non sit extendenda, etiamsi militet in alio casu eadem ratio. Sed Pontifices,* inquit, *loquebantur adversus solicitantes fœminas. Ergò Bulla non erat extendenda adversus solicitantes pueros.* Quid videtur D. JCte? Pergit. *Sed hodie ex constitutione Gregorii XV. cessat omnis dubitatio, quia ibi pontifex decernit, etiam solicitantes viros esse denuntiandos.* Ergò solicitari pote-

poterant pueri à Confeſſariis ante Conſtitutionem Gregorii XV. ſubnectit dein varias quæſtiones, piis auribus moleſtas (V.G. *An ſi Clericus occultè ponat ſe in loco confeſſionibus deputato & inter confeſſionem fœminæ, illam ibi ſolicitet, ſit denuntiandus? An confeſſarius, qui ante vel paulo poſt confeſſionem fœminam ſolicitavit, ſit denuntiandus?* &c.) at quas reſpondet, ante Conſtitutionem Gregorii XV. negativam plerisque Caſuiſtis arriſiſſe (audi cœlum & mirare terra) ſed poſt eam placere affirmativam. Hodie ergò cautiùs (an caſtiùs, ipſi viderint) ipſis agendum. 2. Hæc confeſſio ipſis etiam confitentibus ad ſcelera feneſtram aperit. Qua enim re major poteſt fieri peccandi confidentia aut licentia, quàm dum, confeſſione Sacerdoti facta, homo autumat, ſe poſſe tergere os & dicere, *non feci*? Annon voluptuoſus inſtiganti eum carni blandiri perget, cogitans, ſe poſſe facile robuſtum aliquem Sacrificulum peccatorum ſuorum bajulum conſtituere?

IX. Ne interim confitentes verecundiâ à confeſſione abſtrahantur, indictum eſt Confeſſariis *religioſum ſilentium*, quod *ſigillum ſecretæ confeſſionis* in Ritual. Roman. *de ſacr. pœnit. p. 53.* audit. De quo ita Toletus Inſtr Sacerd. l. 3 c. 16. *Advertendum eſt, obligationem ſigilli eſſe tantam, ut nulla prorſus cauſa, neque etiam propter ſervandam propriam vitam nec propter ſalutem Reipublicæ poſſit confeſſarius peccatum pœnitentis revelare.* Prudenter admodum in rem ſacerdotum! Sic enim mulierculæ in ſede confeſſionali animi ſui ſenſa coram ipſis eò liberius excutiunt! Huic ſigillo adjiciunt varia exempla, eidem ſcopo inſervientia, ſeu potius opimas fabellas de hominibus ob occultatum præ verecundia peccatum damnatis, quæ ſi hîc fuſius recenſere vellemus, quando finis

nis ſperandus? Unum ex ſexcentis citaſſe ſufficiat! Refert Jeſuita Dauroutius Catech. Hiſtor. c. 4. Tr. 12. *fuiſſe mulierem quandam nobilem, quæ poſt commiſſum ſcortationis vitium, ſpretis mundi divitiis, ingreſſa fuerit monaſterium, ad agendam ſceleris, hactenus occultati, pœnitentiam: accidiſſe autem, ut, cum ſe maximæ dederit abſtinentiæ, vigiliis & precibus, propter peculiarem, quam exercuerit, ſanctitatem, evaſerit Abbatiſſa &c. Poſt multa vero tempora, cum graviter infirmaretur, rogaſſe eam quandam ex monialibus, ut, ſi contingeret, eam decedere, ſibi poſt mortem appareret ad intimandum ſtatum ſuum, quod etiam promiſerit. Mortuam igitur, cum moniales exſpectarent de die in diem miraculis illuſtrari, apparuiſſe quidem nocte quadam illi, cui promiſerat; at penitus turpem, nigram & triſtem, & interrogatam de tam turpis apparitionis cauſa reſpondiſſe; damnata & præcipitata ſum in ignem æternum. Cum autem monialis regeſſerit, quis ergo ſalutis particeps reddetur, ſi tu, quæ vitam tam ſingularem & auſteram in ſeculo & monaſterio egiſti, damnata es, reſpondiſſe, damnata ſum, quia peccatum carnis, in quod in ſeculo lapſa fui, præ verecundia ſacerdoti confiteri nolui.* Confiteantur ergo diligenter moniales monachis *peccata carnis*, & diſcent inde monachi *carnem ſuam* titillare. Similes fabellas (à me ipſo non raro auditas) adimendæ confitentibus præſertim mulierculis, verecundiæ deſtinatas, vix ſatis dici poteſt, quantopere Monachi Catholicis ſuis commendent!

X. 1. *Eſt conſcientiarum carnificina*: Namque 1. vult neceſſario aperiri non *venialia* (*ea enim confitendi nulla eſt obligatio,* inquit Buſenbaum *M. Theol. Moral. lib. 6. T. 4. c. 2.*) ſed tantum peccata mortalia: quotusquisque vero diſcrimen hoc dextre ſtatuet? maxime cum variis modis, docente eodem Jeſuita *l. 5. c. 2.* contingere queat,

ut peccatum ex genere suo veniale transeat in mortale. Ne jam addam, inter ipsosmet Pontificios, in quo peccatum veniale constituendum sit, non convenire: quibusdam illud *præter* non *contra legem* (inter quos est Bellarminus *lib. 11. de amiss. gr. c. 11.* & Thomas *1. 2. q. 87. art. 5.* quibus se opponit Vasquez *1. 2. Thom. disp. 143. c. 3)* aliis vero esse *contra legem*, (in quorum numerum refertur Durandus, Cajetanus, & Vegas, citante Asorio *Inst. Moral. lib. 4. c. 8.*) asserentibus. Aliis denique, qui mediam sententiam excogitarunt (quorum numerum auget Gerson *3. part. de vit. sp. an. lect. 1.* & Almainus *Moral. Tr. 3. c. 20.*) adversus alios contendentibus, *omnia peccata esse natura sua mortalia, sed quædam esse venialia ex Dei voluntate.* Hinc ipse Bellarminus *lib. 1. de amiss. gr. c. 3.* ait. *De Discrimine peccati mortalis & venialis non levis controversia est.* Si ipsi Doctores adhuc de hoc discrimine litigant, incerti, ubi pedem figant; quid ergo de Laico, quem vocant, dicemus? quomodo ille se hinc expediet? annon sæpe contingere potest, ut *mortale* negligat sub opinione *venialis*? Quid? si penes confitentem est judicare, quid sit *veniale*, quidve *mortale*, annon facile fieri potest, ut maculatus *peccato mortali*, sibi ipsi adulando, illud pro *veniali* venditet? (2) Cum intentio ministri sit de essentia omnis Sacramenti *juxta C. Trid. Sess. 7. can. 2.* ita ut, si illa absit, Sacramentum sit *irritum & nullum*: unde confitens de remissione impetrata certus esse potest? semper utique dubius hæreat, oportet: cum ei intentio Sacerdotis sit impervestigabilis. Quin, si vel maxime certus esset de Sacerdotis intentione: unde ipsi constabit, Sacerdotem ab Episcopo rite ordinatum esse (de quo & ipse Sacerdos non potest esse certus: imo incertus est, an ipse sit Christianus, cum nesciat, quæ Episcopum, à quo ordi-

ordinatus, & Sacerdotem, à quo fuit baptizatus, subierit intentio. Clara in hanc rem sunt verba Bielis sect. 49. in Can. Miss. *Nullus Sacerdos*, inquit, *potest evidenter scire, se esse baptizatũ aut legitime ordinatum*) deficiente autem legitima ordinatione sacerdotem legitimum non esse adeoque confitentem legitime absolvere non posse, apud Pontificios est in cõfesso. Ut jam nihil addam de scrupulis, quos irregularitas (quæ est, definiente Laymanno, *impedimentum*, *quo minus quis ordines suscipere aut susceptis uti possit.* Irregulares autem sunt 1. hermaphroditi, 2. destituti pollice vel indice. 3. Lusci, carentes sinistro oculo. 4. Eunuchi, nisi genitalia de Zona dependula gestaverint, in pulverem contrita: At Cynædus & præpostera libidine infamis censetur habilis, teste Navarro *Tom. 2. in Cap. Inf. 23. q 35.* Filii & nepotes hæreticorum, nisi obtinuerint à Papa dispensationem. Unde ut possent evitare sacerdotium, Evangelistam Marcum sibi pollicem & S. Ammonium sibi aurem amputasse, refert Bened. Fischerus *Centif. Myst. Conc. 5. p. 42.*) confitentium conscientiis injicere potest. Agnoscit has confitentium anxietates post Medinam Vasquez *in 3. p. Thom. q. 90. art. 1.* Imo ipse Adrianus VI. ab eo citatus, dum ait; *Non est certior via confessionis; imo est minus certa; quia ex parte Sacerdotis absolventis multa incerta sunt. An sit sacerdos: an habeat potestatem & jurisdictionem: an habeat intentionem &c.*

XI. 1. E*st perniciosa & perniciosa tranquillitati & secretis aularum, consiliorum & familiarium,* Hinc enim sacrificulorum auctoritas & divitiæ non modo mirifice crescunt, sed etiam in familiarum occultas sordes ac in Regum & Principum occulta penetrant, quippe *scire volunt secreta domus atque inde timeri.* Atque ita non Magistratus tantum & imperia terrori Papæ subiguntur, sed

etiam Regum & Principum vita in anceps diſcrimen adducitur, dum creditur, *præſtare omnes Reges occidi, quam vel ſemel ſigillum confeſſionis revelari*, quæ, teſte Cauſabono *in Ep. ad Eudæm- Ioh.* quondam Jeſuitæ Bineti vox fuit: à qua nec ipſe Jeſuita Eudæmono-Johannes abit, cùm *Apol. pro Graneto cap. 13.* ait. *Nullum tantum poteſt eſſe malum, cujus vitandi cauſa confeſſionem prodere liceat* **Der Priester muß schweigen/** inquit Elffius *l.c.Tr.4. c. 1*, **Wie einer/ der 100 Schlösser auff dem Mund hat.** Aſſentitur Laymannus *Th.Moral. l.5.T.6.c. 15*, aliique ab ipſo citati caſuiſtæ. Ergo ſi confeſſario conſilium innotuit in necem Regis & Principis, debet potius pati ſuum Regem & Principem, imo etiam proprium patrem & matrem occidi, quam ſigillum confeſſionis revelare. Hem Caſuiſtas conſcientia carentes! Oportet utique, ſit bipedum nequiſſimus, in cujus ſinum tutò deponuntur conſilia parricidii & proditionis patriæ. Summa quidem fide erga parricidas & perduelles, ſed in Regem, Patrem, patriam ſumma perfidia. Cum tamen perjurium lege Dei vetetur, & honor, obedientia ac fides erga patrem & Regem verbo Dei præcipiatur: at de ſigillo confeſſionis altum in ſacro codice ſit ſilentium.

XII. Interim tamen apud Jeſuitas tantæ ſanctitatis res non eſt confeſſionis ſigillum: ut non aliquo in caſu queat refigi. De hæreſi quid ſentiant, conſtat ex illo trito. *Hæreſis eſt crimen, quod non confeſſio celat.* Dixerat quondam Sacrificulus; *Si Chriſtus mortalis in his terris verſaretur & aliquis ſibi confeſſus eſſet, ſe mortem illi machinari, ſe malle pati, ut Chriſtus occidatur, quam confeſſionis ſigillum refigere.* Quod auditu horrendum apophthegma defendere haud dubitat Perronius *lib.adv.Reg.Britann.c. 7.* At ſi quis Jeſuitis confiteretur, ſe Papæ coronam attigiſſe,

giſſe, caveat: tum enim in majori verſaretur diſcrimine, quàm ſi verbum Dei corrupiſſet.

XIII. Cum vero accidere non nequeat, ut confeſſarii dehujus vel illius confeſſione interrogentur (ſic narrat Navarrus l.c. mulierem quandam nobilem confeſſam eſſe ſacerdoti adulterium, id autem cum ſuboluiſſet ejus marito, traxiſſe ſacerdotem in eremum, & admota gutturi ſica mortem minatum eſſe, niſi uxoris confeſſionem aperiret) Jeſuitæ opportuno remedio proſpexerunt, ne quid inde detrimenti ordini ſuo inferatur, nimirum æquivocationibus in reſpondendo & ſuppreſſione mentali, negando ſe quicquam inaudiiſſe unquam de hac vel illa re, ſed ſupplendo tacite, *ut tibi dicam* aut *revelem. Si crimen omnino occultum eſt,* inquit Toletus *lib. 4. de Inſtr. c. 21. de quo quis interrogatur, tum æquivocatione uti poterit in reſpondendo, neſcio: intelligendo tamen intra ſe, ut tibi dicam.* Similia occurrunt apud Laymannum & alios. Imo juxta Jeſuitam Sa & Buſenbaumium l.c. & Ekium *de Confeſſ. Hom. 46.* Confeſſarius jurare poteſt, ſe nihil tale audiviſſe in confeſſione, ſubaudiendo, *quod dicere poſſit* vel *teneatur.* Eximium ſcil. oppidoque argutum Jeſuitarum inventum! Hac ratione fas erit Chriſtiano Religionem ſuam ejurare coram judice Ethnico, dicendo; *Non ſum Chriſtianus*, ſed ſupplendo tacite ſecum, *ut tibi dicam.* Si Apoſtolus Petrus Jeſuita fuiſſet, potuiſſet Chriſtum abnegare, & nihilominus fidiſſimus ipſius diſcipulus manere.

XIV. n. *Eſt nova & Eccleſiæ primitivæ incognita,* teſte Polydoro Vergilio *lib. 6. c. 1.* & Gratiano *C. in pænit. diſt. 5.* In Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. an. 1215. primum in Eccleſiam introducta & decreto confirmata fuit, quod poſtea auxit Synodus Tridentina *Seſſ.*

14. Ante hoc tempus nullum de ea extitit præceptum in Ecclesia. Quemadmodum ex Gratiano, *de pœn. dist. 1. cap.* qui annis quinquaginta ante Concil. Lateranense vixit, constat. Quin ipse Lombardus *lib. 4. sent. dist. 17.* agnoscit, quod circa hanc quæstionem; *An alicui sufficiat confiteri Deo sine sacerdote* (ad quam paulo post pro affirmativa multa congerit testimonia Chrysostomi) *docti diversa sentire* suo tempore *invenirentur*. Desinat ergo dicere D JCtus, Confessionem illam â Christo institutam & tempore Apostolorum usitatam fuisse. Quam fuerint libera & diversa citerioribus seculis de confessione judicia, indicat Auctor glossæ *de pœnit. dist. 5. Dicunt*, inquit, *quidam, institutam fuisse in paradiso statim post peccatum. Alii dicunt, quod sub lege fuit primo instituta, quando Josua præcepit Achan crimen suum confiteri. Alii dicunt, quod in N. T. à Jacobo, &c. sed melius dicitur, eam institutam fuisse à quadam Ecclesiæ universalis traditione potius quam ex N. vel V. Testamenti auctoritate.* Bonaventura *in 4. sent. dist. 17. part, 2. art.* 1. prætendit, eam ab Apostolis, non à Christo esse institutam: cui (licet Canonizato Sancto) contradicere non erubescit D. JCtus noster, eam ab ipso Christo deducens. En Cadmèos fratres!

XV. Apud veteres duplicem confessionem in usu fuisse *publicam* & *privatam*, agnoscimus, nec improbamus, cùm etiamnum hodie apud nos obtineat. Si enim peccatum est publicum, convenit, ut publice quoque agnoscatur, quo publicum scandalum auferatur 1. Tim. 5. 20. At quid hoc ad rem tuam D. JCte? Probandum tibi juxta promissa, in Ecclesia primitiva obtinuisse Confessionem vestram auricularem. Ad Clementis Romani Epistolas frustra provocas, cum illæ, ut rectè monent à te citati Centuriatores, supposititiæ sint, eique

falso

falso adscribantur; Probat id pluribus Celeb. Rivetus noster *Crit. Sacr. lib. 1. c.8.* Et fatetur ipse Baronius *Annal. Tom.2.an.102.sect.6. Epistolas illas, quæ Clementis nomine editæ habentur, diversi plane generis esse ab eis, quarum meminerunt Hieronymus & Epiphanius & quæ*, ut addit, *magno Ecclesiæ damno perierunt.* Frustra etiam provocas ad alios vetustos Patres Cyprianum Tertullianum, Ambrosium, Hieronymum & alios: nam 1. loquuntur illi quidem l.c. de confessione, sed publica, non auriculari, non Sacramentali & sacerdotalis silentii sigillo obsignanda. Vide hoc pluribus demonstrantem Forbesium nostrum *Instr. lib. 12. c.5.* Huic confessioni publicæ in Ecclesia Græca adjuncta quidem fuit secreta, qua Sacerdoti peccata graviora libere aperiebantur: at non diu obtinuit hic mos, sed à Nectario, Ambrosii contemporaneo, (teste Socrate *lib.5. Hist. Eccles.c.19.* & Sozomeno *lib.7. c.16.*) abrogatus est, abrogationem illam ratam habentibus Chrysostomo, aliisque Orientis Episcopis. Dicis, *Nectarium publicam, non vero secretam, quæ facta fuerit sacerdoti, confessionem abrogasse*: At hoc falsum est: nam ipse, juxta testimonium Socratis & Sozomeni, *consulentibus quibusdam, unicuique liberum permisit, prout sibi conscius esset & confideret, ad mysteriorum communionem accedere.* Sustulit ergo secretam confessionem, quæ fiebat Sacerdoti; noluitque, ut sibi quisque eligeret privatum Sacerdotem pro conscientia, ut Pontificii solent. Quid? Nectarium abstulisse confessionem secretam, docent ipsi Theologi vestri (à quibus proinde informandus es) Sotus *in 4. dist. 18. 4.1. art. 1.* Canus *in Relect. de pœnit. p.5.* Waldensis *2. Tom.c.141.* (2) Si vel maxime quid ex illis Patrum testimoniis extundere posses, probares quidem

Eccle-

Ecclesiæ, illorum tempore, consuetudinem: nullo modo autem juris divini necessitatem.

XVI. Dicit quidem Christus ad discipulos suos: *Accipite Spiritum Sanctum: Si quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, si quorum retinueritis, retenta sunt.* Joh. 20. 22. 23. &c. Sed non dicit, *Si quorum remiseritis peccata, in aurem vobis enumerata.* Nec etiam; *Si quorum remiseritis peccata, judiciaria potestate.* Si verba adeo clara sunt in rem vestram, ut scribis, velim ergo, vel minimum mihi ostendas ex illis de Confessione vestra auriculari: Quæ enim, quæso, consequentia, *Dominus dedit Apostolis, eorumque in præconio Evangelico successoribus potestatem peccata remittendi & retinendi*: Ergo dedit ipsis *potestatem judiciariam*: vel *ergo ipsis peccata sunt enarranda in aurem*? Non admittit eam ipse vester Gabriel Biel, dum 4. *Sent. dist.* 17. *q.* 1. scribit, *dari Apostolis potestatem judicandi, sed non imponi peccatoribus necessitatem confitendi.* Dices cum Jesuitis tuis, *sententiam absolventem præsupponere cognitionem peccati*: at frustra: nam id demum obtinet in iis, qui proprie judices agunt & à quibus sententia emanat: non in Præconibus: illi enim sententiam promulgant, destituti licet speciali criminum notitia. Et quid? annon Ministri in Baptismo, juxta Jesuitarum confessionem, remittunt omnia peccata, etsi nulla eorum speciali præditi sint notitia?

XVII. Rides Catechesin nostram, dum *quæst.* 83. claves regni cœlorum *ad prædicationem Evangelii* refert: at nos ridemus ridentem, donec Catechesin falsitatis convincat: Sed en dolum viri! dicit, Catechesin docere, *claves regni cœlorum consistere tantum in prædicatione Evangelii*, cùm expressè adjungat *disciplinam Ecclesiasticam*, ad quæstionem 83. *Quid sunt Claves regni cœlorum?* ita respondens; *Prædicatio Evangelii & Ecclesiastica disciplina,*

quibus

quibus cœlum credentibus aperitur, infidelibus autem clauditur. Sunt itaque, juxta Catechesin, clavium partes præcipuæ duæ I. *Prædicatio Evangelii,* II. *Disciplina Ecclesiastica.* Utraque parte Ecclesia *claudit & aperit, ligat & solvit.* Prædicatione verbi claudit & ligat, infidelibus & hypocritis, *iram Dei,* donec resipiscant, *denuntiando*: aperit verò & solvit, fidelibus & resipiscentibus *annuntiando remissionem peccatorum & gratiam Dei propter Christum.* Disciplinâ Ecclesiasticâ claudit & ligat *facinorosos & contumaces excommunicando*: aperit verò & solvit, *eosdem,* si resipiscant, *recipiendo.* Probat hæc Catechesis *ex Ioh. 20. 22. 23. Matth. 16. 19. Matth. 18. 17. 18.* Dicis, *de annunciatione nec locis citatis nec alibi in Scriptura quicquam memorari.* Non? Ad quid ergo Christus emisit Apostolos suos? *annon ad annuntiandum & prædicandum Evangelium*? Marc 16. 15. Annon Paulus dicit; *Sic de nobis reputet homo, ut de Ministris Christi & dispensatoribus mysteriorum Dei, 1. Cor. 4. 1.*? Si ergo Apostoli fuerunt ministri Christi, si fuerunt missi ad annuntiandum Evangelium, quò hæc verba Christi ad ipsos dicta; *Si quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, si quorum retinueritis, retenta sunt,* aliter pertinebunt, quàm ad ministerium verbi & sanctæ disciplinæ exercitium? Ostendat nobis D. JCtus, ubi Apostoli, quibus hæc dicta sunt, uspiam ejusmodi Sacramentum administrârint, in quo ipsi peccatorum in aures sibi demurmuratorum & satisfactionis & contritionis merito expiatorum, judices se gesserint? Dicis, *ejusmodi potestatem clavium etiam à quovis Laico exerceri posse.* ℞. Oppone Christo, qui hanc publicam (ministerialem) potestatem non cuivis Laico, sed solis Apostolis & eorum in præconio successoribus concessit. Cur

non etiam Laici baptiſmum ordinariè apud vos miniſtrant, cùm id non minùs poſſint?

XVIII. Quamvis doceamus *ſolam fidem juſtificare*, non tamen docemus, *ſolitariam fidem juſtificare*, id eſt, *ſeparatam à cæteris virtutibus*, cùm ſic ne quidem ſit vera & viva fides. Hanc fidem, *per charitatem operoſam* requirimus cùm Paulo Gal. 5. 6. (non enim negamus coexiſtentiam bonorum operum cum fide in eo, qui juſtificatur, ſed cooperationem in juſtificatione). Ad quid ergò cumulus locorum, quibus probare vis *ſolam fidem*, i. e. ſeparatam à bonis operibus non ſufficere. Quaſi verò ullus Reformatorum hoc unquam docuerit! Pudeat Virum in Reformata Religione natum & educatum Reformatam Religionem vel non meliùs intellexiſſe, vel excuſſa conſcientia Reformatis tam aliena affingere. Ad locum interim Jacobi c. 2. 24. & alia partim modò reſponſum, partim etiam infra cap. 12. reſpondebitur. Sed en, quā miſerè illaqueĕur à D. JCto. *Si ſola fides*, inquit: *juſtificat: Ergo non prædicatio Evangelii: Atqui verum antecedens juxta eandem Catecheſin quæſt. 60. Ergo & conſequens.* ℞. Si ſola fides juſtificat oppoſitè & excluſivè ad prædicationem Evangelii, Ergò non prædicatio Evangelii: Sic do conſequentiam, ſed nego Minorem: nam cùm Catecheſis docet, *ſolam fidem nos juſtificare*, non intelligit id excluſivè vel ad gratiam Dei vel juſtitiam Chriſti vel prædicationem verbi & Sacramenta, quibus juſtificationis beneficium nobis offertur & obſignatur *à parte Dei*: ſed duntaxat excluſivè ad omnem aliam virtutem *à parte noſtri*. Addis, *ſi per prædicationem verbi peccata remittuntur, Ergo non opus eſt fide*. Eximia conſequentia: cur non ſic concludis; *ſi Patres confeſſarii peccata remittunt: Ergò non opus eſt confitente*? Per verbum à Deo nobis

nobis offertur justificationis beneficium, sed per *solam fidem* apprehendimus & nobis applicamus. Num hæc pugant D.JCte?

XIX. Pergis, *si Reformatus juxta Catechismum suum sola fide justificatus & à peccatis absolutus est, qui igitur prædicatio verbi remissionem peccatorum, à quibus eum ante modo fides ejus liberavit, ei adhuc semel operari potest? quod fides semel donavit, id non necesse per prædicationem verbi de novo donari.* Argutè! Catholici tui, confessi credunt, sibi remissa esse omnia peccata, & tamen adhuc precantur in Oratione Dominica; *Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris.* Si peccata ipsis sunt remissa, cur ergò adhuc rogant remissionē? Respōde D.JCte? Aliud est, justificationē sæpius applicare: aliud eandem sæpius iterare. Iustificatio et sic remissio peccatorum nostrorū simul & semel peragitur, cum homo primùm incipit credere fide salvifica: at ejus applicationem perceptibilem & consolatoriam super peccatis identidem commissis, atque adeo ejus sensum in conscientia, quia sæpius peccamus, nos sæpius iterare oportet, adeoque dicere ex præscripto Christi; *Remitte nobis debita nostra.*

XX. Exemplum *turgidi illius juvenis, perfectam legis observationem Pharisaicè jactantis Matth. 19. 17. & seq.* quàm frustra urgeas, ostensum modò suprà. Fuit ille magnus hypocrita, ut patet ex eo, quòd jussus à Christo *abire, vendere omnia & dare pauperibus*, tristitiâ affectus abiit, ostendens se magis diligere divitias quàm Christum: Si jam D. JCto hunc turgidum socienum in numerum Catholicorum suorum recipere lubet, per nos licet.

XXI. Ad liberos & eos, qui inter Papistas habi-

tant destituti Religionis exercitio, quod attinet, verâ tamen fide præditi esse possunt, licet verbum Dei prædicari non audiant: cùm verbum Dei domi privatim legere queant: utpote quod sive prædicatum, sive lectum, est, teste Paulo Rom. 1. 16. *potentia Dei cuivis credenti ad salutem.* Vult quidem Deus verbum suum ordinariò ad fidem augendam & confirmandam, prædicari: hinc idem Apostolus ait, *placuisse Deo salvos facere credentes per stultitiam prædicationis, 1. Cor. 1. 21. Et fidem esse ex auditu, auditum autẽ ex verbo Dei, Rom. 10. 17.* At nõ hoc sensu, quasi ipse *opus fidei ἐν δυνάμει non impleat* etiam in illis, qui citra culpam suam ad publicum verbi auditum venire non possunt. At inquis, *si ita parentes inter Pontificios habitantes aut Ludimagistri liberos informatione sua ad fidem perducant, iisq; credentibus peccatorum remissionem annuntient, usurpabunt claves regni cœlorum.* R. 1. Sperem te scire distinguere inter institutionem privatam & concionem publicam. 2. Usurpent, quid tum? usurpant privatim, non publicè: Annon cuilibet privato est libertas proximum suum docendi, eumque monendi & redarguendi, si fortè quid mali committat, adeoque annuntiandi nomine Christi, cœlum ei esse clausum, nî resipiscat: apertum autem, si pœnitentiam agat? Dicis, *potestatem clavium concessam esse solis Apostolis eorumque successoribus,* R. At hoc ita absolutè dictum falsum esse, liquet illis ipsis, quæ à te citantur, locis Matth. 16. 19. Matth 18. 17. 18. ubi claves regni cœlorum promittuntur Petro & in ejus persona toti Ecclesiæ, utpote in cujus nomine responderat ℣. 15. Et Matth. 18. 17. Christus dat Ecclesiæ potestatem ligandi & absolvendi. Haud imus inficias, ab Ecclesia hoc jus exerceri per Pastores, sed in eo à Pastoribus exercetur jus, quod est *radicaliter* totius corporis,

ris, *ratione usus tantum & exercitii publici* Pastorum. Quæ addis, sunt meræ priorum repetitiones, adeoque ulteriori responso indigna;

XXII. *Hanc Evangelicorum doctrinam esse novam & ante tempora Lutheri inauditam*, miror, quòd D. JCtus asserere non erubescat. Audi B. Hieronymum. *Funibus*, inquit ille in Esaiam lib. 6. c. 14. *peccatorum suorum unusquisque constringitur, quos funes atque vincula solvere possunt & Apostoli, imitantes Magistrum suum, qui eis dixerat, quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo: Solvunt autem eos Apostoli sermone Dei & testimoniis Scripturarum & exhortatione virtutum.* En doctrinam nostram longè ante Lutheri tempora usitatam! Cohorruissent certè olim Christiani, ut ad rem nefandam, si veteris Ecclesiæ presbyter cum hodiernis Sacrificulis vestris ad pœnitentem dixisset; *Absolvo te à peccatis tuis.* Venit olim mulier quædam (ut narratur *in vita Basilii M. script. ab Amphilochio*) ad Basilium petens remissionem peccatorum: quid autem Basilius? dixitne cum hodiernis Sacrificulis, *absolvo te à peccatis tuis?* neutiquam. *Intellexistine* ait *ô mulier, neminem posse remittere peccata, nisi solum Deum.* At juxta hodiernos Sacrificulos nemo absolutus erit, nisi ipsi judicialiter absolverint. Qua in re quàm longè abeant à sana antiquitate, pluribus demonstratum vide apud Cl. Forbesium *Institut. lib. 12. c. 5.* Disce interim, quàm suavis sit hac super re inter Doctores vestros harmonia, ex Papa Hadriano VI. *Difficultas*, inquit 4. 5. Quodlibet 1. Cor. fol. 32. *magna est inter Doctores, an claves sacerdotii se extendant ad culpæ remissionem. Et certe probatissimi Theologi senserunt, quod non Magister sententiarum dicit, quòd N. B. Sacerdotibus non concessit Deus potestatem dimittendi peccata seu ligandi, sed*

ostendendi homines ligatos & solutos. In culpis igitur retinendis & solvendis Ecclesiasticus idem facit, quod in leproso olim legalis &c. At hodie Sacrificuli omnes evaserunt Domini & judices. *Si quis dixerit*, inquit Conc. Trid. sess. 14. c. 9. *absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi & declarandi remissa esse peccata confitenti, modò tantum credat &c. anathema sit.*

XXIII. Progreditur jam D. JCtus noster à Confessione auriculari ad indulgentias: nos progredientem sequemur. *Indulgentias* vocant Papicolæ, teste Bellarmino lib. 1. de indulg. c. 1 *remissiones pœnarum, quæ sæpe remanent luendæ post remissionem culparum & reconciliationem in Sacramento pænitentiæ adeptam; quas remissiones summi Pontifices ex paterna lenitate & condescensione in filios suos, compatientes eorum infirmitati, certis temporibus & non sine justa aliqua & rationabili causa concedere solent.* En suavem indulgentiarum descriptionem! sunt *remissiones pœnarum &c.* sed quarum? num forte *æternarum* peccatis debitarum? nequaquam: circa has non versatur indulgentia Romana: an *naturalium?* Nec hæ sunt indulgentiæ Romanæ materia: an denique earum, quibus *Deus eos, quos diligit post peccatum* (adeoque pœnæ impropriè dictæ sunt) *castigat Heb. 12. 6.*? Etiam non. Quarum ergo? *earum tantum, quæ in foro pænitentiario infliguntur.* Audi eundem Bellarminum. *In libro superiori*, inquit l. 2 de Indulg. c. 1. *demonstravimus, per indulgentias non remitti pœnas naturales, quæ sequuntur Originale peccatum & toti generi humano sunt communes: sed pœnas duntaxat, quæ sequuntur peccata personalia, & eas non omnes, sed eas tantum, quarum sumus rei in foro pænitentiario, non autem eas, quas debemus in foro externo. Porro pœna, quarum fit mentio*

tio in Psal. 88. & in Epistolis ad Corinthios & ad Hebraos, ad forum externum pertinent; infliguntur enim à Deo tanquam judice in externo & criminali foro. Nam si non potest indulgentia tollere pœnam, quâ prætor aliquem mulctavit ob furtum vel homicidium, quanto minus tollere poterit eam, quam Deus ipse alicui decrevit? quam igitur, inquies, pœnam tollit indulgentia? illam, quæ in foro pœnitentiario infligitur, quæ VOLUNTARIE adimpletur &c. Hæc enim est, per quam Domino satisfacimus, & cui succedit, nisi in præsenti Domino satisfiat, purgatorii pœna. Rem egregiam! Frustra ergo Papicolæ, quotquot se indulgentiarum ergò Romam conferunt, ibi culpæ suæ remissionem per indulgentiam exspectant: hanc enim indulgentia præsupponit. Quid ergò ibi exspectant boni Catholici? remissionem pœnarum in foro pœnitentiario injunctarum: id est, postquam iis confessarius injunxit *orationes, eleëmosynas, jejunia, similesque satisfactiones*, quas Conc. Tridentinum Sess. VI. 14. vocat *fructus dignos pœnitentiæ*, ab iis eos liberant indulgentiæ Romanæ, ac proindè relaxant studium eleëmosynarum, precum, jejunii, seu *fructus dignos pœnitentiæ*, quos tamen Johannes Baptista tanquam necessarios & prædicavit & imperavit Luc. 3. 8. En dignitatem indulgentiarum Papalium! Possunt illæ homines liberare à studio bonorum operum: Ergò dum Sanctissimus Pater Romanus *filiis suis* largitur indulgentias, eos (& quidem *ex paterna lenitate*, ut loquitur Bellarminus l. c.) cohibet à bonis operibus; & illi, dum adipiscuntur indulgentias, adipiscuntur pivilegium, ne quis teneatur *facere fructus pœnitentiâ dignos.*

XXIV. Sed num hoc tantum? tot forte merx ista Papalis non inveniret mercatores, nisi adhuc alio nomine commendaretur: quonam atem? extinguunt

etiam

etiam indulgentiæ flammas purgatorii: quis ergò non emat, maximè cùm docentibus Jesuitis, flamma purgatorii flammam inferni adæquet, eique non cedat, nisi duntaxat ratione durationis? Emite ergò, quotquot flammas purgatorii (à Papis accensi) effugere vultis! Sed ne obliviscimini pecuniæ. Non enim obtinet in foro Papali illud Jesaiæ cap. 55. 1. *Venite & emite sine pecunia. Reddit* (hunc) *mercatum numerata pecunia gratum. Si quis forte* (sic legitur in Decreto Burchardi lib. XIX. 19.) *non potuerit jejunare & habuerit, unde possit redimere, si dives fuerit, pro 7. hebdomadibus det solidos viginti. Si non habuerit, unde totidem dare possit, det solidos decem. Si autem multum pauper fuerit, det solidos tres.* Postquàm *Taxa Sacra Pœnitentiaria* prodiit, jam nullum tam tetrum & horrendum excogitari potest scelus, cujus venia parari non potuerit, aut absolutio ac dispensatio non impetrari, dummodo pecunia ad eam rem pro ratione Taxæ necessaria interveniret. Audiamus ex ea quædam tantum. *In secundo consanguinitatis vel affinitatis gradu* (sic legitur in ejus titulo de *Causis matrimonial.*) *dispensatur tantum per Signoriam Papæ, aut sede vacante per Summum Pœnitentiarium: & taxa est turonensium 50. duc. 12. Karl. 6. In primo gradu affinitatis dispensatur in foro conscientiæ tantum, & taxa est turon. 30. duc. 7. Karl. 6. &c.* Titulo *de Bestialitate* ita legitur. *Si vero cum illis petatur absolutio, etiam à crimine commisso contra naturam, vel cum brutis, cum dispensatione, ut supra, & cum inhibitione turon. 90. duc. 12. Karl. 6. Si verò petatur tantum absolutio à crimine contra naturam vel cum brutis, cum dispensatione & cum inhibitione turon. 36. duc. 9. Absolutio pro moniali, quæ se permisit à pluribus cognosci intra & extra septa Monasterii, cum rehabilitate ad dignitates illius ordinis, etiam abbatialem turon. 36. duc. 9.*

Abso-

Absolutio pro concubinario cum disp. ad ordines & beneficia turon. 21. duc. 5. Karl. 6. & cum inhibitione tur. 36. duc. 9. &c. Quid quæso est sceleratis ad plura scelera fenestram & januam aperire, si hoc non est? sed en *paternam* Patris Sanctissimi in filios suos *lenitatem!* Non præteritis duntaxat, sed futuris etiam peccatis indulgentiarum φάρμακον & olim applicare suevit & hodie solet. Audiamus unius Ecclesiæ Lateranensis indulgentias. *In ea* (sic liber *de Stationibus Romæ* Anno MCCCC LXXV. Romæ post ejusdem sec. Ann. XCI. Norimbergæ editus) *quotidie distribuuntur 48. anni indulgentiarum, & totidem quadragena ac remissio tertiæ partis omnium peccatorum. Unde Bonifacius: Si quis ad sedem nostram Lateranensem devotionis, orationis aut peregrinationis causa venit, ille absolvetur ab omnibus peccatis. In Capella, quæ vocatur Sanctum Sanctorum, quamque mulieribus non ingredi licet, est vera & plenaria remissio omnium peccatorum. In eadem Capella sunt gradus 28, qui steterunt ante domum Pilati in Hierusalem: quicunque hos gradus ascenderit cum devotione, habet pro quolibet gradu 9. annos indulgentiarum & totidem quadragenas ac remissionem tertiæ partis omnium peccatorum. Qui verò geniculando gradus illos ascendit, unam animam, pro qua orat, liberat ex purgatorio. In die dedicationis, qui vocatur dies Salvatoris, est ibi plena remissio omnium peccatorum à culpa & à pœna. Cumque Papa primùm indulgentiam ibi largiretur, Angeli, præsente populo, dixerunt Amen! Item quando capita Petri & Pauli ibi ostenduntur, tunc Romani habent indulgentiam 3000. annorum, vicini 6000. qui è longinquo venerunt 12000. &c.*

XXV. Quibus autem conceduntur hæ Papales indulgentiæ? num etiam iis, qui destituuntur nummis?

Neutiquam: sunt quidem Romæ teste Mantuano omnia venalia.

(*Templa, Sacerdotes, Altaria, Sacra, Corona, Ignis, Thura, Preces, Cœlum est venale Deusque*)

Sed interveniente pecuniâ: *Nota diligenter* (sic legitur in *Taxa Cancell. T. de matrim. fol. 23.*) *quòd hujusmodi gratiæ non conceduntur pauperibus: quia non habent, ideo non possunt consolari.* Audi hac super re querelam Espensæi vestri. *Prostat* inquit ille in Epist. ad Tit. c. 1. *& in quæstu pro meretrice sedet liber palam ac publicè hîc impressus, & hodieque, ut olim, venalis, Taxa Cameræ seu Cancellariæ Apostolicæ inscriptus, in quo NB. plus scelerum discas licet, quàm in omnibus omnium vitiorum summistis & summariis, & plurimis quidem licentia, omnibus autem absolutio empturientibus proposita, parco nominibus, nam, quod ait nescio quis,* Nomina sunt ipso pene timenda sono. *Mirum hoc tempore, hoc schismate, non suppressum tot tamque fædorum, tamque horrendorum scelerum velut indicem adeò infamem, ut non putem in Germania, Helvetiâ & ubicunque à Romana fide defectum est, opus prostare majore hujus scandalo, adeò tamen non supprimitur ab Ecclesiæ Romanæ fautoribus, ut tantorum ac talium facinorum licentiæ ac impuritates, in facultatibus legatorum illinc huc venientium, bona ex parte innoventur, atque confirmentur, adversus* (si Deo placet) *quacunque fatalia restituendi, ac etiam quoscunque spurios, Mamseres, Bastardos, ex quocunque illicito coitu &c. cum his, qui se per adulterium polluerint, ut connubere possint, perjuros, Simoniacos, falsarios, raptores, usurarios, schismaticos, hæreticos, sed ad cor reversos, non absolvendi tantum, sed & ad ordines, honores, dignitates &c. dispensandi &c. Habeat jam Roma pudorem & tam nullius frontis criminum omne genus catalogum prostituere desinat.*

XXVI. De-

XXVI. Desinat ergo & D. JCtus hancce *indulgentiam* (potiùs *emulgentiam*) nobis commendare, tanquam perquàm bene fundatam in Sacra Scriptura! Cujus illa sit coloris ac valoris, adeòque quàm conformis Sacræ Scripturæ, ex dictis patet abunde, inprimis ex supra datâ descriptione Bellarminiana. Supponit *illa* 1. (ut bene notat Amesius noster contra Bellarminum *Bellar. Enerv. lib. 6. c. 1.*) *Remissionem culpæ, remanente pœna.* 2. *Remissionem & culpæ & pœnæ, ab homine pro arbitrio suo factam.* 3. *Sacramentum novum ab homine introductum.* 4. *Summos Pontifices cum auctoritate monarchica, etiam in spiritualium rerum dispensatione.* 5. *Posse Pontifices istos de jure Dei remittere ac dispensare.* 6. *Lenitatem h[illegible]rum Pontificum majorem esse, quàm quæ in Sacramentis exhibetur.* 7. *Hæc omnia pendere ex rationabili causa, id est, eatenus fieri, quatenus Papæ & asseclis ejus prosunt.* Hæc ne conformia sunt Sacræ Scripturæ D. JCte? Næ omnia ritè expensurus vix ullum totius Theologiæ inveniet caput, quod non per indulgentiarum doctrinam lædatur! ut non sine singulari Dei providentiâ Zwinglius & Lutherus (ille Anno 1516. hic 1517.) stabulum papale purgaturi istis indulgentiis destruendis primam admoverint manum.

XXVII. Sed audiamus, quî à D. JCto indulgentiæ ex Scripturâ probentur. *Annon*, inquit, *Christus dicebat ad juvenem, qui mandata Dei à juventute sua servaverat Matth 19, ut ad salutem & indulgentias consequendas, omnia venderet, pauperibusque daret, sic eum fore perfectum & integrum coram Deo?* Sic est D. JCte, dicebat Christus ad juvenem illum, *abi, vende omnia & da pauperibus & habebis thesaurum in cœlo.* Sed vellemus probari, ubi Christus dicat, eum debere hoc facere *ad acquirendas sibi indulgentias?* quid? annon juvenis ille secundum te

 perfe-

perfectè Præcepta servârat à juventute ? hoc autem si verum, quî Christus dixisset ei, *vende omnia* ad acquirendas tibi indulgentias? Annon *indulgentiæ*, definientibus Jesuitis, *sunt relaxationes & remissiones pœnarum temporalium , quæ homines in hoc mundo vel in purgatorio manent?* quî autem hunc juvenem potuissent manere pœnæ temporales vel in hoc mundo vel in purgatorio , cùm fuerit sine peccato (qui enim perfectè servat legem, non peccat 1. Joh. 3.) nulla autem queat esse pœna peccati, ubi non est peccatum. En ergò, quàm causæ tuæ conveniens attuleris exemplum! Num provocabis ad pœnas temporales, quæ sequantur peccatum originale? frustra , cùm suprà audiverimus Bellarminum dicentem, *per indulgentias non remitti omnes pœnas , sed eas tantum, quarum* Papicolæ *in foro pœnitentiario rei sint.*

XXVIII. Ad verba Petri Act. 2. 38. dicentis; *Resipiscite & baptizetur unusquisque vestrum in nomen Iesu Christi in remissionem peccatorum & accipietis donum Spiritus Sancti*, æquè frustra provocas: nam ubi hic vel minima indulgentiarum mentio? Ubi Petrus, primus juxta vos Papa, bullæ suæ hîc meminit ? Sed disjiciant in fugam Catholicum JCtum Catholici Theologi. *Multos fortasse movet*, inquit Episc. Roffensis Artic. XIII. contra Luther.) *indulgentiis non multum fidere , quòd earum usus in Ecclesia videatur recentior & admodum serò repertus inter Christianos. Quibus ego respondeo, non certò constare , à quo primùm tradi cœperunt. De Purgatorio apud Priscos nulla vel rarissima fiebat mentio. Sed & Græcis ad hunc usque diem, non est creditum, purgatorium esse. Nec tam necessaria fuit sive Purgatorii sive indulgentiarum fides in primitiva Ecclesia, atque nunc est. Quamdiu nulla fuerat de Purgatorio cura , nemo quæsivit indulgentias. Nam ex illo pen-*

det

det omnis indulgentiarum existimatio. Si tollas purgatorium, quorsum indulgentiis opus erit? Cum itaque Purgatorium tam serò cognitum ac receptum fuerit universæ Ecclesiæ, quis jam de indulgentiis mirari potest, quòd NB. in principio nascentis Ecclesiæ nullus fuerit earum usus? Indulgentiæ ait Prierias advers. Lutherum in Voc. Indulgentiæ, *non innotuere nobis auctoritate Scripturæ, sed Eccl. Romanæ &c.* Agnoscit idem Gregorius de Valentia *de Indulg. c. 4* Biel *Lect. 57. in Can. Missæ*; Imò ipse Cajetanus, Papæ tempore Lutheri Indulgentiarius *à limine ferè libri sui de Indulg.* Et nihilominus D. JCtus (forte Theologis hisce oculatior) indulgentias Papales in Scriptura (si superis placet) invenit!

XXIX. Ægrè fert D. JCtus, quòd indulgentias istas Papales nuncupemus *nundinationes*; potiùs vocari vult *eleëmosynas*: at quàm commodè hoc nomine veniant, liquet ex Taxa Apostolica & Espencæi vestri de eâ querela, à nobis jam suprà auditâ. Addis, *eleëmosynas istas impendi in usus sacros, sæpe in bellum Turcicum, ut tempore Lutheri fuerit factum.* At in quos usus sacros D. JCte? forte ad statum Papalem; nimirum quia mulier illa Apocalyptica debebat esse *amicta purpurâ & cocco & inaurata auro & lapidibus pretiosis & margaritis &c. Apoc. 17. 4.* En usus sacros! Quàm benè etiam Papa Leo X. tempore Lutheri *Indulgentias* (potiùs *Emulgentias suas*) sine pudore emulsas impenderit, disce ex Guiciardino vestro, Papæ cæteroquin addictissimo, dum ad an. 1520. Lib. XIII. Hist. Ital. de causis, quæ Lutherum, ad se Leoni X. opponendum, commoverint, loquens, postquàm dixerat *Leonem nimis licenter auctoritate Pontificatus usum &c.* addit (nota benè D. JCte) *quæ indulgentia, quia pecunia tantum à mortalibus extorquenda gratia*

concedi notum erat, & à quæstoribus huic negotio præfectis impudenter administrabantur, magnam plerisque in locis indignationem offensionemque concitârant; & præsertim in Germania, ubi à multis ex ejus ministris hujusmodi mortuos pœnis liberandi facultas parvo pretio vendi vel in Cauponum tabernis aleæ subjici cernebantur; quam indignationem auxit, quòd Pontifex multarum Germaniæ partium ex hujusmodi veniæ exactionum emolumentum NB. Magdalenæ sorori suæ dono dederat; quæ soror Aremboldum Episcopum, dignum Ministrum huic exactioni præfecit, qui per summam avaritiam & extorsionem munus illud exercebat. En quàm verè dicas, indulgentias tempore Lutheri fuisse in bellum Turcicum impensas! En quoque, quàm congruè easdem Eleëmosynarum nomine insignias! nimirum *solvere* & *exigere* linguâ vestrâ Romanâ est *Eleëmosynas dare* non *emere*!

XXX. Dicis, *Reformatos, eò quòd indulgentias omnibus & singulis annuntient eosque coram Deo justos constituant, modò credant, arrogare sibi majores indulgentias, quàm Catholicos & tamen Catholicos calumniari.* ℞. 1. Nos non calumniamur Catholicos, quos vocas, sed dolemus eorum in tanta Evangelii luce cœcitatem. Docetis 1. remissa culpa remanere adhuc pœnam temporalem vel in hac vitâ vel in Purgatorio luendam: at hac doctrinâ quid absurdius? cùm juxta eam eum maneat pœna, qui est sine culpa. Dicito autem mihi D. JCte, an Christus satisfecerit pro omni culpa, an verò pro quadam tantum: Si *posterius*: quomodo Johannes asserit, *Sanguinem Iesu Christi, filii Dei, purgare nos ab omni peccato 1. c. 1. 7.?* Si *prius*: quomodo, remissa omni culpa, quæ in se pœnam, cùm æternam tum temporalem merebatur, sola temporalis remanet? num sanguis Christi, qui vel vobis fatenti-

tentibus, valet pro pœnâ æternâ, non etiam valebit pro temporali? Dicito, quomodo Scriptura asserat, Deum *peccata populi sui projicere post tergum, non imputare, delere, non recordari Psal. 32. & 51. & 103. Ierem. 31. Mich. 7. &c.* si eorum adhuc exigit pœnam? Item, quomodo Christus dicatur omnia peccata nostra, subeundo eorum pœnas, in corpore suo tulisse super lignum & à maledictione nos liberâsse, si aliquarum pœnarum reatu tenentur adhuc fideles, pro quo ipsis adhuc satisfaciendum sit? 2. Docetis, unicam sanguinis Christi guttulam suffecisse toti mundo redimendo (quod quid aliud est quàm omnem meriti Christi vim eludere, Deoque crudelitatis notam inurere?) docetis, inquam, hoc, ut videamini dignitatem meriti Christi immane quantum extollere, quam tamen mox adeò diminutum itis, ut juxta vos ne quidem reatui pœnæ temporalis tollẽdo sufficiat. Ad exemplum Davidis frustra provocatis: Fuit enim ipsi quidem ob peccatum, *quo fecerat blasphemare hostes Domini, 2. Sam. 12. 14.* à Nathane pœna annuntiata, sed non τιμωρία seu pœna propriè dicta. Affecit quidem Deus ipsum, jam sibi reconciliatum, pœnâ, sed non eum in finem, ut vindictam suam contra eum exerceret, vel ut tanquam justus judex justitiæ suæ, saltem ex parte, satisfaceret, præter satisfactionem, quàm à morte filii sui accepit: sed tantum, ut eum, quem pro filio agnoverat, tanquam Benignus Pater corrigeret & emendaret. Ergò non erat pœna propriè dicta (deest enim ei ratio formalis pœnæ, cùm non fuerit inflicta ex ira judicis ad ultionem peccati & peccatoris exitium) sed παιδεία id est *paterna castigatio*, de qua porrò vide *1. Cor. 11. 32.* Heb 12. 8. Sed quid? posito, non tamen concesso, has fidelium pœnas satisfacere justitiæ Dei, annon ridiculum, quòd

Papi-

Papicolæ nobis eas objiciant ad ſtatuminandum pœnas, quas volunt per indulgentias remitti: cùm ſuprà ex Bellarm. *lib. 2. de Indulg. c. 1.* audiverimus, *Papam non poſſe in eas condonare pœnas, quæ à Deo tanquam judice infligantur.* Sic proinde indulgentiæ malis Davidi prædictis tollendis non ſuffeciſſent. Quid jam de Monachis veſtris, negantibus, afflictiones naturales, aliasque à Deo nobis immiſſas per indulgentias remitti, & tamen eas in hac materiâ, quò ſimplices ad mercatum inducant, recenſẽtibus cenſendũ ſit, tu ipſe judicaveris, 3. docetis, in Chriſti ſatisfactione eſſe quid ſuperfluum, multumq; de ſanguine ejus ſuperabundare, quod, ne pereat, in Eccleſiæ theſaurum inferatur & à Papa erogetur (quod tam verum eſt, quàm verum, Papam eſſe verum Chriſti vicarium: cùm Scriptura ſanguinem Chriſti non dividat, ſed communiter ei redemptionem noſtram tribuat) & tamen (quod ore affirmatum, mox ipſo opere negando) ſanguini Chriſti, quaſi inſufficienti, ſanguinem Sanctorum admiſcetis. *Ad hunc theſaurum ſuperfluentium ſatisfactionum* inquit Bellarminus *lib. 1. de Indulg. c. 2. pertinent etiam paſſiones B. M. Virginis & omnium aliorum Sanctorum, qui plus paſſi ſunt, quàm eorum peccata requirerent.* En pium Papatum! commiſcet paſſionem filii Dei paſſionibus hominum, quò Papa habeat theſaurum in cerebrino laborantibus purgatorio applicabilem. Quis, vel minimâ pietatis ſcintillâ præditus, hîc non ingemiſcat? quis JESUM ſuum amans iſtam impietatem non deteſtetur? cui etiam in medio Papatus contradixit Durandus *in 4. ſent. diſt. 20 q. 3* Revocavit etiam *hunc ſatisfactionum Chriſti ſuperfluentium & apud Eccleſiam reconditarum theſaurum* in dubium Franciſcus Maironis *in 4. ſent. diſt. 19. q. 2.* Obſerva præterea hic accuratam Bel-

Bellarmini de pœna peccatis debita notitiam! dicit *Sanctos plus esse passos, quàm eorum peccata requirerent.* Hem virum judiciosum! at ubi & quando ille conscendit in penetrale Dei, ut noverit adeò exactè pœnarum peccatis cujuslibet debitarum quantitatem? (4.) Docetis, *per indulgentias vos non absolvi à reatu culpæ ullius nec mortalis nec venialis (vid. Bellarm. l. 2. c. 1.)* Interim tamen Bullis Papalibus absolvuntur homines *à culpa & à pœna.* Sic indulgentiæ Ecclesiæ Lateranensis, quas *supra num. XXIV.* audivimus, promittunt *in die dedicationis plenam remissionem omnium peccatorum à culpa & à pœna* &c. (5.) Introducitis, ad quæstum augendum remissiones *semiplenas* & *partiales*, quasi *sanguis Jesu nos non purgaret ab omni peccato 1. Joh. 1. 7.* (6.) Extenditis illas venias ad annorum centurias & chiliadas; quem alium in finem, quàm ad augendum quæstum? qui *Sanctissimum Patrem*, alio cæteroquin nomine satis liberalem, hîc non parùm durum reddit: nam dum potest omnes omnino animas à purgatorio extrahere, imò & facere, ut à primo statim ingressu, ut Cato olim ex Amphitheatro, egrediantur, eò inhumanitatis hic procedit (adeò *auri sacra fames pectus Papale coëgit!*) ut nonnullas animulas blandulas etiam per annorum myriadem purgatoriis cruciari flammis permittat. Interim tamen (quod nota bene D. JCte) tantum abest, ut ignem purgatorium, cujus gratiâ indulgentias repertas esse suprà modo ex Episcopo Roffensi intelleximus, hinc adstruatis, ut potiùs destruatis. En probo. Docetis, *maculam non pœnam ablutione tolli*, docetis præterea, *maculam, non pœnam, debitorem sordidum facere (vid. Bellarm. l. 2. de Indulg. c. 3.)* Hinc tale nobis prodit argumentum. *Qui non sunt sordidi & maculati: illis non opus est purgatorio: At, qui moriuntur cum remissione culpæ nulla licet præstitâ satisfactione pro pœnâ temporali, non sunt sordidi & maculati. Ergo illis non est opus purgatorio.* Major per se patet. Minor liquet ex jam suprà citatis. Num dices, *pœnam adhuc restare solvendam*; respondeat tibi Bellarminus: *pœna non facit hominem sordidum.*

XXXI. 2. Ad nos quod attinet, verum quidem est, *Pastores nostros credentibus annuntiare, omnia peccata ipsis divinitus propter unius Christi meritum* (En Ecclesiæ nostræ Thesaurum, vestro utique Papali millies pretiosiorem!) *condonari*: sed falsissimum, eos hoc annuntiare *solùm credentibus*, id est, ut tu nobis affingis, solâ fidei professione gaudentibus. Docemus quidem, ut supra etiam dictum, *solam fidem justificare*, sed non *solitariam*, id est, separatam à bonis operibus: Quemadmodum *solus oculus videt*, sed *non solitarius*, id est separatus à capite. *Sed de his plura suo loco.* Hoc jam tu vel scivisti vel non scivisti D. JCte. Si *posterius*: quî conaris refutare Reformatos, quorum Religionem (quam tamen tot annos professus es) non intelligis? Si *prius*: quî non erubuisti tantâ nos afficere injuriâ? Ridiculum interim, quòd cum Jesuitis tuis doces, neminem posse Indulgentiarum vestrarum participem reddi, nisi sit in gratia & obtinuerit peccatorum suorum remissionem: cùm tamen vestra doctrina sit juxta Bellarminum lib. 3. de Justif. c. 3. neminem posse esse certum *de justitia sua & gratia, nisi peculiarem de ea habuerit revelationem*: Ergo etiam nemo certus erit de utilitate Indulgentiarum vestrarum, quanticunque etiam eas emat. Et certè sunt in ipso Papatu, qui de utilitate Indulgentiarum perquam jejunè sentiunt. *Aliqui*, ait Bonaventura in 4. dist. 21. *dixerunt hujusmodi indulgentias aliquid valere; sed nunquam tantum, quantum promittitur: sed aliquid valent modicum, secundum quod meretur fides & devotio. Prædicat tamen hoc Ecclesia, ut filios suos NB. bona quadam deceptione ad bonum alliciat: sicut mulier filio pomum promittit, quod postea non donat.* Arrigite aures boni Catholici, licet indulgentiæ vobis non prosint ad purgandas animas animas vestras: prosunt tamen Papæ ad purgandas vestras crumenas: vos datis *dona*; ille promittit *poma*, sed non donat. Sed audite porrò, quid de earum utilitate Bellarminus adferat. *Si quis* inquit, *futuri jubilæi in peccatum reservatum sponte inci-*

incidat, an ab eo peccato possit absolvi? Navarrus, Cordubensis & alii affirmant posse. En fructum! homines spe indulgentiæ impetrandæ sponte sua in scelera incidunt! Suadendum forte Papæ esset; ut disceret curare podagram per suas indulgentias: sic sine *illa bona filiorum suorum deceptione* (ut suprà audivimus loquentem Bonaventuram) Thesaurum suum satis augere posset. Sed unum adhuc, antequam ad alia progrediar, à te notari velim D. JCte: Dicentibus nobis, merita Christi nobis imputari in justitiam, eaque à Deo nobis applicari, non secus acsi nos ipsimet ea præstitissemus, clamatis, illam esse doctrinam absurdissimam, quamvis in S. Codice sit optimè fundata, ut suo loco demonstrabitur: at hîc asserere non dubitatis, ipsa Sanctorum merita, quà sunt satisfactoria, nobis donari & applicari, animasque ità purgare, acsi per purgatorium purgatæ essent: annon hæc fraus aperta?

XXXII. Antiquos Patres confessionem vestram auricularem commendare falsissimum est. Proba & credemus: credemus inquam, salva veritate: cùm Patres nobis non sint credendi regula, nec vos ipsi omnia approbetis, quæ à Patribus traduntur. Quàm parum interim vobis faveant, ostensum, quantum satis, supra num. XV. Ostensum etiam præter Chamierum, Rivetum & Forbesium, nuperrimè adhuc à Celeb. Heideggero *Anatom. Conc. Trident. Sess. 14. quæst. 7.* Quò te brevitatis gratiâ ablegatum volo.

CAPUT VI.

De S. Cœna.

UT status controversiæ de præsentiâ corporis & sanguinis Christi in S. Cœnâ, de qua D. JCto hoc capite agere placet, rectè intelligatur; notandum, non quæri: *An corpus & san-*

ſanguis Chriſti in S. Cœna ſit præſens. Hoc enim omnes Reformati affirmant. Nec etiam; *An hæc præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in S. Cœna ſit realis*: cùm nec hoc Reformati diffiteantur & contrarium ipſis per calumniam affingatur. Agnoſcunt illi 1. *præſentiam Sacramentalem* ſeu *Symbolicam*, quâ Chriſti corpus & ſanguis præſentia ſiſtuntur, adeoque repræſentantur in ſacris ſymbolis, non duntaxat figurantibus, ſed etiam obſignantibus & ſano ſenſu exhibentibus. 2. *Spiritualem*, quâ corpus & ſanguis Domini ſiſtuntur præſentia ſpiritui communicantis ſeu fidei, quæ *eſt* teſte Apoſtolo Heb. 11. 1. *repræſentatio eorum, quæ ſperantur & demonſtratio rerum, quæ non videntur.* Negant autem corporalem, id eſt, eam, quâ Chriſtus *corporaliter* & *indiſtanter* ſub ſpeciebus panis & vini eſſe fingitur, ut ore corporis recipi & manducari poſſit ac debeat.

II. Huc igitur redit cardo quæſtionis; *An corpus & ſanguis Domini poſt conſecrationem realiter contineantur ſub ſpeciebus panis & vini in eodem ſpatio, quo panis & vinum antea continebantur, ita ut oraliter & à piis & ab impiis accipiantur?* Pontificii affirmant: nos autem negamus. Audiamus igitur, quî D. JCtus Papicolarum affirmativam tueatur! *Veram & realem corporis & ſanguinis Chriſti præſentiam*, inquit, *omnes Evangeliſtæ uno ore aſſerunt.* Sed quid hoc quæſo ad rem? cùm nos eandem cum illis uno ore aſſeramus. Edoceat autem nos D. JCtus vel ex uno Evangeliſtarum *corporalem & localem* corporis & ſanguinis Domini ſub ſpeciebus panis & vini *præſentiam*, quam Papicolæ credunt, & erit nobis magno Papicolarum Chriſtophoro major! Ne autem pergat, niſi velit oleum & operam perdere, provocare ad caput ſextum Johannis: cùm in illo de Sacramentali manducatione & bibitione Chriſto non ſit ſermo: id quod evidentiſſimè probatum dabo. Loquitur Dominus 1. de manducatione, ſine qua homo non poteſt ſalvari: ut liquet verbis à D. JCto citatis ℣. 53. *Amen,*

amen dico vobis, *nisi ederitis carnem filii hominis & biberitis ejus sanguinem*, *non habebitis vitam in vobis*: Talis autem est sola manducatio *spiritualis*, non *corporalis*; nisi D. JCtus velit, omnes eos, qui hostiam non comedunt, damnari. 2. Addit Dominus *vers. seq.* dicens; *Qui edit carnem meam & bibit meum sanguinem*, *habet vitam æternam*: at à multis ore percipitur Sacramentum, qui vitam æternam non habent. 3. Domino sermo èst de manducatione, quæ tum temporis fieri poterat: Loquitur enim non in futuro sed in præsenti; *Ego sum panis ille vitæ vers. 35.* non, *ego ero*. Item *hic est panis ille*, *qui è cœlò descendit*, *ut*, *qui edit ex eo*, *non moriatur vers. 50.* Porro, *qui edit carnem meam & bibit meum sanguinem*, *habet vitam æternam vers. 54. &c.* At S. Cœna tum nondum erat instituta, quî ergò commendâsset manducationem externam Sacramentalem? Frustra regerit Bellarminus, Dominum loqui ℣. 51. de futuro, *Panis*, *quem dabo* &c. *manducationem autem per fidem esse rem omnium temporum*: nam (α) apud eundem Joh. c. 4. 14. Christus dicens; *aqua*, *quam ego dabo*, etiam loquitur in futuro de Spiritu, qui tamen *omnium temporum* fuit, (β) verbo dandi *in futuro* respexit Dominus ad mortem suam, quæ adhuc futura erat. 4. Idem ostendit Salvator ℣. 35. docens, per fidem sedari famem & extingui sitim: & ℣. 63. dicens; *Spiritus est id quod vivificat*, *caro non prodest quicquam*: *verba*, *quæ ego loquor vobis*, *Spiritus sunt & vita sunt*. Sed erudiant Catholicum JCtum Catholici Theologi. Sunt eorum numero haud pauci, eruditionis nomine celeberrimi, qui veritatem hîc nobiscum agnoscunt, docentes Christum hoc in capite agere de sola manducatione spirituali. Inter hos est Cardinalis Cusanus *Epist. 7. ad Bohemos*, Tapperus *in Explic. art. 15. Lovaniens.* Hesselius *in lib. de communion. sub utraq. spec.* Jansenius *cap. 59. Concord.* Cajetanus *in 3. part. q. 80. art. ult.* Biel *lect. 84. super canon. Miss. In toto illo capite*, inquit hic posterior, *Dominus loquitur de manducatione & bibitione spirituali*,

non carnali, neque Sacramentali. Sic sentiunt etiam Ferus, Valdensis & alii, quibus adde nuperum Capucinum vestrum Josephum de Lens (cui caput ità contritum à Celeb. Netheno nostro, ut fari non amplius valeat) qui ad Thes. VI. *Disp. de Transsubst.* ejusdem Netheni ità respondet. *Est porrò notandum, quòd, quando Christus dixit illa verba;* nisi manducaveritis &c. *nondum instituerat Sacramentum corporis & sanguinis sui sub panis & vini speciebus.* Etiam præter Maldonatum, & Salmeronem, Bellarminus *lib. 1. de Euch. c. 5.* fatetur, Christo usque ad ℣. 51. de manducatione spirituali sermonem esse: sed quæ ratio mutati sermonis? utitur utique Christus iisdem vocibus agitque de eadem re. Quin ipse Papa Pius II. Taboritis, ex hoc capite Johannis restitutionem calicis urgentibus, respondit, *Christum loqui tantum de manducatione spirituali.* Cui etiam concinit Innocentius III. *lib. 4. de Myster. Missæ cap. 14.* In hos jam Papas & Papistas suos συμπάθειαν suam, qua se in nos affici testatur, eò quòd hæc verba non intelligamus & non more Papistico de manducatione orali capiamus, D. JCtus effundere potest.

III. Nihil interim D. JCtus ex hoc capite adfert, quô ipsius de præsentia corporali & manducatione orali opinio stabiliatur. Verum est, 1. *carnem Christi esse verè cibum & sanguinem ejus esse verè potum* ℣. 55. Sed quid inde pro Papistis? num caro & sanguis Christi non possunt verè esse cibus & potus, nisi *corporaliter* percipiantur? Christus dicitur *lux vera* Joh. 1. 9. an propterea debet esse *lux visibilis*? Caro Christi est *verè cibus*, sed *mentis* & *fidei*, non *oris* & *ventris*; sumitur *credendo*, non autem *mandendo*. Audi Augustinum. *Quid paras dentes & ventrem?* ait is in Psal. 98. *crede & manducâsti.* Audi & Cajetanum vestrum. *Dicitur hoc*, ait ille in h. l. *ad significandum, quòd caro sua & sanguis suus naturalis, id est, mors sua non falsò non opinione, sed secundum veritatem, habeat rationem cibi & potus animæ, id est, alimenti perfecti.* Verum etiam

est

est 2, *Christum esse panem illum vitæ vers. 35.* eumque dicere, *panis, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita* ℣. 51. Sed quæ quæso inde consequentia? *Ergò Christus corporaliter sub speciebus panis est præsens & manducatur ore corporis. Interroga*, inquis, *puerum vel mediocriter versatum in Catechismo suo, quæ caro pro mundi vita data fuerit? & promptissimè tibi respondebit de vero humano Christi corpore, non autem de figura corporis.* Hem virum! quem oppugnat? *Interroga & tu puerum, vel mediocriter in Religione Reformata versatum, quam carnem pro mundi vita datam esse Reformati statuant & illico tibi respondebit de vero humano Christi corpore, non autem de figura corporis.* Distinguendum est inter verba & rem ipsam: verba sunt figurata: res autem significata est verissima, videlicet arctissima cum ipso Christo communio. Sic cùm Christus dicit Joh. 14. & 15. *Ego sum via, ego vitis*, modus loquendi est figuratus: sed res verissima est: nam verè nemo ad patrem nisi per Christum venire potest: verè dat fidelibus Spiritum suum, ut vitis succum palmitibus. Sed argumentaris; *Christus dixit, panem, quem in S. Cœna daturus erat, esse talem carnem, quam daturus sit pro mundi vita Ioh. 6. 51. Atqui Christus veram carnem, non autem figuram carnis pro mundi vita dedit: Ergò sequitur, panem in S. Cœna veram Christi carnem & non figuram carnis Christi esse.* Egregium argumentum scilicet! quod laborat quatuor terminis. Intelligit Christus *in Majore* per *panem* humanam suam naturam, ex B. Virgine assumptam, adeoque rem in S. Cœna significatam: Tu autem *in conclusione* per *panem* intelligis panem naturalem & propriè dictum, quem in corpus Christi mutari fingis. Sume vocem *panis* in conclusione, ut sumitur in Majore, & concedemus totum argumentum.

IV. Dicis, *Christum duplici jurejurando confirmare, nos suam carnem in S. Cœna ore percipere.* Dico ego, D. JCtum dupliciter hîc lædere veritatem: nam 1. falsum est, *amen,*

amen

amen esse jusjurandum, 2. etiam falsum est, ipsum loqui de manducatione orali. Annon hæc asseverandi formula etiam adhibetur in sententiis figuratis? audi eundem Christum Joh. c. 10. *Amen, amen dico vobis, qui non ingreditur per ostium in ovile* &c. Judæi litigantes ac dicentes ℣. 52. *quomodo potest hic nobis carnem suam manducandam dare?* non erant Reformati, ut scribis: sed potius Pontificii: putabant enim, Christum loqui de manducatione orali & corporali: Sed Dominus eos reprehendit ℣. 61. 62. *Hoccine vos offendit? si igitur spectaveritis filium hominis ascendentem eò, ubi erat prius?* Ubi, quòd ex verbis suis offenderentur, id quod de spirituali manducatione dixerat, ad corpoream traducentes, haud obscurè illos arguit, eisque, ut ab hac carnali imaginatione abstrahat, & ad manducationem spiritualem adducat, futuram suam ascensionem proponit. *Vide Augustin. Tract. 27. in Joh.*

V. Quod addis, *Mannam, Agnum paschalem & Petram fuisse figuras S. Cœnæ*, falsissimum est. Sacramentorum N. Testamenti non fuerunt ullæ figuræ, à quibus ut Sacramenta fuerint præfigurata. Sunt quidem respectu Veterum Sacramentorum ἀντίτυπα vel similes figuræ (repræsentant enim eundem Christum, quem etiam veteres repræsentarunt 1. Cor. c. 10. ℣. 3. 4. ità ut inter ea non detur differentia *realis*, sed tantum *gradualis*.) Sed non ἀρχέτυπα vel exemplaria in illis expressa. Loca, quæ citas ex *1. Cor. 10. 5. 6. Heb. 8. 5. & 9. 9. 10.* quid quæso ad rem? ubi in illis vel minimum gry, quòd Manna, Pascha & Petra fuerint typi nostrorum Sacramentorum? Quid? annon Paulus expressè refert Mannam & agnum Paschalem ad solum Christum 1. Cor. 10. 4. *Petra verò illa erat Christus*, & 1 Cor. 5. 7. *Etenim pascha nostrum pro nobis sacrificatum est*, nempe *Christus?* Annon & Christus ipse ad se tantum refert Mannam, tanquam ad verum panem vitæ Joh. 6. ℣. 35. &c.? En quàm abutaris Dei verbo! A Bellarmino *l. 1. de Euch. c. 3.* etiam sanguis federis, cujus mentio fit Heb. 9. 20. figu-

figura Eucharistiæ constituitur & *non passionis Christi.* An hoc non est Spiritui Sancto in faciem contradicere?

VI. Verum est, Apostolum dicere 1. Cor. 11. 27. *eum, qui indignè manducat panem hunc vel bibit poculum* hoc *Domini indignè, reum teneri corporis & sanguinis Domini.* Sed quid inde pro præsentia corporali sub speciebus panis & vini? quid pro manducatione orali? Aliud utique longè est *corpus & sanguinem Domini edere & bibere indignè*, & aliud *edere & bibere panem hunc & poculum hoc indignè: Posterius* dicit Apostolus, non *prius.* Et certè tantum abest, ut quis ipsum corpus Domini ad judicium & mortem edere possit, ut potius, quisquis illud edit, habeat vitam æternam, dicente ipso Christo Joh. 6. 54. *Qui edit carnem meam & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Audi Augustinum. *Sacramentum*, ait is tract. 26. in Joh. (id est, sacrum signum) *corporis & sanguinis Christi de mensa dominicâ sumitur, quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium. Res verò ipsa, cujus & Sacramentum est* (id est ipsum corpus & sanguis Domini) *omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicunque ejus particeps fuerit.* Quisquis ergo *ἀναξίως indignè* manducaverit hunc panem, reus tenetur corporis Christi, non manducati, sed spreti & contumeliâ affecti in Symbolis, suam dignitatem à corpore Christi habentibus, à Christo institutis sancteq; usurpari jussis. Reus est rei significatæ, licet tantùm attingat signum. Audi Concilium Nicenum II. *Quemadmodum*, inquit id *Act. 6. despiciens imaginem Imperatoris non aliter castigatur, quàm si ipsum imperatorem contumeliâ affecisset, cùm tamen illa ipsa imago, præter lignum & colores nihil sit: eodem modo, qui typum sive figuram alicujus ignominiâ afficit, in illum ipsum, quem typus repræsentat, injurius est.* Ad effugia, quibus hîc D. JCtus utitur, responsum vide infra num. xxx. ubi eandem cramben recoquit.

VII. Conatur jam Vir Reformatos Syllogismo illaqueare: quàm firmiter, videamus. *In S. Cœna est illud corpus,*

 quod

quod pro nobis in crucem datum, *Luc.* 22. 19. *& ille sanguis, qui pro multis fuit effusus in remissionem peccatorum. Matth.* 26. 28. *Atqui verum & reale Christi corpus fuit verè pro nobis in crucem datum, & sanctus ejus sanguis fuit verè effusus pro multis in remissionem peccatorum &c. Ergo etiam est in S. Cœna.* ℞. Concedendo totum argumentum. Quis enim Reformatorum unquam docuit, in S. Cœna non esse verum & reale Christi corpus? Nomina mihi tales Reformatos, vel fatere, te maximam illis inferre injuriam. Sed illaqueo illaqueantem. *In S. Cœna* (id est, juxta vos, sub speciebus panis & vini) *est illud corpus, quod pro nobis in crucem datum & ille sanguis, qui pro multis fuit effusus in remissionem peccatorum.* Hæc est tua Major. Jam subsumo: *atqui verum, reale, visibile & palpabile Christi corpus fuit verè pro nobis in crucem datum & sanctus ejus sanguis fuit verè visibiliter effusus pro multis in remissionem peccatorum. Ergò etiam in S. Cœna* (id est, juxta vos sub speciebus panis & vini) *est verum, reale, visibile, palpabile Christi corpus & sanguis.* Minorem non audes negare: Ergo conclusio, licet vobis maximè adversa, stat inconcussa.

VIII. Addis, *Christum ad Apostolos dixisse hæc diserta & clara verba*, accipite, edite, hoc est corpus meum, *quî ergo Dei omnipotenti in verbis tam disertis fidem non habeam?* ℞. Sunt sanè hæc Christi verba, cum antecedentibus & consequentibus, cum aliis locutionibus Sacramentalibus, cum locis parallelis & indubitatis fidei Christianæ articulis collata, tam clara & perspicua, ut vestram in excogitato inde Transsubstantiationis figmento cœcitatem non queam satis admirari. *Accepit Dominus*, testantibus id Evangelistis & Paulo, *panem & gratiis actis fregit & dedit discipulis & dixit; accipite, edite, hoc est corpus meum.* Cœcus sit, oportet, qui non videat, pronomen *hoc* hîc poni loco nominis, quod præcessit, adeoq; sensum esse; *panis, quem accepi, quem fregi, quem vobis manducandum dedi, hic panis est corpus meum.* Et quæso, annon τὸ *hoc* in primo symbolo debet sumi, ut sumitur in secundo; cùm

cùm sit eadem utriusque ratio? jam verò in secundo manifestè refertur ad poculum, Luca & Paulo verba apud Matthæum & Marcum obvia τȣ̃το *hoc est sanguis meus*, in hunc modum interpretantibus τȣ̃το τὸ ποτήριον *hoc poculum est N. Testamentum in meo sanguine:* quî ergò non pariter in primo? Hoc jam cùm extra omne dubium sit, quemadmodum & ex Vestratibus (teste Suarez *tom. 3. in 3. p. Th. disp. 58. sect. 7.*) agnoscunt Ochamus, Holcotus, imò ipse Bonaventura Cardinalis, patet utique evidentissimè, hæc Christi verba non esse propria, sed figurata; cùm substantia panis nec sit nec dici possit substantia corporis Christi. Agnoscit hoc nobiscum Salmero, Jesuitarum facilè doctissimus. *Si Christus*, inquit Tom 9. Tr. 20. *dixisset, hic panis est corpus meum, cogeremur ad figuram recurrere.* Agnoscit etiam Bellarminus *l. 1. de Euch. c. 7.* scribens. *Hæc propositio, panis est corpus meum, est omnino absurda & impossibilis, nisi sumatur figuratè, id est, ut panis significet corpus.* Frustra dixeris, *vocem* ἄρτ☉ & τȣ̃το *differre genere:* quid enim, frequentius, quàm *pronomen* in genere rei non antecedentis, sed prædicati consequentis, stare. Vide sis *Matth. 7. 12. Gal. 4. 24. Luc. 8. 14.* &c. Cum his jam confer alias locutiones Sacramentales *Gen. 17. 10. 11. Exod. 12. 11. Tit. 3. 5.* &c. & in omnibus observabis eundem tropum. Quin figuratum esse eum Domini sermonem, evidentissimè innuit Paulus, cum *est corpus* juxta ipsum sit *communio corporis*, & *est sanguis*, *communio sanguinis* 1. Cor. 10. 16.

IX. Satis proinde clarent Christi verba D. JCte, *in quibus si omnipotenti Deo*, ut scribis, *fidem adeò habuisti*, quî igitur delapsus es ad Pontificios? juxta quos utique hæc verba adeo non clarent; cùm in iis explicandis magis à se invicem diffideant, quàm capita vulpium Simsonis, caudis unitarum, à se invicem aversa. Quod alter adstruit, alter destruit. Videamus primam verborum Christi voculam hoc? quot non de eâ apud vos litigia? Quidam, teste Suarez l. c. per *hoc* intelli-

telligunt *panem*, ut *Bonaventura*, *Ochamus*, *Holcotus*. (Sed ne evertant Transsubstantiationem, corrumpunt copulam *EST*, dicentes *EST idem valere ac* FIT, TRANSIT, *aut CONVERTITUR.*) Alii per *hoc* intelligunt *accidentia panis*, ut *Ruardus art. 13.* Alii *corpus Christi*, *prout est in se.* Alii *corpus Christi*, *prout est sub accidentibus panis*, *in termino prolationis verborum*, ut *Alensis*, *Marsilius*, *Biel* &c. Alii *aliquid commune substantiæ panis ac corpori Christi.* En Cadmeos fratres: quorum tres priores refutat ipse Suarez. Alii, inter quos est Vincentius *in Specul. Histor. l. 8. c. 31.* volunt *hoc* habere *vagam & simplicem demonstrationem*, sicut *Tu*, cùm quis dicit, *Tu aperi*, *& nescit*, *quis sit intus.* Sed hujus sententia displicet Alensi *part. 4. q. 10. m. 4. art. 2.* Vult enim per *hoc* demonstrari *signatum per panem transsubstantiandum in corpus Christi.* Alensis autem sententia rejicitur à Bonaventura *in 4. sent. dist. 8. part. 2. art. 1. q. 1.* qui prætendit per *hoc* demonstrari *panis substantiam.* Displicet autem hæc opinio Thomæ *3. part. q. 78. art. 5.*, qui per *hoc* non *substantiam panis*, sed id, *quod communiter se habet ad panem & ad corpus Christi*, vult intelligi. Refellit Thomam Richardus *in 4. sent. dist. 8. art. 3. q. 1.* qui vult hunc esse sensum, *hoc est corpus meum*, id est, *aliquid sub hac specie præsens vel de propinquo futurum*, *est corpus meum.* Richardum refutat Scotus *in eand. dist. q. 2. n. 23.* qui vult τὸ *hoc* demonstrare *singulare entis*, *& non per se singulare alicujus minùs universalis*, *quàm ens.* Scotum in fugam conjicit Aquarius Thomista *in addit. in Capreolum in 4. sent. dist. 10. concl. 5.* *Hoc*, ait, *signum demonstrativum non dicit individuum entis*, *sed substantiæ. Elicitur ex S. Thoma 3. p. q. 78. art. 6. Et ratio est*; *quia demonstrando hanc substantiam*, *demonstratio est certissima*; *quoniam hæc substantia est corpus Christi*: *sed si diceret ens*, *potuisset etiam intelligi de accidente*: *ergo* &c. *Ubi nota*, *quòd hæc conclusio est contra Scotum*, *volentem sensum propositionis esse istum*; hoc est corpus meum, *id est*, *hoc ens est corpus meum.* Ab hoc Aquario abit Marsilius: ait enim, sensum esse,

esse, *id in quod convertitur panis, est corpus meum.* A Marsilio dissentit Ochamus: putat enim sensum esse, *hoc erit corpus meum.* Ochamo calculum renuit Sotus: ait enim, *se nescire, quis sit verus sensus hujus propositionis.* En Cadméos fratres! en Babelem novam novè confusam! Alii cùm videant, quòd se hinc non queant extricare, prætendunt, per *hoc* nihil demonstrari. Sic sentiunt *Durandus in 4. dist. 8. q. 2.* & Auctor Glossæ *dist. 2. de Consecr.* Imò ipse Papa Innocentius III. *l. 4. de Myst. Miss. c. 17.* qui etiam vult, Christum tunc confecisse cùm benedixerit, adeoque hæc 5 verba *hoc est enim corpus meum*, non esse consecrationis formam, ut hodie Papistæ credunt: censet proinde, facile tolli omnes difficultates, si dicatur, *Christum voluisse, ut Apostoli enuntiatum proferrent, sed non uterentur eo enuntiative sed recitativè.* Credisne hoc D. JCte? certè si hodie huic Papæ, qui tamen est faber transsubstantiationis vestræ, crederes, vix virgas Ecclesiæ vestræ hodiernæ evasurus esses.

X. Adeò ergò juxta vos clara sunt Christi verba, ut ne quidam sciatis, quid per primam voculam intelligere debeatis: nisi tu forte oculatior sis Theologis vestris. *Lector*, ait Catharinus vester Tr. 2. *consideret laborem & angustiam, usq; pene dixerim ad necem, ferè omnium scribentium, dum rogati, quid significet pronomen illud* hoc, *tot & tanta scribunt & adeò varia, ut valeant ad insaniam redigere Lectorem. Solet quæri*, inquit Auctor glossæ *l. c. quid demonstretur per* hoc: *aut panis, aut corpus Christi?* agedum quæro idem ex Te D. JCte? *Non panis*, ait ipse, *quia ille non est corpus Christi: nec corpus: quia non videtur, quòd ante totius formæ prolationem fiat transsubstantiatio.* Quid ergo demonstrari putas? num forte *accidentia panis?* at illa ad primam istam voculam non sola extant, ne jam addam, absurdum fore, *accidentia esse corpus Christi:* an *vagum quiddam*, quod Sacerdos teneat manibus? at quæro pariter, *quid Sacerdos teneat manibus? num panem? an corpus, an accidentia panis?* Responde D. JCte? Sed ne cum Elffio tuo, (nupero tecum apostata) qui *lib. supr. cit. Tr. 2.*

c.2. vult, *pronomen* hoc *demonstrare corpus Christi, sed obscurè, quod tum clarè exprimatur per* corpus meum: Quæro enim, an ad prolationem τῦ *hoc* adsit verũ & reale Christi corp⁹ (sive jam obscurè, sive clarè, quod nihil ad rem) an non? Si *prius*: Ergo ante formæ prolationem fiet transsubstantiatio: Si *posterius*: quomodo per *hoc* intelligetur corpus? præterea juxta hanc sententiam talis obtinebit sensus, *hoc* (i. e. *corpus meum obscurum*) est corpus meum; quâ expositione quid absurdius? Ne etiam dic cum Card. Perronio τὸ *hoc* esse *significationis transitoriæ & permanentis, denotare in principio prolationis panem, in fine autem corpus*: nam unde demonstrabitur, eandem vocem in eodem sermone prolatam sine ulla mutatione duplicis & quidem adeò diversæ esse significationis? Verum est, *Christum de aqua in vinum conversa potuisse dicere, hoc est vinum*: at quid hoc ad rem? cùm verba ista *hoc est vinum*, sint merè declarativa rei, quæ jam erat: non conversiva unius substantiæ in aliam, qualia vultis esse verba *hoc est corpus meum.*

XI. Præterea, si verba illa adeò clarent juxta vos, dic mihi, quid sibi velit secunda vocula *est?* est ne accipienda propriè an impropriè: si *prius*: offendis *bonum* vestrum *Bonaventuram* (qui adeò *bonus* fuit, ut etiam *venerit* in Album Sanctorum) is enim vult τὸ *est* idem valere ac τὸ *transit*: si *posterius*, offendis vestrum Suarez, qui Bonaventuram hoc nomine refutat *tom.3. in 3. p. Th. d. 58. S. 7.* Præterea dic mihi, an verba illa, *hoc est corpus meum*, sint forma hujus Sacramenti, an vero non? Si *prius*: vapulas à Papa vestro Innocentio III. Si *posterius*, vapulas à Papa vestro Paulo V. *Vide de his litigia papalia apud Christoph. vestrum de Cap. Font. Tr. 5. f. 123.* Porrò, an verba hæc proferantur à ministro *recitando tantum*, an etiam *significando*: si *prius* censes, habes tibi adversantes *Marsilium*, *Gabrielem* & alios. Si *posterius*: *Durandum*, *Majorem*, *Ochamum*, *Mirandulam* & alios, *de quo vide Suarez disp. 58. S. 4.* Porro, an conversionem, quam per hæc verba fieri existimas, censeas esse *productivam*, an

an *adductivam*, an vero *conſervativam?* ſi *prius* placet, places quidem Thomiſtis, ſed diſplices Scotiſtis: improbat enim quàm maximè Scotus *in 4. diſt. 11. q. 3. n. 23.* transſubſtantiationem Thomæ & Thomiſtarum *productivam*, *ut quæ non poſſit eſſe ad præexiſtens*. Si *ſecundum*, diſplices è contrario Thomiſtis, utpote quibus *productiva* tantum arridet. *Vide Thomam p. 3. q. 75. artic. 2.* Si *tertium*: places quidem Bieli, qui *lect. 40. in Can. Miſſ. lit. P.* vult *Transſubſt. eſſe actionem conſervativam corporis Chriſti, præexiſtentis in ſuo eſſe præhabito*: ſed diſplices præter *Thomiſtas*, ex recentioribus Tirino, Gamachæo, Peſantio & aliis: & præter Scotiſtas, multis Nominalibus, ut Majori, Franciſco Mayron & aliis. Sed quorſum evagor? omnes Cadméas veſtras de his 4 tantum Chriſti verbis ſimultates ſi recenſere vellem, quantæ molis librum illæ ſolæ non eſſent conſtituturæ? Ut verbo abſolvam, quod res eſt: ſunt apud vos, velut in Ægypto ſpirituali craſſæ & palpabiles tenebræ, in quibus Andabatarum more inter vos pugnatis: cùm è contrario apud nos, velut apud Iſraëlitas in terra Goſen, verba Chriſti ſua luce radient. Unico in Scripturis uſitatiſſimò tropo, quem verba ipſa, ſine præjudicio inſpecta, inſinuant, & quem doctiſſimi veſtrum agnoſcunt, veritas nitet quàm ſereniſſimè & omnes veſtræ ineptæ fluctuationes, velut atra quædam nox, fugantur. Hinc eſt omnium noſtrorum Doctorum & Eccleſiarum per totum Chriſtianiſmum & extra eum in Indiis & ubicunque degunt, una eademque ſententia & ſemper fuit (nam ſi unus vel alter, quod Bellarminus objicit *l. 1. de Euch. c. 8.* abiit ex Papatus tenebris primùm eductus, fuit tum ipſius ſententiæ, utpote privatæ, vix ulla habita ratio & nunc prorſus nulla) per *τὸ hoc* intelligi panem, adeoque tropicam eſſe locutionem: ſenſum eſſe, *hic panis eſt ſignum corporis mei*, vel (quod eodem redit) *ſignificat corpus meum*. Et mirandum, qui Papicolæ hunc unicum, in omnibus Sacramentis uſitatum, tropum (metonymiam) adeò refugiant: cum illi ipſi, quantopere etiam *τὸ ῥητὸν* crepent, multo plu-

plures, imò decem in materia de S. Cœna admittant tropos, ut suo loco demonstrabitur.

XII. Audiamus jam porrò D. JCtum: Conatur nunc Molinæum nostrum, *maximum Reformatorum Controversistam*, ut vocat, refutare (en JCtum animosum, qui cum Theologorum maximo in arenam descendere non dubitat!) Quàm feliciter, videamus! *Accepit Christus*, ait Molinæus, *panem, eumque panem discipulis datum vocavit corpus suum: Credendum ergo, panem illum, quem Christus fregit ac dedit, fuisse ejus corpus, adeoque falsò Ecclesiam R. credere, non esse post consecrationem amplius panem.* ℟. D. JCtus, *hoc responsum ex parte Pontificium & ex parte Lutheranum esse ac tandem ab ipsomet Molinæo rejici.* Hem virum! qui, nî crassissimâ Ref. Religionis laboraret ignorantiâ, ità non responderet. Vocat Christus ex mente Molinæi panem *corpus suum*, non naturale: sed *sacramentale*, id est, *signum corporis sui*: quî sic Molinæus contradicit cæteris Reformatis? qui sibi ipsi? *Si panis*, inquis, *per consecrationem mutatur in Christi corpus*, ut ipse Molinæus fatetur: *ergò corpus Christi in S. Cœna necessario debet esse præsens & percipi à communicantibus.* ℟. concedendo totum: quis enim negat, *corpus Christi in S. Cœna percipi à fidelibus?* Sed forte sic vis concludere: *Ergo corpus Christi corporaliter præsens est sub accidentibus panis & percipitur oraliter à communicantibus*: sic autem negamus Consequentiam; utpote quæ ex illo antecedente, intellecto *de mutatione morali & mysticâ*, ut Molinæus intelligit (non *physicâ & reali*) non procedit. Dixit Dominus juxta Paulum 1. Cor. 11. 24. *hoc est corpus meum, quod pro nobis frangitur.* Quærit hinc Molinæus, *num corpus Christi in S. Cœna realiter frangatur, an vero Sacramentaliter tantum?* hærent hîc Papicolæ, nescientes, quid dicendum sit. Si posterius dicant, fatendum ipsis, *id, quod Christus tum fregit & discipulis in manus dedit, fuisse ejus corpus Sacramentale.* Si prius eligant, *injurii sunt in D. Jesum, qui jam non amplius pati nec frangi potest. 2. Adversantur Missæ & Propriis Bibliis, quæ habent in futuro* frangetur.

3. Con-

3. *Contradicunt sibi ipsis: Credit enim Ecclesia R. quòd, si Sacerdos hostiam frangat, frangantur tantum accidentia, integro manente corpore Domini sub quavis particulâ.* Conatur tamen D. JCtus elabi. Quàm commodè, videamus. Vult verbum *frangitur* referri *ad futuram mortem crucis, & non ad S. Cœnam.* Laudamus hîc viri contra Jesuitas suos animositatem, utpote quibus sic in faciem contradicere non dubitat. Docent illi verba *frangitur, datur, effunditur* respicere S. Cœnam. Sic Jesuita Bailius *Summ. Controv. Tr. 3. q. 19.* Sic Stalenus *Defens. Miss. contr. Joh. Nethen. cap. 2.* Sic Bellarminus *l. 1. de Miss. c. 12.* & plerique alii. Audiat jam tantum D. JCtus dilectum sibi in apostasiâ socium, Jesuitam Elffium. *Verbum διδόμενον datur*, ait ille lib. c. p. 272. *ad præsens aut præteritum tempus, & non ad futurum referri debet.* En suavem Dominorum Apostatarum harmoniam! Vellem interim, meliùs D. JCtus contra Jesuitas suos istam temporis enallagen (quam & nos agnoscimus & in sequentibus firmiùs stabiliemus) probâsset. *Licet*, inquit, *in textu Græco occurrat præsens* frangitur, *non futurum* frangetur: *de futuro tamen intelligendum esse liquet ex locis Matth. 26. 21. & Marc. 14. 18. Ubi secundum textum Græcum de Juda in præsenti dicitur*, unus ex vobis prodit me, *& tamen de futuro intelligendum* &c. At quid est veritati in faciem contradicere, si hoc non est? παραδώσει estne *præsens* D. JCte? annon est 3. persona *futuri?* atqui loc. cit. habetur, *unus ex vobis* παραδώσει με *prodet me.* Num etiam in infimarum Scholarum discipulo hoc vitium ferendum? Æquè verè scilicet provocas ad Jes. 9. 9 & 53. 5. nam in illis ponitur quidem *præteritum* pro *futuro* (מחולל. ילד) singulari enallage prophetica (de qua ità R. Elias *in Sepher Habbachur* p. 19. דרך המקרא לדבר בלשון עבר במקום עתיד וזה לרוב בדברי נבואה כי הדבר ברור לפני המקום כאלו נעשה כבר *i. e. mos est Scripturæ, ut loquatur in præterito pro futuro, & hoc ut plurimum fit in verbis propheticis, quia res tam clara coram Deo est, ac si jam facta esset.*) sed non *præsens.* Non minùs ridiculum, quòd dicis Zach. 9. 9. *occurrere præsens pro futuro:* cùm occurrat ipsum futurum,

יבוא לך מלכך *Rex tuus veniet tibi.* Ut ergò in posterum feliciùs urgeas istam temporis enallagen, en loca! Joh.10.15. dicit Christus, *animam meam* τίθημι *pono* (i. e. θήσω *ponam) pro ovibus.* Et Matth. 16.28. *Iterum* ἀφίημι *relinquo mundum & proficiscor ad Patrem (* i. e. *relinquam, proficiscar,), vide & Joh. 17.11. Luc. 13.32. 2. Tim. 4.6. & sic passim.* Quid? in ipso Matth.26.cap. (quod dissentientes à te Jesuitæ crepant) hæc enallage obtinet. Sic enim habetur 24. *Filius hominis abit*, i. e. *abibit*, & ℣. 45. *traditur*, i.e. *tradetur.* Etiam præter canonem Missæ Vulgata Versio vestra (quod in primis notare potes contra Jesuitas, simulq; observare mirabilem eorum genium, dum volunt nos cogere, ut authenticam agnoscamus eam versionem, quam ipsi, quoties lubet, deserunt, adeoque pro authentica non agnoscunt) verba Græca præsentis temporis reddit in futuro *tradetur, effundetur.* Favet tibi etiam hac in re contra Jesuitas Jesuita Barradas *Harm. Evang. Tom. 4. l.3. c.4.* scribens. *Utitur Dominus præsenti tempore pro paulo post futuro: de futurâ enim & propinqua passione sunt verba intelligenda hoc sensu: Hoc est corpus meum, quod pro vobis passioni & morti paulo post dabitur sive tradetur, quodq; pro vobis frangetur.* Nec dissentit Jesuita *Sa in c. Matth. 26. 28.* dicens. *Effundetur scil. in cruce: Græcè est effunditur, præsens pro futuro.* Jacet ergò, vel te agnoscente, Jesuitarum argumentum pro suo Missæ Sacrificio ex *præsenti tempore* petitum, manetque illi opposita Molinæi argumentatio, supra allata, inconcussa. Observa interim porrò contra eosdem, quòd, si Dominus verè se obtulit *in præsenti* in S. Cœna, oporteat etiam corpus ejus, non figurate, sed verè fractum fuisse & per consequens hodie adhuc, quoties S. Cœna celebratur, verè frangi, quod utique absurdissimum. Novi quidem, Dominos dicere, *corpus Christi frangi & sanguinem ejus effundi sub speciebus panis & vini*: sed sic se non expediunt. Dicant enim mihi, *num Christi corpus sic verè frangatur & sanguis ejus verè fundatur, an verò duntaxat species*: Si *posterius franguntur & effunduntur species & accidentia in*

remis-

remissionem peccatorum, quod pariter absurdissimum: Si prius: suus manet eidem blasphemiæ locus.

XIII. Progreditur Molinæus, *Christus* inquiens *instituit S. Cœnam in sui recordationem, donec redeat 1. Cor. 11. 25. E. ipse in ea corporaliter non est præsens.* Respondes, *hanc conclusionem esse puerilem. Possum utique*, addis, *ad hominem mihi præsentem dicere; Recordor tui, quid tibi ante aliquot annos in hoc vel illo loco acciderit: item, quàm præclara laudumq; præconiis digna facta peregeris, & propterea tamen non sequitur: Ergo ille homo, de quo loquor, non est præsens.* At nî te offenderem, dicerem ego, hanc potius responsionem tuam esse puerilem. Nam 1. quis mortalium solet dicere ad sibi præsentem, *recordor tui, quid tibi acciderit* &c. 2. Licet ita præsentem alloquereris, recordatio tamen tua non dirigeretur ad præsentem personam, sed ad præteritum ejus statum vel facta, quid ergò inde pro te? possumus factorum præsentis recordari; sed non personæ: hanc enim videmus & audimus: memoria autem, dicente Aristotele, est rerum tantum absentium & præteritarum: jam verò Christus dicit; *facite hoc in mei* (non duntaxat *in passionis & mortis meæ) recordationem.* Dicis, *Davidem recordatum esse Dei, licet præsentis Psal. 42. 7.* R. Etiam Davidem non semel oblitum esse Dei, licet præsentis. Recordatio illa Dei supposuit ejus absentiam à mente Davidis per incogitantiam & oblivionem, licet ei semper quoad se præsens fuerit per essentiam. Sed quid opus ambagibus? asserit utique Apostolus evidentissimè, in S. Cœna esse memoriam corporis Christi absentis, cùm dicit 1. Cor. 11. ℣. 26. *quotiescunq; ederitis panem hunc & poculum hoc biberitis, mortem Domini annuntiatis, donec venerit.* Non itaque est memoria *præsentis*, sed *venientis* adeoque *absentis*. Responde D. JCte? sed ne cum Jesuitis tuis, Apostolum loqui de adventu Christi *in visibili formâ corporea*, non verò de adventu *secundum invisibilem præsentiam*: nam 1. supponitur gratis dari *præsentiam corporis Christi invisibilem* præter *visibilem*, quæ probanda fuit ante

te omnia, non supponenda. 2. Pugnat hæc distinctio cum verbis Apostoli: nam quod invisibiliter venit, venit utique: jam verò vult Apostolus hanc memoriam continuari *donec venerit*: Si proinde Christus corporaliter venerit (quod Papistæ dicunt) quocunque etiam modo corporali, tunc recordatio Christi in S. cœna hodie non amplius obtinebit; quo quid quæso absurdi°? Laudamus interim D. JCtum, quòd hæc Christi verba *hoc facite* exponat, *percipite S. Cœnam*, adeoque abeat à reliquis Papicolis, qui illis ad solos Apostolos restrictis hunc affingunt sensum, *Sacrificate corpus & sanguinem*, quod quid aliud est quàm illudere Dei verbo & cum Anaxagora *omnia educere ex omnibus*? Sic corpus Christi sacrificabitur in memoriam corporis Christi: quod æquè ridiculum, acsi quis diceret, *hic agnus sacrificatur in memoriam hujus agni*.

XIV. Pergit Molinæus, *Christus accepit panem, benedixit & dedit. Dedit ergo panem. Non datur autem panis nisi post consecrationem. Erat ergo adhuc panis post consecrationem.* Quid ad hæc D. JCtus? *Non lego*, inquit, *in Dei verbo, Dominum, antequam hæc verba, hoc est corpus meum, pronuntiaverit, discipulis panem actu in manus tradidisse.* ℞. Non? Annon ergò expressè legis Matth. 26. 26. Christum *accepisse PANEM, benedixisse, fregisse & discipulis DEDISSE* & tum demum dixisse, *accipite, edite, hoc est corpus meum?* verbum *accipite* frustra urges: nam illud non infert panem nondum acceptum, sed finem & usum panis jam accepti. Sed *non legas* D. JCte, quid tum? quid ad rem? quasi verò consecratio fiat per verba *hoc est corpus meum*. Proba hoc tuo Papæ Innocentio III. id nobiscum neganti. Annon legitur, Christus *panem sumpsisse, benedixisse, fregisse*, & tum demum *discipulis dedisse*: Et datus fuit discipulis panis post *benedictionem* seu *consecrationem*. Relaberis ad caput 6 Johannis: sed ereptum tibi supra modò istud telum & in tuum ipsius caput retortum. Sunt duo Papæ, quatuor Cardinales, duo Archiepiscopi, quinque Episcopi, plurimique alii Doctores Pontificii,

ficii, qui nobiscum agnoſcunt, Joh. 6. non agi de Sacramentali, ſed de ſola manducatione ſpirituali, quibus tu reſponde, ſi potes: Etiam totus id innuit contextus, ut ſupra *num. 2. & 3.* demonſtratum.

XV. Dicit porrò Molinæus, *in Sacramentis ſignum gerere nomen rei ſignatæ.* Petis tibi hoc demonſtrari ex Scriptura. En ergo demonſtro! *Circumciſio* nuncupatur *fœdus Dei* Gen. 17. ꝟ. 10. id eſt, interprete Paulo Rom. 4. 11, imò ipſo Deo Gen. 17. ꝟ. 11. *ſignum fœderis.* Sic *agnus Paſchalis* dicitur *tranſitus Jehovæ*, h. e. declarante ipſo Deo Exod. 13. 9. *ſignum memoriale tranſitus* tum *angeli* tum *populi.* Sic *Baptiſmus* appellatur *lavacrum regenerationis* Tit. 3. 5 & *ablutio peccatorum*, Act. 22. 16. quia declarante Petro 1. c. 3. 21. eſt horum Chriſti beneficiorum antitypus. An hic *ſignum non gerit nomen rei ſignatæ* D. JCte? Quomodo jam poteſt aut debet in altero N. T. Sacramento diſpar eſſe prædicationis ratio? Et quæſo, dicas mihi, quomodo *poculum* dicatur à Paulo *N. Teſtamentum* ſine hoc eodem tropo? Tu Theologorum veſtrorum præſtantiſſimis oculatior fueris, ſi hoc videris. *Poculum*, ait Staplet. in Antido. Evang in c. 22. *Luc. eſt N. Teſtamentum, quatenus illud confirmat, ut circumciſio vocatur fœdus, quia erat ejus confirmatio. Hic eſt calix ſanguinis mei*, inquit Thomas 3. 2. q. 78. *eſt locutio figurativa* &c. His adde Bellarminum: *Non negamus*, ait ille l. 1. de Euch. c. 11. *in verbo* calix *eſſe tropum.* Et quid? anno ipſe Paulus in verbis Chriſti, *hoc eſt corpus meum* hunc tropum agnoſcit, dum ea explicando dicit, *panis, quem frangimus, nonne eſt communio corporis Chriſti?*

XVI. Fruſtra regeris, *à locutionibus V. T. ad locutiones N. T. non procedere conſequentiam, eò quòd in V. T. obtinuerint typi & figuræ, in N. autem obtineat veritas & non figura* &c: nam 1. diſce diſtinguere inter *figuras rerum futurarum* & *figuras verborum*: illæ abrogatæ ſunt: hæ autem non: niſi dicere velis, quod eſſet ridiculum & adverſus ſolem loqui, Chriſtum & Apoſtolos nunquam tropis in N. T. eſſe uſos. 2. *Obtinuit* ſanè in V. T. *lex umbram*

bram futurorum bonorum, *non ipsam expressam formam rerum Heb. c. 10. v. 1.* obtinente jam è contrario ipsa veritate, id est, nato, passo, mortuo & jam ad dextram Dei sedente Jesu, qui in V. T. promissus & sacrificiis præfiguratus fuit: interim tamen & in V. T. Christus non tantum erat mediator fidelium vi & efficacia futuri meriti Heb. 13. 8. Eph. 2. 20. Apoc. 13. 8. ita ut *illi fuerint servati per gratiam D. J. Christi, quemadmodum & nos Act. 15. 11*: sed etiam in N. T. instituit sacra signa, panem & vinum, tanquam visibiles figuras, sigilla & pignora non venturi, sed jam exhibiti Salvatoris. Audi Bellarminum. *Omnia*, ait l. 2. de Euch. c. 24. *Sacramenta habent sensum mysticum & FIGVRAE sunt ac TYPI aliarum rerum.* Habes ergò à Bellarmino tuo in Sacramentis N. T. figuras & typos. Sed en, quàm non urat allegatus de agno Paschali textus adversarios: *alia* ad eum est responsio D. JCti, alia Perronii, *alia* Vasquez, *alia* Valentiæ *disp. 6. q. 3. de præs. alia* Roffensis *lib. 2. c. 10. alia* Bellarmini *l. 1. c. 11. alia* aliorum! Nimirum nesciunt, quò se vertere debeant Cadmei fratres. Et quis vos non miretur D. JCte? clamatis ad ravim usque τὸ ῥητὸν esse retinendum, tropos & figuras in verbis Testamenti non obtinere, & tamen vos ipsi in tropicam locutionem juxta vestram sententiam non semel inciditis. Demonstrabo hoc ad oculum. *Primum* tropum statuitis in voce *calix*. Audi Jesuitam Salmeronem. *Calix* ait ille Tom. 9. Tr. 25. *sumitur pro contento in calice per metonymiam.* Quid verò illud sit, admodum anxiè disceptatis; si sumitur pro sanguine in calice contento, tum est, dicente Jansenio *Conc. Evang. p. 910.* Synecdoche. *Secundum* in voce *edite* & *tertium* in voce *bibite* Bellarminus vocem *edite* objicit ut *præceptivam*, adeoque opinione sua propriam: Maldonatus autem *corpus Christi propriè manducari* negat *tom. 1. de Sacram.* Ratio datur à Salmerone, *quia* ait l. c. Tr. 10. *realis manducatio requirit, ut res in partes dividatur, at caro Christi est impartibilis, nec in Sacramento propriè manducatur: Figurate ergo dicitur manducari, symbolo ejus, id est, specie panis*, pro-

propriè manducatâ. Addit, *& figuratè dicitur sanguis bibi, in ejus signo, nempe specie vini.* *Quartum* in voce *datur.* *Quintum* in voce *frangitur.* *Sextum* in voce *effunditur.* Quarum quælibet geminum involvit tropum 1. quoad rem, 2. quoad tempus. Audi Vasquesium vestrum. *Ego existimo* ait in 3. Thom. q. 78 art. 3. disp. 199. *verbum datur seu frangitur & effunditur, multo melius ad passionem & crucem referri, quàm ad fractionem & effusionem Eucharistiæ. Quia non est effusio sanguinis in Eucharistia per modum sacrificii, sed repræsentatio & FIGURA illius: in calice enim Domini non separatur sanguis à corpore Christi, ac proinde reipsa non effunditur.* Præterea juxta Jansenium & Salmeronem triplicem hîc admittitis enallagen temporis *datur* pro *dabitur*, *frangitur* pro *frangetur*, *effunditur* pro *effundetur.* Videte ergo viri τεοπόμιοι; qui semper crepatis τὸ ῥητὸν & nihil de tropo in S. Cœna audire vultis, habetis hîc novem tropos. His jam additis *decimum* in voce *Testamentum*, de qua ita Jansenius l. c. *Dicendum est, certum esse, hanc locutionem:* hic calix N. Testamentum est, *non posse accipi in proprio sensu* &c. Et Salmero, *Simul inest his verbis FIGURA metonymiæ, qua Test. Novum dicitur, cùm sit ejus Symbolum.* En cœcitatem vestram, vociferamini ad ravim usque, *esse verba Testamenti & ideo κτ̀ τὸ ῥητὸν intelligenda*, & nihilominus in ipsa voce *Testamenti* tropum admittere cogimini.

XVII. Locus Pauli *1. Cor. 10. 1. 2. 3. 4.* ad quem jam respondere conaris, non parùm vos premit. Patet enim ex illo 1. duo tantùm esse Sacramenta N. Testamenti, quia Paulus, conferens ℣. 1. 2. 3. 4. Sacramenta N. T. cum Sacramentis V. T. duorum tantum meminit. Patet 2. tropica, in Sacramentis usitata, locutio ℣. 4. *Petra erat Christus*, i. e. significabat. Patet 3. corpus Christi non edi *ore corporis*, sed *fide.* *Ederunt enim omnes Patres nostri eandem* nobiscum *escam spiritualem, & omnes eundem potum spiritualem biberunt* ℣. 3. 4. scil. fide, qua etiam *Abraham vidit diem Christi Joh. 8. 56.* Patet 4. Sacramenta sub V. T. eandem

gra-

gratiam spiritualem, quam notant sub N.T., significâsse, quia *ederunt eandem escam & biberunt eundem potum*, nempe *Jesum Christum* ℣.3.4. Quæ ad hæc reponis, ne cassa quidem nuce digna sunt: Nos concedimus ultro, Sacramenta V. & N.T. differre, & quidem 1. non *solus ceremoniis*, sed etiam 2. ratione τῆς οἰκονομίας καιρῶν, imò etiam 3. ratione *claritatis*: at quod differant re significata & quidem ita, ut Sacramenta V.T. gratiam præfigurent tantum, at Sacramenta N.T. eandem exhibeant, falsissimum est; nam à Paulo hîc veteribus baptismus & cœna nostra suo modo tribuitur, doceturque, quod nobis baptismus, id ipsis significâsse nubem & transitum per mare, & quod nobis S.Cœna, id ipsis mannam & Petram denotâsse. Verum est, *Sacramenta V.T. fuisse typos & umbram*: at (1) non fuerunt typi & umbra Sacramentorum N.T. sed Christi, qui est ipsa veritas Joh.1. ℣.17. (2) fuerunt umbræ & imagines, sed quæ eandem gratiam figurabant ac obsignabant, eundemque Christum Ecclesiæ in manum tradebant, quem N.Test. Sacramenta exhibent. *Bibebant enim ex sequenti spirituali petra: Petra verò illa erat Christus.* Quid clarius? Audi Anselmum. *Eandem escam* (inquit in h.l.) *corporis Christi, quam nos manducamus in pane, patres manducaverunt in manna & eundem potum sanguinis Christi, quem nos ex calice bibimus, ipsi biberunt ex petra*, &c. Sic & ante ipsum Augustinus. *Spiritualem eandem, quam nos, etiam manducaverunt.* Et porro. *In signis diversis eadem fides.* Et rursus. *Spiritualem utique eandem: sed corporalem alteram. Sacramenta illa fuerunt, in signis diversa sunt, in re, quæ significatur, paria sunt. Tract.26. & 45 in Joh.* Et quid D.JCte? Annon Theologorum vestrorum præstantissimi docent, *circumcisionem contulisse justificationem ex opere operato.* Sic sentit Alexander *par. 4. q. 7. m. 7. ar. 4.* Bonaventura, Scotus, Biel *in 4. dist. 1.* imò omnes Franciscani & qui eorum Theologiç favent, quæ imprimis tum Ecclesiæ auctoritate in genere tum in specie Doctorum, ut Augustini & aliorum defenditur à Josepho Angles *in Flor. in 4 sent.* Hi, inquam, omnes statuunt nobiscum

biscum contra Bellarminum & Jesuitas, Thomam & Thomistas, circumcisionem, licet fuerit umbra & figura, à baptismo ratione efficaciæ & modi conferendi gratiam nihil differre: cur ergò cætera V.T. Sacramenta, eò quòd fuerint umbræ & figuræ, à nostris hoc nomine differrent?

XVIII. Notandum præterea, quod vel unum toti liti decidendæ sufficere posset, linguam Hebraïcam & Syriacam, quâ Christum locutum esse vel ipsi adversarii diffiteri non possunt, voce *significat* vel *repræsentat* prorsus destitui, sed illius loco semper uti verbo *Est* aut expresso aut subaudito, prout hoc, si efflagitaret necessitas, innumeris Scripturæ locis confirmari posset. Sufficiant jam, brevitatis gratiâ, hæc pauca. Sic Gen. 40. ℣.12. dicitur. *Tres illi palmites sunt tres dies.* Et ℣.18. *Tria illa canistra sunt tres dies.* Sic Gen. 41.26. *Septem illæ vaccæ bonâ formâ sunt septem anni & septem illæ spicæ bonâ formâ sunt septem anni.* Vide porrò *vers.27. & Exod.32.4. Dan.2.38. & 4.20.21. & 7.17. & 8.20.* &c. Sic ipsa Vulgata Versio Ezech. 17.12. verba מה־אלה *quid hæc sint* vertit, *significent*. Etiam eadem phrasis Hebraïca in ipso N.T. est frequentissima. *Septem capita sunt 7. montes* inquit Johannes Apoc. 17.9. Item ℣.12. *Decem cornua sunt decem Reges.* *Ager*, inquit ipse Christus Matth. 13.38. *EST mundus: bonum verò semen SUNT filii regni: zizania verò SUNT filii illius improbi.* Vide porro *in eod. cap. vers. 19. 20. 22. 23. 39. &c.* Et in ipsa materiâ Sacramentorum *Gen. 17.10. Exod. 20.20. 1. Cor. 10.4.* &c. Magna proinde temeritas est Jesuitæ Maldonati in cap. Matth. 26. negantis, *verbum substantivum aut Latinè aut Græcè aut Ebraicè, aut ulla prorsus in lingua, aut apud alium ullum autorem pro verbo* significat *accipi solere aut etiam posse; hominesque imperitissimos, qui id dicant esse* affirmantis. Vah mendacem socium! dignum, qui à Socio in fugam disjiciatur. Est is Jesuita Cornel. à Lapide, qui in c. 40. Gen. rotundè fatetur *est* pro *significat* accipi. *Tres dies sunt.* *Sunt*, inquit, *id est, significant.* &c. Christus proinde cùm linguâ, quâ locutus est, non potuerit dicere;

Hoc significat corpus meum, quid certius, quàm ipsum sectatum esse & usurpâsse modum loquendi ordinarium & in Sacramentalibus locutionibus usitatum? Quid D. JCtus Molinæo hæc urgenti? Respondet, *in quæstione esse; an Christus voce* significat *uti voluerit*: At quis quæso id in dubium vocet? voluit utique usurpare modum loquendi ordinarium & in Sacramentalibus locutionibus usitatum: atqui *est* pro *significat* adhibere erat ordinarium & in Sacramentalibus locutionibus usitatissimum: ut suprà evidentissimè demonstratum. *Tres Evangelistæ* (sic pergis) *docent, Christum nullum alium sanguinem in S. Cœna bibendum commendâsse, quàm qui pro nobis fuerit effusus Matth. 26. 28. Marc. 14. 24. Luc. 22. 20. Lucam & Paulum memorare idem de corpore Christi c. 22. 19. 1. Cor. 11. 24. &c.* Ita est D. JCte! idem & nos docemus: sed quid inde pro te? *jam vero*, ais, *extra dubium est, Christum non esse in figura pro nobis crucifixum, sed verissimè sanguinem suum sanctissimum in cruce pro nobis effudisse.* Idem & apud nos est extra dubium D. JCte. Sed quid tandem? *Quomodo igitur*, inquis, *sine pudore, ignominiâ æternoque exitio dici potest aliter, quàm verum Christi corpus, verumq; ipsius sanguinem &c. porrigi nobis in S. Cœna accipiendum?* At quousque tandem perges fumum vendere? ullusne unquam Reformatorum hoc negavit? Aliud est *verum Christi corpus & sanguinem nobis porrigi in S. Cœna accipiendum* & aliud, *porrigi nobis accipiendum oraliter & corporaliter*. Prius asserimus, sed non posterius. En ergò quàm bene Vir Reformatam Religionem, quam tot annos professus est, intellexerit! Addis, *verisimile ne esset, cùm, vel fatente Molinæo, lingua Græca, quâ N. Testamentum conscriptum esse constat, vocabulis, quibus* τὸ significat *exprimi possit, haud destituatur, nullum Evangelistarum vel Apostolorum ad minimum aliquam de hac re mentionem fecisse?* &c. Nugæ nugarum! annon 1. decebat Sacros Scriptores verba Christi fideliter & prout erant ab ipso prolata proferre? 2. Nihil opus erat quicquam de hac re meminisse, cùm esset mos loquendi Hebræis familiaris & in Scripturis, ad quas ab Apostolis omnes

omnes adducebantur, uſitatiſſimus. 3. Cur magis Sacri Scriptores debuiſſent meminiſſe in verbis *hoc eſt corpus meum*, quàm in verbis *Petra erat Chriſtus* 1. Cor. 10. 4. Ubi ipſe Salmero veſter agnoſcit *erat* poſitum eſſe pro *ſignificabat*? vel in verbis, *hoc poculum eſt N. Teſtamentum*? ubi ipſi præſtantiſſimi Theologi veſtri tropum admittunt, ut ſupra audivimus. Addis porrò, *nondum probatum eſſe, quòd Chriſtus S. Cœnam linguâ hebraicâ & non potiùs Græcâ inſtituerit*. En quàm ſe vir non torqueat! Haud dubiè inſtituit S. Cœnam iſtâ linguâ, quæ tum temporis inter Judæos erat uſitata: jam verò tum temporis uſitatam fuiſſe Hebræo-Syriacam, audi tibi probantem Jeſuitam Nicquetum. *Videndum eſt*, ait is de Tit. crucis l. 1. c. 13 *quâ lingua tempore Chriſti utebantur* Judæi; *ſine dubio enim eadem linguâ ſcriptus eſt titulus. Jam quidem inſinuavimus, fuiſſe Syro-Chaldaïcam, ſeu Hebraïcam corruptam; ſed hoc etiam probandum eſt: neq; melius meo judicio demonſtrari poteſt, quàm teſtimoniis ex Scriptura petitis*. Adducit huc loca ex Matth. 27. 8. ex Act. 1. 19 ex Joh. 19. 13. Probat in ſequentibus idem ex vocabulis *peſach*, *Rabboni*, item ex verbis Chriſti *Heloi lama ſabacthani*, *Epheta*, *thalita kumi* & aliis. *Phraſis Syriaca*, ait Jeſuita Salmero Prolegom. 35. *Chriſto Apoſtolisq; gentilitia* erat. His accedit Bellarminus *l. 2. de V. D. c. 4.* & Widmanſtadius *in præf. in Elem. Ling. Syr.* ſcribens, *Lingua Syriaca rectè nominatur Chriſtiana, Chriſto Jeſu & ejus matri domeſtica, & eâ ætate in conſuetudine* Judææ *totius vulgari, adeoq; à N. T. Scriptoribus Hebraïca dicta*. Et quî quæſo Chriſtus S. Cœnam inſtituiſſet linguâ Græcâ, cujus notitia demum Apoſtolis communicata fuit die pentecoſtes Act. 2. 4. & ſeq.?

XIX. Ad poculum quod attinet, hæc de eo juxta Lucam & Paulum ſunt Chriſti verba, *hoc poculum eſt novum Teſtamentum in meo ſanguine*. Quærit hinc Molinæus ex Papicolis, *num id, quod poculo continetur, ſit teſtamentum Sacramentaliter, an verò realiter? Si prius, ſequitur, etiam id, quod Chriſtus fregit, & diſcipulis in manus dedit, non realiter, ſed Sacramentaliter ejus corpus fuiſſe:*

isse: Si posterius, ergò sanguis Christi, qui juxta ipsos poculo continetur, erit ipsum testamentum & sacerdos, qui singulis diebus conficit sanguinem, conficiet etiam quotidie Dei testamentum, quod tamen Papicolæ non credunt. Quid ad hæc D. JCtus? *Miratus sum,* inquit, *nonnunquam hanc quæstionem* &c. Credo tibi D. JCte. Ferit vos ità cornutus ille Molinæi, ut nesciatis, quò debeatis vos vertere ad ictus ejus declinandos. Addis, *docere quidem Paulum, poculum esse N. Testamentum: quòd verò in poculo testamentum sit seu contineatur, docere nec Lucam nec Paulum, adeoq; ineptam esse quæstionem.* At miror ego mirantem. Annon, cùm Christus ait, *hoc poculum est N. Testamentum*, continens ponitur pro re contenta? Audi tuum Bellarminum. *Non negamus*, ait is l. 1. de Euch. c. 11. *in verbo calix tropum esse* &c. *Dominus enim ait: accipite, bibite, hic est calix: at certè non bibitur vas, sed liquor in eo contentus.* Et paulò post. *Hic calix, id est, res contenta in hoc calice, sub speciebus vini est N. Testamentum dedicatum & sancitum in sanguine meo.* Quî ergò jam non justissimè quærat Molinæus ex vobis, *num id, quod poculo continetur, sit testamentum Sacramentaliter, an verò realiter?* Quæ tu quærenti respondes, ne cassa quidem nuce digna sunt. Dicis 1. *quemadmodum Deus in V. T. verum agnum paschalem manducandum ad fœdus cum Israëlitis initum confirmandum & præfigurandum S. Cœnam instituerit, ità non minùs Christum in N. T. mediante exhibitione corporis & sanguinis sui in S. Cœna fecisse* &c. Sed quid hæc quæso ad rem D. JCte? Estne hoc Molinæo respondere ad suam quæstionem? proba interim, quod toties ingeminas, *agnum paschalem fuisse typum S. Cœnæ.* Typum fuisse Christi, docet nos Scriptura *1. Cor. 5. 7. & Joh. 19. 36. collat. cum Exod. 12. 46.* fuisse typum S. Cœnæ, fingit tuus Papa. *Sed posito,* ais 2. *non tamen concesso, id, quod poculo continetur, esse Sacramentaliter Testamentum, num propterea sequetur; etiam id, quod Christus discipulis in manus dedit, sacramentaliter, non realiter, Christi corpus fuisse?* quidni D. JCte? num ergò utriusque Symboli non erit eadem ratio? Credit sanè Bellarminus tuus: nam inde sibi

ſibi robuſtiſſimum imaginatur duci contra nos argumentum *l.r. de Euch. c.10.* inquiens; *Si* hoc *demonſtraret panem, etiam ità in conſecratione vini* hic *ſive* hoc *Græcè, demonſtraret vinum* &c.

XX. Pergis, *Matthæum & Marcum non eſſe per Lucam & Paulum corrigendos, cùm omnes fuerint* Θεόπνευστοι at quis Reformatorum hoc docet D. JCte? ubi Molinæus ſcribit, *illos per hos corrigendos?* tuum figmentum eſt. Hoc dicit Molinæus, *Lucam & Paulum, tanquam Scriptores poſteriores ſatis exprimere & explicare mentem Matthæi & Marci.* An hoc malè D. JCte? demonſtra. Annon æquum cenſere, Scriptorem poſteriorem non eo ſcribere fine, ut prioris mentem obſcuret, ſed potius illuſtret? an Chriſtus conſtituendus Interpres verborum Pauli? annon Paulus potius verborum Chriſti? utpote qui hunc in finem ſcripſit, ut verba Chriſti proponat & exponat. Molinæus non vult corrigi Evangeliſtam ex Evangeliſta, ut tu ipſi affingis, ſed Evangeliſtam cum Evangeliſta amice componi, ut inſpicienti *art. 38. §. 24.* liquet. Reſpice potiùs Maldonatum veſtrum, qui eò impietatis procedit, ut Lucam & Paulum mendacii inſimulare haud erubeſcat *in cap. 26. Matth. verſ. 28.* quaſi Chriſti verba ex rei veritate non retulerint; velitque Matthæo & Marco fidem potiùs adhiberi quàm Lucæ & Paulo. En modeſtiam Jeſuiticam! Sed quòd adverſarii eò temeritatis adducantur, quis miretur: neſciunt enim, quò ſe hîc vertere debeant, ſtringentibus veritatis radiis convicti. Conſtituunt in canone Miſſæ hæc verba *Hic eſt enim calix ſanguinis mei*, formam conſecrationis, ita ut virtute illorum verborum (cætera enim, quæ in Miſſalibus adduntur, *novi & æterni Teſt. myſterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*, ut ſtatuunt Bonaventura, Suarez, Bellarminus & alii contra Thomam & Thomiſtas, *non ſunt eſſentialia. Vid Jeſ. Buſenb. l. 6. Tr. 3. c. 1.*) fiat transſubſtantiatio: at quis Dominos iſtos hanc formulam docuit? certè nec Chriſtus, nec ullus Apoſtolorum aut Evangeliſtarum: ſolus Papa adeò artificioſus eſt, ut eam excogitave-

taverit. Audi Scotum vestrum. *De verbis* (ait *in Script. Oxoniensi in 4. d.8.q. 2. n.6.) consecrationis sanguinis est dubium magis, quia quantum ad duo. Primum est, quia formam, quâ utimur, NB nullus Evangelistarum recitat. Ideo non videtur ex Evangelio certa. Græci etiam alia forma utuntur dicentes; Hic est sanguis* &c. *Respondeo, non dubito, quin formula nostra sit certa, secundum auctoritatem illam Innocentii: quia multa tradita sunt Ecclesiæ ab Apostolis, quæ tamen non sic scripta sunt in Evangeliis.* Videtis, quò Scotus originem hujus formulæ referat? non ad Christum, sed ad Papam, provocans eadem veritate ad traditionem Apostolicam, quâ Judæi ex Scripturis convicti, ad defendendas nihilominus nugas suas, ad traditiones Mosis. Quàm egregiè autem Papæ vestri, dum ita pervertunt Christi verba, sanctitatem suam commendent, tu ipse judica D. JCte.

XXI. Sed repetamus Christi verba. Dixit Dominus, teste Matthæo & Marco, *hoc est sanguis meus N. Testamenti* seu *novi fœderis.* Si vi horum verborum fit transsubstantiatio in sanguinem Christi: agedum dicat mihi D. JCtus, quid intelligat per voculam *hoc?* an vas? an contentum in vase? Si *vas:* ergo *ipsum vas post prolata verba erit sanguis Christi.* Si *contentum:* ergo *admittit tropum*, cùm tamen Pontificii semper crepent τὸ ῥητόν. Sed intelligat *contentum!* quæro porrò, quodnam contentum hîc propriè designetur per *hoc?* Num *vinum?* an verò *sanguis Christi?* Si *vinum:* ergò, cùm Lucas & Paulus ista Christi verba explicationis ergò ità enuntiarint, *hoc poculum est N. T. per* seu *in meo sanguine*, vinum convertetur in N. Testamentum. Si *sanguis:* Ergo sanguis Christi transsubstantiabitur in N. Testamentum; & sensus erit; *Hic sanguis est N. Testamentum in meo sanguine.* Et sic geminus erit sanguis Christi, eritque sanguis Christi in sanguine Christi. Quæ utique inficeta & perabsurda sunt. Porro dicat mihi D. JCtus, num vocem *Testamentum* intelligat propriè, an verò tropicè? Si *prius:* Ergò *contentum in calice erit propriè Testamentum*, quod ridiculum, & refutatur

ab

ab ipsis Papicolis. *Non est propria locutio*, inquit Jansenius *Concord. Evang. pag. 910. quia Lex Evangelica in Ep. ad Hebraeos dicitur N. Testamentum.* Et Salmero. *Simul inest his verbis figura metonymia, quâ Test. Novum dicitur, cùm sit ejus Symbolum.* Si *tropicè* pro sigillo Testamenti: *Ergò contentum in calice* (id est, vel vinum vel sanguis) *transsubstantiabitur in sigillum Testamenti:* quod quàm maximè ridiculum, & refutatur à Bellarmino, qui *lib. 1. de Euch. c. 11.* in voce *Testamenti* nullum vult esse tropum. Et quid? dum dicunt, *calicem esse sigillum Testamenti*, annon eo ipso ipsimet fatentur, *calicem non esse realiter sanguinem Christi?* cùm sigilla Testamenti debeant esse visibilia: sanguis autem calicis est invisibilis. Nec est, quòd D. JCtus dicat, *à rebus humanis ad divinas non procedere consequentiam, in rebus fidei & mysteriis non esse ad sensus attendendum, rationem esse captivandam:* nam, ut bene dicit Celeb. Turretinus noster *p. 3. Institut. Theol. loc. 19. q. 27. quamvis certum sit, sensus non posse judicare de rebus spiritualibus, quà talibus, quae in mysteriis fidei occurrunt & quae sunt supra sensus. Non sequitur, non posse consuli super rebus sensibilibus, visibilibus, quae in mysteriis occurrere possunt. Nimirum duo mysteriorum genera apprimè hîc sunt distinguenda. Alia, quae à rebus corporeis plane abstracta sunt & longè superant & rationis & sensuum sphaeram. Haec solius fidei objectum esse, non rationis aut sensuum esse non negamus, & ex sola verbi revelatione, non ex rationis arbitrio vel sensuum testimonio judicanda esse. Alia verò, quae rebus corporeis & sensibilibus sunt involuta & connexa, ut mysterium Incarnationis, Resurrectionis &c. de quarum veritate & certitudine sensus & ratio testimonium perhibere possunt. Talia mysteria sunt Sacramenta, in quibus proinde non sunt excludendi, sed audiendi sensus & ratio.* Et quaeso dicat mihi D. JCtus, quî Christus discipulos Emaunticos, ad probandam veritatem corporis sui post resurrectionem, adduxerit ad sensus *videte & palpate* Luc. 24. 39. si in rebus fidei sensus & ratio adeò est captivanda? Addat, Transsubstantiationem non esse mysterium divinum, sed figmentum Papisticum.

XXII.

XXII. Quod addis, *Molinæum fateri, Matthæi verba esse clariora quàm Pauli*, falsissimum est: nullibi hoc dicit Molinæus: tuum est figmentum. Si jungantur Matthæo & Marco Lucas & Paulus, Scriptores illis duobus posteriores, quid clarius pro sententiâ nostrâ? dicunt illi, *hoc est sanguis meus N. Testamenti*, id est, *hoc significat vel signum est sanguinis illius mei, quo fundatur & sancitur novum Testamentum*: dicunt hi, *hoc poculum est Nov. Testamentum in sanguine meo*, id est, *vinum, hoc poculo contentum significat N. Testamentum in sanguine meo stabiliendum*: annon hîc optima omnium convenientia? Tu autem hîc mirum cum Jesuitis tuis agis Vertumnum, nescius, quò, dum adeò pungeris à Luca & Paulo, te vertas. Mirum, si non brevi cum Jesuitâ Maldonato eorum formulam apertè taxes, eisque fidem abroges cum eodem scribens; *Nego* (hæc sunt ipsius verba *in cap. 26. Matth.) Christum hæc verba dixisse. Cùm enim Matthæus, qui aderat, & Marcus, qui ex Matthæo didicerat, scribant; Christum his verbis sanguinem suum tradidisse:* Hic est sanguis meus N. Testamenti: *æquum est, credere Matthæi potiùs & Marci, quàm Lucæ & Pauli verbis usum esse.* En Jesuitarum pietatem!

XXIII. Vult inprimis notari Molinæus verba adjuncta *in meo sanguine. Hoc poculum est N. Testamentum IN MEO SANGUINE.* Et sane illa sola sufficere possent tollendæ omni liti: cùm apertissimè innuant, illud, quod calice continetur, non esse realiter ipsum Christi sanguinem: ponamus enim semel, per *hoc poculum* intelligendum esse *hunc sanguinem*, quid inde sequetur? annon hoc? *hic sanguis est N. Testamentum in meo sanguine*, qua quæso enuntiatione quid absurdius? sic enim sanguis Christi erit in sanguine Christi. Sed audiamus, quomodo se hinc expediat Bellarminus. *Non est absurda*, inquit l. 1. de Euchar. c. 11. *locutio*: Hic calix Testamentum est in meo sanguine, *etiamsi illud*, hic calix, *significet*, sanguis in calice contentus. *Nam sanguis accipitur diverso modo in his duobus locis. Cùm enim dicitur*, hic calix, *sumitur sanguis in eo contentus, ut est sub speciebus*

vini,

vini, & est Sacramentum, ac proinde Testamentum; cum autem dicitur in sanguine, *sumitur pro ipso sanguine visibiliter in cruce effuso.* En quò absurdorum non deveniant hi homines, dum volunt monstrosa sua dogmata tueri! Effingit hîc bonus iste Cardinalis, nescius aliàs elabi, duplicem Christi sanguinem: mirum, quòd non plures adhuc effinxerit Christi sanguines. Eodem enim jure, si à diverso sanguinem Christi considerandi modo diversum sanguinem constituere licet, potuisset dicere, *alius est sanguis Christi sedentis, alius ambulantis, alius resurgentis, alius ad dextram Dei sedentis &c.* Mirum præterea, quòd non & aliud corpus in Eucharistia, & aliud in cruce constituerit: potuisset enim id eâdem facilitate. Et quæso Bellarmine, quomodo Ecclesia R. statuit, eundem numero sanguinem & corpus Christi esse & quod in Missis offertur & quod in cœlo est, si sanguis Christi juxta vos in calice contentus est diversus à sanguine Christi in cruce visibiliter effuso? Aut igitur Ecclesiæ vestræ apertè contradicis, aut admittis, eundem numero Christi sanguinem esse in eodem numero Christi sanguine.

XXIV. Quid autem hîc D. JCtus noster? Quærit ex Molinæo, quis ipsum docuerit, *per calicem intelligi Christi sanguinem?* ℞. Docuit ipsum hoc Bellarminus *l. 1. de Euch. c. 11.* scribens; *Cùm dicitur* hic calix, *sumitur sanguis in eo contentus.* Addit, *simplicissimos nosse, quòd, si quis dicat, hoc poculum aut calicem bibi, intelligatur contentum.* Ita est D. JCte. Sed quem oppugnas? negatne Molinæus, *per poculum intelligi contentum in poculo?* Quid autem continetur poculo? num propriè dictus Christi sanguis, an verò vinum? vos *prius* dicitis, adeoque juxta vos *sanguis Christi est in sanguine Christi.* Nos cum Molinæo *posterius*, adeoque juxta nos sensus est, *vinum hoc poculo contentum est signum N. Testamenti in sanguine meo stabiliendi.* Ubi hîc locus absurdo, *signum sanguinis esse in signo sanguinis*, quod Molinæo tribuere intendebas?

XXV. Observandum præterea, Christum dixisse, *hoc*

est sanguis meus N. Testamenti, qui pro multis effunditur. Quæ verba in præsenti tempore intellecta, ut Jesuitæ intelligunt, exponi non possunt de effusione reali; cùm non in S. Cœnâ, sed in cruce demum Christus sanguinem realiter effuderit: sed de Symbolicâ, quæ relativa est ad effusionem realem in cruce factam. Dicant enim mihi Jesuitæ, *an, dum statuunt, sanguinem Christi in Missa realiter effundi, sanguis Christi effluat ex venis nec ne?* Si non effluit ex venis, quomodo effunditur realiter? effundere utiq; est *ex* vel *extra* fundere. Si effluit: Christus adhuc passioni obnoxius est. Præterea erudiant me Domini isti, an, dum credunt se bibere in Missa Christi sanguinem oraliter, bibant eundem sanguinem, qui ex sanctissimo ejus latere, manibus pedibusque effluxit, an eum qui in corpore remansit? si *posterius:* quî Christus nos jussit bibere de sanguine effuso? Si *prius*: ostendant, ubi jam sanguis Christi effusus reperiatur? num Hierosolymis, an Romæ, an alibi? an verò ex terrâ in vulnera Christi sit revocatus? &, si in venas revocatus sit, quî jam oraliter bibi queat? Idem urgeo de corpore. Si edunt oraliter Christi corpus: aut edunt corpus fractum seu crucifixum, aut jam in cœlis gloriosum. Gloriosum si se edere dicunt, impingunt in verba Christi, qui jussit nos edere corpus suum fractum. Fractum non possunt edere (ore corporis) cùm jam non amplius reperiatur corpus Christi *fractum, crucifixum & mortuum.* En insolubilia vincula, quibus hîc Missifices nostri constringuntur! Quid hîc jam D. JCtus? confert se in fugam, prætendens, *præsens* effunditur *positum esse pro futuro* effundetur: at revocant ipsum fugientem Jesuitæ, ut supra audivimus. Audiat jam tantum suum Elffium. Matthäus und Marcus (inquit l. c. p. 272.) erzehlen die Wort Christi / den Kelch betreffend / in præsenti tempore, nemlich das ist mein Blut / welches für viele vergossen wird zur Verzeihung der Sünden. Nicht sage (D. JCte) das Blut Christi sey dazumahl noch in den Adern geblieben / so seye es dazumahl noch nicht vergossen: Der Text heisset im Griechischen / qui pro vobis effunditur, welcher

cher Kelch für euch vergossen wird/ immassen Beza bekeñt/ daß das Wort ἐκκυνόμενον (ἐκχυνόμενον scribendum erat) der construction nach zu dem Kelch müsse referiret werden. Nun aber ist leicht zu verstehen / wie das Blut / welches im Kelch gewesen / seye außgegossen worden / als man dasselbige hat außgetruncken / obschon dasselbe nicht gewaltthätiger weise durch umbkommen vergossen ist. En Jesuitam risu dignissimum: cui ebibere sanguinem est sanguinem realiter effundere. In posterum jam Laïci, dum siccam hostiam edunt (calicis enim non redduntur participes) sanguinem Christi effundere dicentur. Cum hoc jam Theologo Apostata Jureconsultus Apostata disputare poterit. Verum est & ipsum Molinæum cum Bezâ illam effusionem referre ad actum præsentem: at intelligunt de effusione Sacramentali, non reali, quam demum in cruce factam esse nobiscum agnoscunt.

XXVI. Non minùs bene urget Molinæus verba Christi Matth. 26. 29. *Dico autem vobis: non bibam ab hoc tempore ex hoc fructu vitis* &c. Quî enim Dominus clariùs loqui potuisset? nuncupat id, quod biberat, *fructum vitis*, id est, *vinum*, non *sanguinem*. ℞. D. JCtus 1, *incertum adhuc esse, Christum ipsum S. Cœnam percepisse, loqui ipsum potius de vino, quod ante & post institutam S. Cœnam biberit, id quod ex Luc. 23. 17. ubi duo pocula memorentur, satis liqueat.* Sed vanè: nam Matthæus & Marcus hæc Domini verba perspicuè referunt ad calicem Sacramentalem. Lucas ait, Dominum idem dixisse de calice paschatis, sed non negat de calice Sacramentali: dixit ergo de utroque, indigitaturus, se in posterum cum discipulis suis nec pascha nec S. cœnam amplius esse celebraturum. Assensum nobis præbent S. Patres, Origenes *303. in Matth.* Augustinus *l. 1. q. Evang. c. 42.* Beda *in h. l.* Theophylactus & Euthymius *in h. l.* Hieronymus *Comm. in h. l.* Chrysostomus *hom. 63. in Matth.* Cyprianus *Epist. 68. ad Cæc.* una mente id referentes ad Calicem Eucharisticum. Sed cùm hoc adeò incertum sit D. JCto, faciant ipsum certum Theologi sui. *Christum*, ait Gardinerus Episc. Vuintoniensis

p. 1. ad Objectum 75. *communicasse cum discipulis, etiamsi verba Scripturæ nominatim non dicant, tamen quoniam id esse verum ex sensu collegerunt Catholici, equidem libenter amplector.* Addit D. JCtus, *non esse probabile, Christum proprio suo sanguine fruitum esse.* Bene ais D. JCte: nullo id modo est probabile: imò falsissimum & absurdissimum est: nam si Christus ore sumpsit suum sanguinem adeoq; etiam suum corpus; idem fuit comedens & comestum, & Christus habuit corpus suum in corpore suo, ventrem in stomacho, caput in ore, quæ utiq; absurdissima sunt: & nihilominus Theologi vestri, *quod tibi non est probabile*, credunt & apertè docent, ut Soto *in 4. dist. 12. q. 2. a. 1.* Bonaventura *in 4. d. 9. q. 4. a. 1.* Imò Sanctus vester Thomas etiam eos, quibus *id non est probabile*, ut tibi, apertè refutat. *Quidam* ait q. 81. a. 1. *dixerunt, quòd Chr. in cœna corpus & sanguinem suum discipulis tradidit, non tamen ipse sumpsit. Sed hoc non videtur convenienter dici, quia Christus ea, quæ ab aliis observanda instituit, ipse primitus observavit. Unde & ipse prius baptizari voluit, quàm aliis baptismum imponeret* &c. *Unde & ipse primò corpus suum & sanguinem sumpsit, & postea discipulis sumendum tradidit.* Addit Vasques in h. l. Thomæ, *conclusionem esse affirmantem, in qua omnes Catholici, quos ille legerit, planè conveniant.* Si tibi jam cum his Catholicis tuis litigare libeat, per nos licet. Frustra interim litigaveris: nam *si Christus cum discipulis communicavit, ut supra probavimus, & corpus & sanguis Christi sub specie panis & vini continentur & oraliter sumuntur*, ut vos docetis, sequitur utique manifestè, *Christum suum ipsi corpus & sanguinem edisse & bibisse.* Weilen die Niessung des Leibs und Bluts Christi (audi sic loquentem tuum Elffium l. c. p. 273. ut apostata ab apostata melius erudiatur) ein wesentlicher Theil des Opffers ist / so ist kein Zweiffel nach Meynung der Catholischen Lehrer / daß Christus selbst mit den Aposteln seinen Leib und Blut gessen und getruncken habe. En quàm egregia vobis sit doctrina! an etiam ex corpore Herodis tam fœdi & absurdi vermes prodierunt, quàm ex Transsubstantiatione vestra prodeunt fœda absurdi-

tatum

tatum monstra? Respondes 2. *in verbo Dei admodum frequens esse ut res mutata retineat primum nomen: liquere id exemplo baculi Mosis Exod. 7. 10. aquarum Aegyptiacarum ibid. ℣. 20, vini in nuptiis Cana Galilaea* &c. *hac enim licet fuerint mutata* (in serpentem, in sanguinem, in vinum) *primo tamen adhuc nomine fuisse insignita. Eodem modo sese rem habere cum Symbolis S. Cœnæ* &c. At miserrimum effugium! nam 1. ubi in allatis exemplis est locutio Sacramentalis? 2. aut ergò intelligis loco suprà adducto *per fructum vitis* vinum aut sanguinem. Si *prius*: quî quadrat huc tua exceptio? si *posterius*: Ergo Christus, dum bibit *ex hoc fructu vitis*, bibit *suum ipsius sanguinem*; quod tibi tamen suprà non erat probabile. 2. Verum est in Scriptura rem mutatam quandoque adhuc insigniri primo nomine: at hoc fit, cùm res mutata ex parte ex eo est composita, cujus retinet nomen. Sic eadem materia, quæ prius erat virga, cessit in serpentem: eadem materia evasit in sanguinem & vinum, eadem materia, quæ erat uxor Lothi, facta est statua salis: an verò etiam panis ingreditur compositionem corporis Christi? non audes dicere: quid ergò allata exempla ad rem? Præterea num ille serpens, in quem baculus Mosis & ille sanguis & vinum, in quæ aqua mutabatur, ante extitit D. JCte? non audes dicere: an autem corpus Christi, in quod panem converti dicitis, præextitit? non potes negare: vultis enim panem converti in corpus jam præexistens: quî ergo allata exempla huc quadrant? Porrò ubi legitur in Scripturâ D. JCte, quòd corpus Christi fuerit panis, quemadmodum legimus, serpentem fuisse virgam, & vinum & sanguinem ante fuisse aquam? Dicis, *non esse hoc adeò necesse, sufficere, ut illud, quod jam sit in sanguinem Christi mutatum, antea vinum fuerit*: at quis non rideat? ad quid ergo exempla allata? illa utique non evincunt conversionem in rem præexistentem, qualis vobis est conversio panis in corpus Christi. Provocas ad cap. 6. Johannis: at quàm frustra: demonstratum satis suprà. Et quæso, an serpens mutatus latebat sub accidentibus virgæ, ut juxta vos cor-

pus Christi sub accidentibus panis? annon movebatur? annon aqua mutata præbebat colorem sanguinis & saporem vini? at ubi vel minimum mutationis signum in hostia vestra? Sed quid pluribus? annon Paulus dicit, *Panis, quem frangimus, nonne est communio corporis Christi* 1. Cor. 10.16? sed num corpus Christi jam dici potest frangi? num corpus Christi potest dici communio corporis Christi? quomodo ergo per *panem* intelliges corpus? Sed en miros Papistas! ad id, quod maximè fugiunt, jam confugiunt: cùm dicimus, *panem esse corpus Christi non realiter*, sed *Sacramentaliter*, quantos clamores non cient? dicentes, verba S. Cœnæ esse propriè intelligenda: hîc autem cùm urgentur verbis Christi & Pauli (qui ter in uno eodemque c. 1. Cor. 11. id, quod Christus discipulis dedit, vocat panem) clamant, eos non intelligere voce *panis* panem verum, sed *imaginem panis*, adeoque admittunt *metonymiam signi pro signato*, id est, talem tropum, qui naturæ Sacramentorum repugnat.

XXVII. Dicit Paulus 1. Cor. 10. 16. *Panis, quem frangimus, nonne communio corporis Christi est?* Si post consecrationem frangitur panis: Ergò panis post consecrationem manet. Item, si panis est communio corporis, Ergo non ipsum corpus. Quid ad hæc D. JCtus? dicit, *etiam legi, Christum esse imaginem Dei* 2. Cor. 4. 4. &c. *an propterea sequetur, eum non esse ipsum Deum?* Hem subtilitatem! an ergo locutio illa, *Christus est imago Dei* est Sacramentalis, quemadmodum hæc, *panis est communio corporis Christi?* Sed excutiamus Viro soporem: vocem *Deus* sumisne *essentialiter*, an *personaliter*? si priori sensu erudias me, quomodo Christus sit imago Dei? si posteriori: verum quidem est, Christum esse imaginem Dei Patris Coloss. 1. 15. Heb. 1. 3. Sed an dicere potes, *Christus est imago Patris: Ergo est ipse Pater?* fatere ergo vel te Sabellianum esse, vel nihil ad rem dixisse. Sed porro D. JCte, quid intelligis per panem? aut intelligis *panem propriè dictum*, aut *corpus?* Si *prius*: quomodo panis est communio corporis Christi sine tropo? si *posterius*: ergò *corpus Christi erit communio*

munio corporis Christi: quod utique ridiculum. Dicis, in *Biblius S. Hieronymi non legi, panem esse communionem, sed communicationem & participationem.* Egregiè! at 1. ostende mihi hodie genuinam Hieronymi versionem? ostende eandem Bellarmino tuo, qui *l. 2. de V. Dei c. 8.* ait, *post tempora Gregorij videri omnes Latinas editiones evanuisse præter unam istam, quam nunc veterem & vulgatam vocamus.* Num dices, vulgatam illam vestram esse Hieronymi versionem? Hoc quidem hodie credunt Monachi vestri, sed fide Papisticâ. Probent mihi, probent Pagnino vestro, qui *præf. Interpr. Bibl. ad Clem. VII.* hoc negat. Negat etiam Paulus Foro Sempr. Episcopus *lib. 2. c. 1. de die pass.* Imò negat ipse Bellarminus. Ita enim ait l. c. cap. 11. *Vulgata editio non est unius auctoris, sed quædam habet ex Hieronymo, quædam ex Luciano, quædam ex Theodotione, quædam ex alio quodam interprete innominato.* Est ergò variè composita instar centonis: superat interim longè multitudinem auctorum multitudo errorum, quibus passim scatet. Sed 2. legatur ita in Hieronymi versione D. JCte, quid tum? num ea præjudicare potest textui originali, in quo occurrit vox κοινωνία *communio?* Et quid? annon inde juxta vestram expositionem redit hic sensus absurdissimus, *corpus Christi nonne est communicatio corporis Christi?* Addis, retenta licet voce *communio*, Paulum nobis non favere: *cùm versus 16 veniat intelligendus ex ℣. 18. ubi interroget Corinthios, nonne, qui edunt victimas* κοινωνοὶ *consortes sunt altaris?* egregiè! cùm victimæ vocantur communio altaris, & edentes victimas dicuntur κοινωνοὶ consortes altaris; num hoc aliter intelligi potest quàm sacramentaliter ad significandum mysticam edentium victimas cum altari societatem? victimæ erant communio altaris & hinc non ipsum altare: ita panis est communio corporis, & hinc non ipsum Christi corpus. Addit, inquis, Paulus ℣. 17. *Quoniam unus panis, unum corpus* nos *multi sumus*, nos *enim omnes ex uno illo pane participamus:* Ita est: *At hîc intelligi non potest panis propriè dictus, tanquam signum corporis:* sed quare non? *quia*, ais,

sic

ſic verè dici non poſſent communicantes in India, Germania & alibi unius panis participes fieri, cùm alius ſit panis Indorum, alius Hiſpanorum, alius Germanorum &c. *contrà corpus Chriſti ſemper unum.* R. Quemadmodum Judæis in quaque familia ſufficiens erat unus agnus, ſic in Eccleſiis, quas initiò Apoſtoli plantabant, propter exiguum communicantium numerum, unus panis in partes fractus: Et huc collineat loc. c. Apoſtolus. Quemadmodum interim omnes Judæi veſcebantur uno ſpecie agno ſacramentali: ità & omnes Chriſtianorum, ſive Indorum, ſive Anglorum, ſive Germanorum, Eccleſiæ uno ſpecie pane Sacramentali veſcuntur.

XXVIII. *Chriſtum*, ait porrò Molinæus, *oportet cœli capiant, usq; ad tempora reſtitutionis omnium Act. 3.21. Ergò in terra corporaliter non eſt præſens.* Reſpondes, *Chriſtum etiam nobiſcum eſſe omnibus diebus usque ad conſummationem ſeculi Matth. 28.20.* At num hîc Dominus promittit præſentiam corporalem D. JCte? longè erraveris affirmando: dicit enim apud eundem Matthæum cap. 26.11. *Semper pauperes habebitis vobiscum, me verò non ſemper:* Loquitur ergo de *præſentiâ ſpirituali*, & ſic quid ad rem tuam? Pergis, *annon extra cœlum apud Paulum ſtetit in carcere?* non D. JCte: erras. Dicitur quidem Act 23.11. *Sequente verò nocte ſuperveniens ei Dominus dixit, confide Paule:* ſed non dicitur *aſſiſtens ei corporaliter.* Non evincit Græcum ἐπιστὰς magis præſentiam Chriſti corporalem, quàm ἑστὼς præſentiam corporalem Viri Macedonis, Actor. 16.9. à Paulo conſpecti. Factum utrumq; nocturna viſione ac proinde non corporeâ, ſed intellectuali, quam vocant. Audi Jeſuitam veſtrum Lorinum. *Nunc probabilis*, ait in h. l. *eſt ſententia Chartuſiani, fuiſſe apparitionem imaginariam, dormienti factam ab Angelo, qui referret Chriſtum: ità ut nec Paulus, dum affirmat ſe vidiſſe Chriſtum, ad confirmandam veritatem reſurrectionis ejus, vel æqualem dignitatem ſuam in Apoſtolatu, inde ducere voluerit argumentum, nec qui ex hac præſenti apparitione colligunt, Chriſtum eſſe in Sacramento Euchariſtiæ &*

in

in cœlo, NB *satisfirmiter argumententur.* En quàm bene Jesuitæ tui tibi os obstruant! Abi ergò & firmius quære Chimæræ tuæ subsidium. Non autem invenis id Act. 22. & 1. Cor. 15. nam quæ quæso consequentia, *Paulus vidit justum illum* (i. e. Jesum) *& audivit vocem ex ore ipsius*, Ergo Christus ei corporaliter adfuit in hac terra? Annon ergò Christus in cœlis existens potest videri in terra, vocemque suam ita demittere, ut ab eo, quem vult, audiatur? Annon Stephanus in terris stans *ipsum vidit adstantem ad dextram Dei Actor. c. 7. ℣. 55?* quid? ipse Paulus Act. 26. 13. 19. describens hanc apparitionem vocat eam *lucem è cœlo & cœlestem visionem.* Audi Ambrosium. *Apparuit*, ait in 1. ad Corinth. c. 15. *illi primùm in cœlo, post oranti in templo*, scilicet *in ecstasi*, ut ipsemet testatur. Quid si tibi concederem D. JCte, Christum corporaliter visum esse in his terris, quid inde pro vobis? num à facto extraordinario ad ordinarium procedet consequentia? Audi Thomam vestrum. *Non derogat*, ait p. 3. q. 57. a. 6. *dignitati Christi, si ex aliqua dispensatione quandoque corporaliter ad terram descendat, vel ut ostendat se omnibus, sicut in judicio, vel alicui specialiter, sicut Paulo Act. 9.* Thomæ assentitur Lorinus *in Act. 3. 21.* & utrique Bellarminus l. 3. de Euch. c. 3. scribens; *Non est improbabile, Christum privatim & ad breve tempus descendisse de cœlo post ascensionem.* Hoc si veritati congruit, quid lucraberis D. JCte? Si *Christus descendit ad breve tempus & quandoque tantum corporaliter descendit ex cœlo, ad terram*, quî ergò vobis semper in Sacramento corporaliter adest in terra? Quod addis, *nos Christum in cœlo, tanquam in carcere includere*, manifesta est calumnia. Aliud est, *in cœlo tantùm corpore suo esse*: aliud verò, *in cœlo contentum corpus certo cœli loco affigi.* Christus est in cœlo liberè, prout gloriæ cœlesti convenit. Si interim hoc applicare vis Christo vestro paniceo, per nos licet: is enim, quod negare non potes, ita est inclusus sub accedentibus panis, ut, licet vel à muribus manducetur vel à furibus auferatur, immobilis tamen & constrictus semper maneat: en quàm

constringens carcer non sint accidentia vestra, sine subjecto existentia: Addis, Catechesin nostram docere, *animas communicantium certò Christi corpore & sanguine pasci.* Si hoc, ais, *verum est, debet utiq; corpus & sanguis Christi communicantibus esse præsens.* R. *Debet esse præsens*, concedimus: sed quâ *præsentiâ?* num necessariò *corporali* per descensum in hanc terram? proba: an *spirituali?* concedimus. Verè præsens est corpus Christi in cœlo *corporaliter*, & verè præsens est animis nostris *spiritualiter*. Quæres forte cum Jesuitis tuis. *Aut ergò animus sive fides communicantis ascendit in cœlum, aut Christus descendit?* R. Adde tertium: *aut infinitus Spiritus Christi, qui in illo & illis habitat, utrosq; conjungit?* Et hoc est, quod docemus. Christus in cœlo existens cum nobis in terra existentibus vera & reali unione conjungitur, quamvis nec nos ascendamus, nec ille descendat. Docet idem Scriptura Rom. 8.9.10. 1. Petr. 2.5. &c.

XXIX. Quæ ad locum Joh. 6.63. (qui vos non parùm urit) *Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quicquam: verba, quæ dixi vobis sunt spiritus & vita*, regeris, pariter futilia sunt. Non negat hîc Christus ἁπλῶς, carnem suam utilem esse: dixerat enim antea ℣. 53. *Nisi ederitis carnem filij hominis & biberitis ejus sanguinem, non habetis vitam in vobis:* sed κατά τι negat *utilem esse suam carnem*, nempe carnaliter & ore corporis comesam, de hac enim comestione Christum loqui Capernaitæ putabant, ut liliquet ℣. 52. Capernaitis istis vos successistis, utpote qui etiam vobis propriè dictam Christi carnem ore corpore manducandam censetis. Et quid quæso crassius aut absurdius à Capernaitis cogitari dicive potuisset, quàm quod à Papa vestro Nicolao ejusq; Synodo Romana Berengario credendum præscribebatur, *verum* nempe *corpus & sanguinem D. N. J. Christi SENSUALITER, non solùm in Sacramento, sed & in veritate, manibus sacerdotum tractari, frangi & fidelium dentibus atteri.* En novos Capernaitas! Dices, vos hodie non statuere, *corpus Christi dentibus atteri.* Scio D. JCte, scio: quæro interim, an Papa Nicolaus malè

ita

ita statuerit, an bene? si *male*, quomodo fuit infallibilis? si *bene*: cur ab ipso receditis? Porrò, si hodie, dum corpus Christi editis, dentibus non atteritis, & in partes non cominuitis, quomodo ergò dicitis vos illud propriè manducare? *Requirit* utique, dicente Jesuita Salmerone tom. 9. tr. 10. *propria & realis manducatio, ut res in partes dividatur*. Sed sit ita! vobis tamen in eo cum Capernaitis convenit, quòd autumatis, propriè dictum Christi corpus oraliter manducari & in stomachum vestrum trajici. Quid verò interest, utrum dentibus atteras & particulatim discerpas, an verò totum simul deglutias? Confirmabat sanè sæpius Dominus Judæis litigantibus & dicentibus ℣. 52, *quomodo potest hic nobis carnem* suam *dare edendam?* necessitatem manducationis carnis suæ, sed *non oralis* & *carnalis*: quin potius quærebat ab ea animos eorum abstrahere: Instantibus enim illis ac dicentibus ℣. 60. *durus est hic sermo, quis potest eum audire?* Dominus porrò probat, nullam ipsis esse causam, scandalum inde capiendi: (1.) quòd *filium hominis spectaturi essent ascendentem ubi prius erat* ℣. 62. (nam quòd in his verbis, *Cùm igitur videbitis filium hominis ascendentem, ubi prius erat*, sit λύσις ἀπορίας καὶ σκανδάλου non ἐπίτασις seu *intensio*, præter Chrysostomum & Cajetanum vestrum fatetur Augustinus *Tr. 27. in Joh.*) (2.) quia *Spiritus* nempe Christi *vivificat* ℣. 63. (3.) quia *caro*, ore nempe sumpta *non prodest* ℣. 63. (4.) quia *verba*, quæ loquebatur, *sunt spiritus & vita*, id est, spiritualiter sunt intelligenda, non de orali & carnali manducatione, ut Capernaitæ, & cum illis Papistæ, sibi imaginantur. Sed quid D. JCte? vos adhuc multo crassiores & absurdiores estis ipsis Capernaitis, cùm crustulum & frustulum panis habeatis pro Deo vestro. Et quæso D. JCte, quid caro Christi corporaliter, more vestro, manducata prodest ad vivificandum hominem? cùm ità, quod fateri cogimini, sagi & magi & pessima diaboli instrumenta non tantum, sed etiam glires, feles & mures, vitæ spiritualis incapaces, carnem Christi edere queant. *Si hostia consecrata* (sic legitur in Missali *de de-*

fect. circ. Miss. p. 23.) disspareat vel casu aliquo, ut vento aut miraculo, vel à mure accepta vel alio animali, & nequeat reperiri, tunc altera consecretur, & illud animal si capi potest, occidatur & comburatur & cineres ejiciantur in sacrarium vel sub altari. Et paulo post. *Si post consecrationem ceciderit musca aut aliquid ejusmodi, & fiat nausea sacerdoti, extrahat eam & lavet cum vino: finitâ Missâ comburat & combustio ac lotio hujusmodi in sacrarium projiciatur. Si autem non fuerit ei nausea, nec ullum periculum timeat, sumat cum sanguine. Si Sacerdos evomat Eucharistiam,* tunc mandatur, *ut Sacerdos vomitum suum resorbeat, nisi nausea plane impediat.* En tibi Religionem! Dixit quondam Averroës, haud incelebris Philosophus Paganus, in Hispania degens, *se inter omnes Sectas nullam vidisse stultiorem Christianâ*, Papalem innuere volebat, *cujus sectatores adorent, quod manducant.* Quid autem putas, dicturum eum fuisse, si legisset has vestras Missæ cautelas, in quibus admittitis, ipsos etiam mures id quod adoratis, id est, Deum vestrum, edere posse. Vah absurdum omni absurdo majus! Movet Papa vester Innocentius III. lib. 4. de Myst. Miss. c. 16. quæstionem, *quænam ex alvo Sacerdotis egereretur materies*, si non nisi hostias consecratas in stomacho habeat & interim fluxu ventris laboret? Cui hæc non sint horrori? Dicitis, *si accidat, ut hostia consecrata vel in ignem vel in aquam vel in lutum cadat, istud dedecus non terminari in Christum, sed in species sacramentales.* Egregiè! ergò vicissim honoris cultus, quem exhibetis hostiæ consecratæ, non terminabitur in ipsum Christum, sed in species tantum, & sic propriâ vestrâ confessione estis manifesti idololatræ, utpote qui non Christum, sed accidentia panis adoratis. Sed unum adhuc est, quod, antequam ad alia progrediar, scire velim ex D. JCto, nimirum an, si accidat, ut ex hostia consecratâ generentur vermes, illi vermes generentur ex corpore Christi, an verò ex accidentibus panis: si *prius* dicis, *blasphemus* es: si *posterius*, maximè ridiculus: sic enim accidentia generabunt substantias, quis à risu sibi temperet?

XXX. Tandem Molinæus argumentatur ita. *Qui manducant Christi carnem, nanciscuntur vitam æternam: Impij non nanciscuntur vitam æternam: Ergo etiam carnem Christi non manducant.* Minor per se patet. Major probatur Joh. 6. ℣. 51. &c. Quid ad hæc D. JCtus? Putat hoc argumentum facilè solvi distinctione inter τὸ *manducare dignè & indignè.* Egregiè. Quasi verò quis carnem Christi possit manducare indignè! Deprompta est hæc distinctio non ex Scriptura, sed ex Monachorum cerebro. Dicit quidem Paulus 1. Cor. 11. 27. *quisquis ederit panem hunc vel biberit poculum* hoc *Domini indignè, reus tenetur corporis & sanguinis Domini:* sed non dicit, *quisquis ederit corpus hoc Domini indigne* &c. Instas, *si is, qui indignè edit panem & bibit vinum, reus est corporis & sanguinis Domini, ergo oportet, corpus & sanguinem Domini verè & realiter acceperit.* Ridemus hanc consequentiam D. JCte. Dicit Apostolus Heb. 10. 26. 29. *Qui ultrò peccantes post acceptam cognitionem veritatis, conculcant Dei filium & sanguinem federis* &c. num necesse, ut filium Dei conculcantes eum realiter habeant sub pedibus? Hoc duntaxat sequitur ex tuo Antecedente: *Ergò panis & vinum sunt* (nempe Sacramentaliter) *corpus & sanguis Domini.* Quod verissimum, & eandem esse mentem Augustini loc. à te citato, patet ex eodem Augustino, cùm *Tract. 26. in Joh.* ait. *Qui non manet in Christo, & in quo Christus non manet, proculdubio non manducat nec bibit spiritualiter, licet carnaliter & visibiliter premat dentibus Sacramentum corporis & sanguinis Christi: sed magis tantæ rei Sacramentum ad judicium sibi manducat & bibit, quia immundus præsumsit ad Christi Sacramenta accedere.* En annon expresè distinguit inter Sacramentum & rem, vultque indignos reos, non quòd rem tantam comederint, sed ejus Sacramentum? Admittit Sanctus vir, Judam etiam interfuisse S. Cœnæ: sed quid dicit de ipso? *Illi* ait *Tr. 59. in Joh.* (nempe discipuli) *manducabant panem Dominum: ille* (Judas) *panem Domini contra Dominum.* Et l. 21. de Civ. D. c. 25. *Non dicendum enim manducare corpus Christi, qui in corpore non est Christi.* En

quàm longè Augustinus à vobis abeat! noster totus. Addis, *Pilatum aliosq; Judæos* (quasi verò & Pilatus Judæus fuerit!) *in corpus Christi peccâsse: si factum fuisset in figura & signo, illos non reos futuros fuisse corporis, sed tantum signi.* Non D. JCte? Quî ergo Concil. Nicenum II. Act. 6. scribit, *eum, qui typum sive figuram alicujus ignominiâ afficit, in illum ipsum, quem typus repræsentat, injurium esse?* Item, quî tu Molinæo *pag. 174.* concedis, *eum, qui Regis sigillum indignè tractat, ipsum Regem offendere?* Quod addis, *eum tamen sic non reum fieri corporis Regis, ut illi, qui indignè utuntur S. Cœna, rei fiant corporis & sanguinis Christi*, quid ad rem? cùm sigillum non sit destinatum præcisè corpori Regis repræsentando, ut panis & vinum repræsentando corpori & sanguini Christi. Manet interim semper verum, quod negare non potes, quodque nobis sufficit, *posse aliquem esse reum rei significatæ, licet duntaxat signum attingat.* Dicit Paulus Heb. 6. 6. *Qui prolabuntur, rursum crucifigunt sibi filium Dei & exponunt ignominiæ.* Quæro, annon, qui ita crucifigunt filium Dei, sint rei corporis & sanguinis ejus? negare non potes: an autem propterea sequetur, *eum ipsis verè & realiter esse præsentem?* responde D. JCte. Frustra urges sequentia Apostoli verba, *non discernens corpus Domini*, inde enim non sequitur, *ab indignis edi ipsum corpus Domini:* sed *indigni* dicuntur *non discernere corpus Domini*, quia sacra ista symbola, quæ suam excellentiam habent à re significata, non conveniente religione, sed ut vulgarem cibum, tractant.

XXXI. Agnum Paschalem fuisse typum S. Cœnæ, probari desideramus. Non sequitur interim, *si illi, qui remanente pane & vino post celebratam S. Cœnam abutuntur, non rei tenentur corporis & sanguinis Christi, nec eos, qui in ipsa sacra actione sacra illa Symbola indignè sumunt, eorundem reos teneri*, cùm panis & vinum post celebratam cœnam non amplius habeant rationem Sacramenti. Liquet id 1. à pari. Aqua baptismi post usum non habet amplius rationem Sacramenti, cur ergò panis & vinũ? 2. quia nec Christus nec Apostoli panem, tanquam Sacramentalem, reposuerunt

fuerunt vel reponendum tradiderunt. 3. quia *panis, qui* in celebratione cœnæ *frangitur, est*, dicente Paulo 1. Cor. 10. 16. *communio corporis Christi*: non ergò panis, qui post celebrationem remanet. 4. quia symbola tum habent rationem Sacramenti, cùm benedicuntur, franguntur, distribuuntur & εἰς τὴν ἐμοῦ ἀνάμνησιν percipiuntur 1. Cor. 11. at hoc in ipsa duntaxat celebratione fit. Ridiculi proinde vos estis, dum hostias consecratas reponitis, in plateis circumgestatis & tanquam Deum vestrum adoratis. Quid est Christo in faciem resistere, si hoc non est? Christus (ut & postea Apostoli) usus est pane ordinario, tum temporis ap. Judæos recepto: vos autem spumâ panis. Christus (teipso fatente *pag. 171. & 181.*) dedit discipulis panem in manus; vos autem ingeritis in os. Christus voluit panem duntaxat *edi: accipite, edite*, ait: vos vultis illum etiam *monstrari, circumgestari, adorari*. En quàm accuratè Christi institutioni insistatis! Addis, *exemplis te docere posse, vinum apud nos remanens quandoque ad convivia fuisse adhibitum*. ℞. Vah quantum crimen! scilicet! quasi verò adhuc habeat rationem Sacramenti! abusum interim non approbamus. Si interim D. JCto de abusibus & absurditatibus circa reliquias cœnæ loqui lubeat, reflectat oculos suos in suam ipsius Ecclesiam Romam, & mille videbit. Si hostia consecrata in stercus cadat & sordida reddatur, cadit juxta vos & sordidus redditur Christus: si à muribus rodatur, roditur Christus: si à canibus & porcis devoretur, devoratur Christus: si hostia à Sacerdote evomatur, evomitur Christus: si hostia venenetur, eâque venenatâ homo necetur, venenatur corpus Christi, eoque venenato homo necatur. *An hæc non absurda, imò horrenda auditu.* Ingressus est juxta vos Judam & Christus & diabolus: diabolus autem Christum vicit, eumque ex hospitio suo expulit. *Quis non stupeat istam absurditatem!* Creat juxta vos misellus & sæpe nequissimus Sacerdos suum Creatorem, eumque pro lubitu suo inter manus suas sistit

præ-

præsentem: Imo *posset* (dicente Toleto *Instr. Sacerd. l. 2. c. 25.*) *Sacerdos consecrare multos cophinos panis & vini dolium* (adeoque in corpus & sanguinem Christi vertere) *si præsentia ista haberet.* Huc pertinet eximium istud miraculum *de verbis prolationis*, quod recenset Episcopus vester Durandus *Rational. l. 4. c. 35. Fertur*, ait, *quòd cùm antiquitus publicè & alta voce canon diceretur; omnes penè per visum illũ sciebant & in plateis & in vicis decantabant. Unde cùm quidam pastores illum in agro cantarent & panem super lapidem posuissent; ad verborum ipsorum prolationem panis in carnem conversus est.* En ergo vobis etiam Christum ab opilionibus in agro super lapide creatum! quis ergò Sacerdotibus vitio vertat, quòd ista quinque verba hodie clam super pane demurmurent, ne opiliones amplius artem Deum suum creandi ex illis discant. Quæso D. JCte, an etiam Christus olim in cruce tantâ ignominiâ affectus fuit, quantâ adhuc hodie apud vos ex Transsubstantiatione vestrâ afficitur? En ergò reliquias cœnæ, de quibus loqui potes! Sed duo adhuc sunt, quæ antequam hinc abeam, scire velim ex D. JCto, nimirum, 1. an, *si Sacerdos vini dolium in sanguinem converteret*, ut juxta vos facillimè potest, *ille sanguis Christi bibentes etiam inebriaturus esset?* 2. quamdiu Christus maneat in stomacho communicantis? Quando enim recipitur in stomachum, aut desinit ibi statim *substantialiter* aut non desinit? Si *posterius*, cum excrementis cæteris egeretur, *quod absurdissimum.* Si *prius*: ergò annihilatur, *quod pariter absurdissimum.* Num dices, non annihilari, sed redire ad suum principium? quæro porrò, an iste reditus fiat per annihilationem substantiæ, an verò non? Si *prius*, quomodo redit ad suum principium? statuitis utique, corpus Christi, quod est sub hostia, esse idem numero Christi corpus, quod est in cœlo; hoc ergò annihilato, quomodo istud manebit? Si *posterius*: ergo remanet in stomacho & cum excrementis egeritur. Statuit Jesuita Busenbaum *Th. Moral.* l. 6. Tr. 3. c. 1. *Christum manere sub speciebus, etiam divisis & sub quavis earum minimâ parte, donec tanta*

earum

earum fiat mutatio, ut consueta substantia panis & vini corrumperetur. Hoc si verum est, Christus in stomacho communicantis, jamjam morientis, habebit suum sepulchrum & cum ipso sepelietur. Certè ex corpore Herodis vix tantum scaturiit vermium, quantum ex doctrina vestra absurditatum.

XXXII. Christum Joh. 6. non agere de manducatione sacramentali, suprà à nobis evidentissimè est demonstratum. Et evincunt id vel hæc sola Christi verba ℣. 53 *Nisi ederitis carnem filii hominis & biberitis ejus sanguinem, non habetis vitam in vobis.* Ubi nemo non videt, *Christo sermonem esse de tali manducatione, quæ absolutè ad salutem est necessaria:* jam verò multi salvantur, qui S. Cœnam nunquam perceperunt, *ut Joh. Baptista, Latro in cruce, multiq; alij.* Quid D. JCtus Molinæo hæc urgenti? Respondet, *Christum etiam dicere Joh. 3. 5. Nisi quis regenitus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei: & tamen Reformatos hinc non credere absolutam baptismi necessitatem* &c. Res acu tacta, scilicet! Probet nobis D. JCtus, hîc Christo sermonem esse de baptismo aquæ: negamus enim hoc. Postulabat Christus Nicodemum, quem tum alloquebatur, ignorantiæ, quî autem eum postulâsset ignorantiæ, si ei sermo fuisset de baptismo aquæ, cùm ille nondum esset institutus. 2. Loquebatur Christus cum Nicodemo de re necessaria: jam verò, vobis fatentibus, baptismus non cœpit esse necessarius nisi post mortem Christi: Ergo ne quidem juxta vos locutus est de baptismo. Sed loquitur Dominus de regeneratione, ut patet ℣. 3. ubi de sola nativitate ἄνωθεν facit mentionem, & ℣. 6. 7. ubi itidem de solo Sp. Sancto mentio fit, & ℣. 8. ubi comparat novam istam nativitatem cum vento, quod simile utique non quadrat in ablutionem corporalem. Utitur igitur hic Dominus figurâ, quam Græci vocant ἓν διὰ δυοῖν: ut sensus sit, *nisi quis regenitus fuerit ex Sp. Sancto, exserente se per modum aquæ:* ut Matth. 3. 11. *ipse baptizabit vos Sp. Sancto & igni,* i. e. *Spiritu S. qui est quasi ignis,* seu *qui se exserit per modum ignis,* ut factum die pentecostes Act. 2. 3.

Agnoſcunnt hoc nobiscum Cardinalis Toletus *Comment. in h. loc.* & Stella *in 3. c. Lucæ. Si neceſſitas baptismi aquæ*, ais, *hîc non præcipitur, cur ergò apud Reformatos adeò neceſſarius habetur?* Dicam tibi, quia, licet hîc à Chriſto non præcipiatur, præcipitur tamen alibi, *nim. Matth. 28. & Marc. 16. 16.* hinc merito neceſſarium ducimus, non quidem *neceſſitate abſolutâ* ſeu *medii interni*, ut ſtatim ille, qui, nullâ ſuâ culpâ, ejus non particeps evaſerit, à regno cœlorum excludendus ſit, ut vos nugamini, ſed *neceſſitate præcepti.* Obſerva autem hîc ὡς ἐν παρόδῳ, quàm bellè inter vos conveniat! Ablegatis infantes non baptizatos ad limbum, nixi hoc unico loco: hunc autem locum vobis eripiunt ex vobis ipſis Viri præſtantiſſimi, dicentes illum intelligendum eſſe non de infantibus, ſed adultis. Audi Lombardum. *Illud*, ait is l. 4. d. 4. c. 2. *intelligendum eſt de illis, qui poſſunt & contemnunt baptizari.* Huic ſuum addit calculum Bonaventura *l. 4. d. 4. c. 2.* Conſentit etiam Salmero *Tr. 4. tom. 8.* & Barradius *in h. l.* En Cadméos fratres! cùm his tu jam in poſterum diſputare poteris, perrecturus credere, infantes non baptizatos cœlo excludi & in limbum præcipitari.

XXXIII. Addit tamen D. JCtus, *Reformatos ſibi ipſis contradicere: ſtatuere enim ipſos, corpus Chriſti non eſſe præſens, & nihilominus cùm in formula S. Cœnâ, tum in Catechiſmo Heidelbergenſi communicantibus promitti, quòd non minùs certò Chriſti corpore & ſanguine paſcantur, quàm panem & vinum è manu miniſtri accipiant.* ℞. Aliud eſt dicere, *Chriſti corpus localiter ſub accidentibus panis præſens eſſe:* aliud verò, *Chriſti corpus in S. Cœna eſſe præſens.* Prius negant omnes Reformati; poſterius affirmant omnes. Si dicunt, Chriſti corpus non eſſe præſens in S. Cœna; intelligunt de præſentia corporali & locali ſub pane aut ejus accidentibus: ſi dicunt, fideles in S. Cœna corpore & ſanguine Chriſti paſci, admittunt præſentiam ſpiritualem, quâ corpus verè præſens eſt in S. Cœnâ fidei fidelium. Ubi hîc contradictio? ubi pugna D. JCte? Transſubſtantiationem veſtram intuere, & mille contradi-

traditiones, mille pugnas deprehendes. Prætendunt Theologi vestri, *corpus Christi in Missa esse verum corpus, & tamen, adimentes ei longitudinem, latitudinem & crassitiem (quæ sunt de essentiâ corporis) negant esse verum corpus.* 2. Volunt *corpus Christi contineri sub accidentibus & tamen non contineri: corpus enim in cælo existens est extra hæc accidentia, & tamen est idem numero corpus cum eo, quod continetur sub accidentibus.* 3. Dicunt, *Christum ad verba consecrationis venire in Eucharistiam & tamen non venire: nolunt enim eum moveri: at, qui non movetur, quomodo venit?* 4. Dicunt, *hostiam esse rotundam & tamen dum negant, Christum esse rotundum, negant hostiam esse rotundam: intelligunt enim per hostiam Christum.* Aut dicat mihi D. JCtus, quid intelligat per hostiam: num panem? an verò accidentia? an denique corpus Christi? *non panem* intelligere potest, cùm negent hostiam consecratam amplius esse panem: *non etiam accidentia panis*, quis enim eò stultitiæ procedat, ut putet albedinem & rotunditatem panis sine pane esse hostiam pro peccatis nostris? *nec etiam ipsum Christum*, cùm Christus non sit rotundus: mentiuntur ergo sacrificuli, dicentes *hostiam esse rotundam.* Dicat mihi porrò D. JCtus, an, dum Christus peractâ cœnâ surrexit & mox ingressus hortum sudavit sanguinem, corpus illud, quod erat in ventriculis Apostolorum, etiam sudaverit sanguinem, nec ne. Si sudavit, *quomodo statuitis, corpus Christi esse sub accidentibus impassibile?* Si non sudavit: Ergo idem Christus fuit eodem tempus patiens & non patiens. 5. Dicunt, *corpus Christi esse & tamen fieri adhuc & creari. Non secus, ac si Johannes, jam Amstelodami ambulans, nasceretur Coloniæ.* Dies me deficeret, si ad omnes contradictiones vestras (quarum etiam non una in ipso Missali vestro sese offert) & absurditates excurrere vellem. Si tibi proinde de contradictionibus loqui lubet, domi satis materiæ invenis. Sed pergis, *Si corpore Christi tam verè pascimur, quàm panem accipimus, ut Reformatorum docet Catechesis: Ergo sequitur necessariò, corpus Christi esse verè præsens.* Quem oppugnas D.

 JCte?

JCte? quis hoc negat? Sic inferendum erat contra nos concluſuro; *Ergò corpus Chriſti ſub accidentibus panis realiter eſt præſens.* Sed hæc conſequentia falſiſſima eſt. Addis, *Scripturam nusquam docere, & etiam falſiſſimum eſſe, quòd Chriſtus extra panem S. cœnæ alio modo, corpore ſuo & ſanguine animam noſtram paſcat.* Miſeret me tui D. JCte. Dicit Chriſtus Joh. 6. 53. *Niſi ederitis carnem filii hominis & biberitis ejus ſanguinem, non habetis vitam in vobis.* Si jam caro Chriſti & ejus ſanguis extra Sacramentum non editur & bibitur, ut tu vis, omnes, qui S. cœnâ non fruuntur, damnabuntur. En immiſericordem JCtum! Loquitur Chriſtus de manducatione corporis ſui extra Sacramentum per totum caput ſextum Johannis, fatentibus id non ſolum variis Papiſtis, ſed etiam ipſis Papis. Eis jam adde Janſenium veſtrum, Epiſcopum Gandavenſem. *Reſtat* ait ille Har. Evang. cap. 59. (intelligens locum jam cit. Joh. 6. 53.) *totum hunc locum convenientiſſimè intelligi de manducatione ſpirituali, quæ eſt per fidem in carnem traditam in cruce, & in ſanguinem effuſum pro nobis, quomodo ut intelligatur, & præcedentia & ſequentia ſatis exigunt, & ſic ceſſant omnes difficultates, quæ oriuntur, ſi de Sacramentali manducatione accipiatur.* Habes hîc manducationem corporis Chriſti extra Sacramentum. Sed fugent ulteriùs Pontificium Pontificii. *Extra Sacramentum*, ait Jeſuita Maldonatus in c. 6. Joh. *per ſe ſumitur totus Chriſtus, corpus autem Chriſti propter Chriſtum.* Bellarminus Originem explicans ait l. 2. de Euch. c. 8. *Origenem loqui de manducatione corporis Chriſti extra Sacramentum, cùm dicit, non poſſe ab impiis manducari.* Audis D. JCte? qua tu ergò fronte audes aſſere, *Chriſtum animam noſtram extra panem non paſcere?* Si jam corpus Chriſti extra Sacramentum ſpiritualiter manducamus; cur non etiam in Sacramento? An Chriſti corpus non eſt præſens, niſi iis, à quibus tangitur & ore ſumitur? erudias ergo me, quomodo Paulus dicat, *nos in baptiſmo cum Chriſto ſepeliri Rom. 6. ℣. 4. nos Chriſto inſeri, eumq; induere Gal. 3. 27. Chriſtum per fidem in cordibus noſtris habitare?*

XXXIV.

XXXIV. Quod addis, *corpus Christi uno eodemq; tempore posse in pluribus simul locis esse præsens*, eâdem, quâ cætera tua, nititur veritate, id est, falsissimum est. Si corpus Christi potest esse in pluribus locis, & nihilominus verum corpus humanum manere, non opus habebat ex Galilæa in Judæam iter facere: poterat enim in Judæa esse, nec tamen excedere Galilæâ: Potuit, juxta D. JCtum, Christus eodem tempore, quô in cruce summis doloribus pressus exclamabat, *Deus mi, Deus mi, quare deseruisti me*, in Galilæa esse, & vel ambulare vel dormire. Annon ergò *Christus nobis per omnia similis fuit, excepto peccato Heb. 2.17. & 4.15?* Dicis, *Deum esse omnipotentem, posse eum in mille locis idem corpus sistere præsens.* R. 1. Si argumentum Pontificiorum, quod desumunt ab omnipotentia Dei, tam feliciter procederet, quàm facile ab illis nectitur, non minus apud Turcas & Judæos esset veritas ac apud ipsos. Posset Alcoranista dicere, *Deum posse efficere, ut, quicquid in Alcorano habeatur, ita sese habeat.* Judæus, *Deo non esse impossibile, Messiam jamdudum a se exspectatum mittere.* Et quid istis recutitis verpis, si impossibilitas nativitatis Messiæ ipsorum in urbe Bethlehem à nostratibus urgeatur, eò quòd sit destructa, frequentius in ore, quàm *an Deus non aliam urbem Bethlehem exstruere potest?* Si argumentatio D. JCti nostri procedit, procedet & ipsorum. Quid autem nugivendulis istis D. JCtus noster esset responsurus? haud dubiè dicturus, *non esse quæstionem, quid Deus possit, sed quid velit facere*: idem responsum habeat & ipse à nobis. *Potentia Dei non est regula fidei nostræ, sed Dei voluntas.* Addimus interim 2. falsissimum esse, *Deum posse facere, ut idem corpus humanum possit esse in mille locis.* Nam si corpus humanum per Dei omnipotentiam potest esse eodem tempore in mille locis, potest etiam esse in sexcentis millibus, imò in sex centies sexcentis millibus, imò ubique: Et sic corpus Christi poterit esse Deus. 2. Si Deus potest facere, ut unum corpus sit in duobus locis v. gr. Sigenæ & Coloniæ, dicat mihi D. JCtus, quid futurum sit, si corpus, quod est Coloniæ sit in

igne & comburatur, illud autem, quod est Sigenæ, sit in aqua & natet? *Aut corpus Sigenense, dum Coloniense comburitur, simul comburetur, aut non? Si posterius: non erit unum idemq́ corpus: Si prius; comburetur in & sub aqua natans, quod maximè ridiculum.* Quid, si Petro Coloniensi amputetur nasus, an tum eodem ictu amputabitur Petro Sigenensi? Si tandem Petrus Sigenensis & Coloniensis se in viâ offendant nasis adversis concurrentes, quid fiet? an coalescent nasi & in ista coalitione nasus in nasum, os in os, stomachus in stomachum incurrent? O rem vel ipsi Heraclito ridiculum! Potest juxta Transsubstantiatores nostros totus mundus esse in foramine acus: potest juxta eosdem unus homo non duntaxat omnia vina, sed etiam omnes totius mundi aquas bibere: quis homines non rideat? Scimus, Deum esse omnipotentem, sed scimus etiam, *Deum facere, quæ vult Ps. 115.* Portenta ista secum confligentia non modo dicimus, *Deum non velle* sed &, *eum non posse velle*, quia ille est verax, hæc autem ridicula & contradictoria. Agnoscit hoc Thomas vester cum suis Thomistis contra Scotum & Scotistas & Jesuitas, quando *in Supplem. 3. p. q. 83. a. 3.* ita scribit. *Unum corpus esse simul localiter in duobus locis, non potest fieri per miraculum,* &c. *Quia esse in pluribus locis simul, repugnat individuo, ratione ejus, quod est indivisum in se: sequeretur enim, quod esset distinctum in situ* &c. *Unde quod idem corpus sit localiter simul in diversis locis includit contradictionem, sicut quod homo careat ratione.* Abeat ergò D. JCtus cum Scotistis suis & aliud quærat Chimæræ suæ patrocinium.

XXXV. Dicis, *Spiritus Sanctus potuit eodem tempore multis personis communicare dona sua* Act. 2. 4. &c. Concedimus: sed quid ad rem? num hinc sequitur, *Ergò etiam corpus Christi eodem tempore in multis locis potest esse præsens:* Risu non responso digna consequentia. Forte brevi ità incipies argumentari: *Spiritus S. est omnipræsens: Ergò & corpus Christi est omnipræsens.* Adde interim jam non nos, sed vos ipsos esse tales, qui Dei potentiam in dubium vocent: negatis enim, *Christum sub hostia posse aperire oculos*

los & caput movere: qui si invaditur à funibus, non potest se defendere, si cadit in lutum, non potest surgere, si roditur à muribus, non potest se tueri &c. En quàm omnipotens sit Christus juxta Papicolas!

XXXVI. In testimoniis humanis excutiendis & vindicandis, cùm non sint regula fidei nostræ, quid attinet multùm laborare? demonstratu tamen facile est, te magnâ S. Patres afficere injuriâ, dum ipsis monstrosam vestram sententiam affingis. Dicit, verum est, Ambrosius ad Theodosium; *Quomodo extendis manus tuas, de quibus adhuc stillat sanguis innoxius, quomodo hisce manibus suscipies sanctum Domini corpus, quâ præsumptione poculum pretiosi sanguinis percipies ore tuo?* Sed num propterea censendus est cum Papicolis credidisse, *panem esse transsubstantiatum in corpus Christi?* nequaquam. Dictus ipsi fuit panis *corpus Domini* scil. *sacramentale*, quod verissimum: quam suam mentem alibi (lib. *de his qui init.* c. 9.) clariùs exprimit, dicens; *Ante benedictionem alia species nominatur, post benedictionem corpus SIGNIFICATUR.* Eadem est mens Augustini, cùm dicit Epist. 118. *Ex hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christi prius dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi.* Intelligit corpus Christi Sacramentale, id est, sacrum panem, signum corporis dominici. Liquet id ex eodem Augustino. *Non dubitavit*, ait idem l. contra Adimant. c. 12. *Dominus dicere, hoc est corpus meum, cùm signum daret corporis sui.* Et Epist. 23. ad Bonifac. *Si Sacramenta quandam similitudinem rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omninò Sacramenta non essent; ex hac autem similitudine plerunque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt, sicut ergò secundum NB. quendam modum Sacramentum corporis Christi, corpus Christi est, Sacramentum sanguinis Christi, sanguis Christi est, ita* &c. quid disertius pro nobis? quid clarius contra vos? Ab his non abit Justinus, dum scribit in Apol. 2. pro Christ. Ὀυ γὰρ ὡς κοινὸν ἄρτον &c. *Non enim ut communem panem, neque communem potum hæc sumimus, sed quemadmodum per verbum Dei caro factus Jesus Christus Servator noster, carnem & sanguinem pro salute nostra habuit: sic etiam*

etiam per verbum precationis & gratiarum actionis sacratam ab ipso alimoniam (quæ nutrit carnem & sanguinem) illius incarnati Jesu *sanguinem esse didicimus.* Concedimus enim & concessimus ultro, *panem esse & carnem & corpus Christi*, sed *sacramentaliter*, signo ferente nomen rei signatæ, uti hoc tam apud Patres, quàm in Scripturâ obtinet. Num dices cum Perronio, *istas duas propositiones, verbum caro factum est & hoc est corpus meum* Justino *æquipollere: dicere enim, quemadmodum* &c. ℞. frustra: nam illud quemadmodum non est *æqualitatis* sed *similitudinis*. Sequeretur enim aliàs, *quòd sicut* (ex hypothesi vestra) *panis est corpus Christi per transsubstantiationem, ita etiam verbum sit corpus Christi per transsubstantiationem.* Sed quid? Justinus manifestè vobis adversatur: nam 1. ait, *sacratam illam alimoniam* (quam carnem & sanguinem Christi nuncupat) *nutrire carnem & sanguinem nostrum* κτ̀ μεταβολὴν *per mutationem* sive *digestionem*. Hoc autem quî de reali Christi carne & sanguine dici potest? num etiam juxta vos realis Christi caro & sanguis in carnem & sanguinem nostrum mutatur? num alit carnem & sanguinem nostrum? 2. dicit *sacrum panem & corpus Christi, sicut verbum caro factum sit:* atqui verbum caro facta est citra essentialem Divinitatis in carnem transmutationem: Ergò & Panis factus est caro citra essentialem ejusdem in corpus transmutationem. En ergò quàm parùm tibi faveant citati Patres!

An primitiva Ecclesia credidit Transsubstantiationem?

Sic dicit D. JCtus noster: dicit etiam, ipsos Centuriatores hoc fateri: sed utrumque falsissimum. Justinus, ad quem omnium primò provocat, quàm parùm Papicolis faveat, jam suprà audivimus. Addunt Centuriatores Cent. 2. c. 4. *Ignotum fuisse Ecclesiæ hujus* (secundi) *seculi commentum de Transsubstantiatione.* Quomodo ergò fatentur? Ait Irenæus lib. 5. *Quando mixtus*

mixtus calix & fructus panis percipit verbum Dei, fit eucharistia corporis & sanguinis Christi. Sed quid hinc quæso pro Papicolarum Transsubstantiatione? Unde & Centuriatores *c. 6.* addunt. *Nec hoc, si rectè intelligas, incommodi quicquam habet.* Dicis, eosdem Centur. introducere Cyprianum sic loquentem, *panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed naturâ mutatus, omnipotentiâ verbi factus est caro.* ℞. Citant verba, quæ vulgò Cypriano adscribuntur: hæc autem verba infallibiliter esse Cypriani, nec ipsi dicunt, nec etiam verum est, fatentibus vel ex vestratibus Bellarmino *l. 2. de Euch. c. 9.* Sixto Senensi *Biblioth. l. 4.* Possevino *Præf. Appar.* His tu ergò proba. Sed sint, quid lucraberis? Dicit, *panem esse factum carnem Christi omnipotentiâ verbi.* Concedimus, *eum factum esse corpus Christi* sacramentaliter, id est, signum, non duntaxat significativum, sed etiam repræsentativum & exhibitivum corporis Christi in legitimo suo usu. Addit, *panem mutari naturâ:* sed per *naturam* non intelligit *substantiam*, sed naturalem & communem usum: Panis ergo *mutatur naturâ*, cùm non amplius destinatur in usum mensæ communis, sed potenti institutionis Dominicæ verbo transit in corporis Christi Sacramentum. Eodem modo aqua in baptismate *mutatur naturâ*, licet, vel fatentibus Papistis, substantia ejus maneat.

II. Verba illa, *ex carne & sanguine Christi nihil in mundo inveniri, nisi illud, quod in ara altaris per manus sacerdotum quotidiè spiritualiter efficitur*, esse Athanasii, probari desideramus: dicunt Centuriatores illa haberi in Athanasii libello de Christi imagine, quod nos non negamus: negamus autem (quod nec illi affirmant) Athanasium esse verum Auctorem hujus libri. Eodem modo Ambrosio fit injuria, dum ei affinguntur *precationes præparentes ad Missam.* Probet D. JCtus suo Erasmo *ad lect. 4. tom. Ambr.* & Gillotio *in Præf. ad lect. de edit. Paris. 1579.* eas esse Ambrosii. Dicit quidem Greg. Nyssenus in Orat. Catech. *panem in Dei verbi corpus immutari*: at ubi dicit, *immutari substan-*

tialiter, quod tu probandum susceperas. Nullum Patrum mihi demonstrabis, qui hoc dicat & vobiscum credat. Loquuntur illi quidem non rarò de mutatione panis & vini in corpus & sanguinem Christi, sed non nisi mutationem moralem & sacramentalem intelligunt, nempe usus & efficaciæ, non rei & substantiæ, qualem & nos admittimus. Huc jam revoca Hieronymum, Eusebium, Hilarium, Chrysostomum, quos in sequentibus allegas de mutatione loquentes, nisi velis ipsis injuriam facere. At ais, Augustinum in Psal. 33. dicere, *Christum corpus suum in suis manibus tulisse*. Sic est D. JCte: sed quid inde pro vobis? Explicat se ipse Augustinus, cùm dicit *ibid. Accepit in manus suas, quod nôrunt fideles, & ipse se portavit NB quodammodo*. Quid autem acceperat in manus suas, scientibus fidelibus? *panem*: panis ergo erat *quodammodo* (impropriè scil. & figuratè, quia erat Sacramentum corporis) corpus ejus. Et hoc etiam est conforme doctrinæ Augustini, quam *contr. Adim. l. 1. c. 12* proponit; *Dominus non dubitavit dicere, hoc est corpus meum, cùm daret signum corporis sui*. Item in Ps. 3. *Dedit discipulis suis figuram corporis & sanguinis sui*. Quid clarius desiderari queat?

III. Quàm alieni fuerint S. Patres à monstroso vestro Transsubstantiationis dogmate, si fusiùs erudiri desideras, adeas velim Hospinianum, Mornæum, Albertinum, Steinbergium, Nethenum, & inprimis Forbesium, qui *Instr. Theolog. l. 11. 18. & seq.* septem argumentis adeò perspicuè demonstravit, Transsubstantiationem vestram esse novum figmentum, ut, nisi animum contra veritatem obfirmes, facilè inde videas, patres nihil minùs quàm Transsubstantiationem credidisse. Quid? Fatetur ex ipsis Theologis vestris Petrus de Marca, Archiepiscopus Parisiensis in publ. Dissertat. de S. Cœn. *Irenæum, Cyprianum, Epiphanium, Chrysostomum, Theodoretum, Augustinum, Facundum Hermianensem, & Fulgentium Reformatis favisse*. En veritatem è medio Papatus erumpentem! Huic jam si dicam scribere lubet D. JCto, per nos licet.

IV.

IV. Calvinus cùm scribit *l. 4. Inst. c. 17. ¶. 18. Dum panis in mysterio porrigitur, annexam esse exhibitionem corporis* quì à nobis abit? num ergo nos negamus, dum porrigitur fidelibus panis, porrigi & iisdem Christi corpus ore animæ accipiendum? Est quidem *inseparabilis à signo suo veritas*, ut Calvinus addit, sed non est sub signi vel accidentibus vel substantia inclusa: Id quod ipse Calvinus ibidem negat. Audi & eundem seq. § 19. *Nos verò*, ait, *talem Christi præsentiam in cœna statuere oportet, quæ nec panis elemento ipsum affigat, nec in panem includat.* In Calvino evolvendo si tam attendisses ad res, quàm ad stylum (styli enim gratiâ te tantùm ipsum legere, non semel dixisti) tantis fortè Papatus tenebris non fuisses involutus.

CAPUT VII.

De Sacrificio Veteris & Novi Testamenti.

PRæmissâ distinctione inter sacrificium *propriè & impropriè* dictum quam & nos agnoscimus, conatur D. JCtus noster demonstrare, *insitam homini naturam docuisse eum præter sacrificium impropriè dictum gratiarum actorium, creatori suo etiam sacrificia propriè dicta, sive sint pecora, sive frumenta, sive aliud quid, offerre.* At quàm frustra, supra modò audivimus. Num sana ratio dictat, Deum posse placari sanguine hirci aut bovis? Annon sacrificia fuerunt picturæ & umbræ Christi Heb. 10. 1? quem utique natura non depingit. Provocas *ad sacrificia Caini, Abelis, Jacobi, Noachi, imò etiam gentilium:* At ostendimus tibi supra modò, fideles Dei servos sacrificia illa obtulisse, postquam per revelationem edocti fuerint de voluntate Dei, ratione cultus sui. Hinc Abel dicitur *fide obtulisse sacrificium Heb. 11. 4.* fides autem non est

ex dictamine naturali, sed *ex verbo Dei revelato Rom. 10. 17.* quod fatente Jesuita Pererio *Comment. in c. 4. Gen.* à primis parentibus ad filios per institutionem publicam & privatam transiit. Quantum verò ad infideles, observabantur apud eos varia sacrificia & ritus partim ex κακοζηλίᾳ, quâ mundus in quibusdam solet imitari Ecclesiam, partim instigante diabolo, qui cultus divini avidissimus, etiam eos ritus suis suggessit clientibus, quos à Deo præscriptos suo populo noverat. Audi vestrum Suarez. *Nullum est*, ait is in 3. p. S. Thom. q. 83. a. 1. d. 71. *naturale præceptum, ex quo sufficienter colligi possit, determinationem illius ad talem modum cultus, scil. per sacrificium, esse omnino necessarium ad morum honestatem.* Et quid? annon Bellarminus vester docet l. 1. de Miss. c. 2. *ad verum sacrificium requiri, ut id, quod offertur Deo in sacrificium, planè destruatur?* hoc si verum est, edoce tu me, quomodo id fluat immediatè ex lege naturali, ut juris naturæ dici queat.

II. Dicis jam porrò, duplex dari in N. T. sacrificium: *cruentum*, quo Christus in ara crucis Deo Patri oblatus fuerit pro expiatione peccatorum nostrorum: & *incruentum*, quo idem Christus quotidie sub specie panis & vini offeratur in altari. At vellem mihi *istud sacrificium incruentum*, propriè dictum, demonstrari D. JCte. N. Testamentum me de uno tantum Christi sacrificio, eoque cruento instruit Heb. 7. 28. & 9. 25. 26. & 10. 2. 10. &c. Si tu præterea incruentum invenisti: ostende, ubi? Addis, *utrumque & cruentum & incruentum per sacrificia & ritus V. Testamenti præfiguratum fuisse.* ℞. De *cruento* concedimus, adeoque non opus erat tam prolixa dictorum V. T. citatione. De *incruento* negamus. Conaris ostendere. Atqui priùs te oportebat ostendere sacrificii istius veritatem: hoc facto, satis maturè ad figuras devenisses. Ubi interim sunt figuræ istæ? Adducis *ex Levit. 2. oblationem muneris Jehovæ è simila, oleo & thure, ex Exod. 29. 40. libamen ex vino, ex c. 25. 30. ejusd. Exod. panes facierum* &c. At hæc ne figuræ erant sacrificii alicujus incruenti,

enti, propriè dicti D. JCte? Ostende, ubi hoc legatur? audi interim Glossam ordinariam. *Simila*, ait in c. 2. Levit. *Ecclesiam significat, quæ de multis personis quasi granis est collecta* &c. Ergo jam tibi ipsa Eccl. erit sacrificium incruentum. *Panes facierum* ab ipso Paulo ad Christum referuntur Heb. 9. utpote qui est *panis vitæ* Joh. 6. 48.

III. Quæ addis de voce πρεσβύτερος, ne cassâ quidem nuce digna sunt. Proficiscuntur illa, ut supra modò diximus, ex Linguæ Græcæ ignorantiâ, tibi quidem, tanquam Jurisconsulto, sed minimè D. Doctori Kunckelio, libri tui censori, condonandâ. Qui Linguam Græcam vel per transennam inspexit, scit vocem πρεσβύτερος non *sacerdotem*, sed *presbyterum* seu *seniorem* significare. *Confer quæ diximus num. 6. c. 1.* & adjunge Lombardum, Episcop. Parisiensem, qui te ita docet l. 4. Sent. dist. 24. *Presbyter Græcè Senior interpretatur Latinè.* En ergò quàm egregiè argumenteris, *Si in N. T. dantur sacerdotes propriè dicti: Ergò & sacrificium propriè dictum. Atqui &c. Ergo.* Proba assumptum, & eris mihi magnus Apollo. Dicis *in V. T. prædictum esse, fore in N. T. sacerdotes* ℞. propriè dictos? demonstra: provocas ad Jes. 66. 2. Sed ibi ne gry de hac re: inspiciat Lector textum, & videbit, me verum dicere. Mirum, quòd non provocaveris etiam ad 1. Petr. 2. 9. *Vos estis genus electum, regale sacerdotium* &c. & ad Apoc. 1. 6. *Qui fecit nos reges & sacerdotes* &c. sed vidisti forsan, hæc loca ridiculè citari à Monachis vestris, cùm ibi sermo sit non de singulari aliquo hominum ordine super reliquos sublimato, sed de omnibus omnino fidelibus, quorum officium sit offerre hostias spirituales, *cor contritum* Psal 51. 19. *preces* Ps. 141. 2. *gratiarum actiones sive laudes* Heb. 13. 15. *Eleemosynas* Heb. 13. 16, imò *sua ipsorum corpora in hostiam vivam* Rom. 12. 1. In verro jam argumentum. *Ubi non est sacrificium propriè dictum, ibi etiam non est sacerdotium propriè dictum: atqui in N. T. non est sacrificium propriè dictum:* Ergo. Major est ex concessis. Minor liquet, quia nulla res, quæ ceu sacrificium propriè dictum offeratur, in N. T.

ostendi potest. Num dices, rem offerendam esse Christum? frustra: is enim dicente Paulo Rom. 6. 9. *suscitatus ex mortuis non amplius moritur*: isque oblatus non ab alio, sed à se ipso Heb. 9. 14. Sed agedum D. JCte; Si Christus hodie iterum offertur: vel *gloriosus* offertur vel *humilis*: non *gloriosus*, quia offerri repugnat gloriæ: non *humilis*, quia jam non est in statu humili. Ubi manent ergò tui sacerdotes propriè dicti?

IV. Sed en D. JCtus offendit tandem suum, quod múltis ambagibus hactenus quæsivit, Sacrificium Missaticum! ubi autem? Malach. 1. 11. *ab ortu solis usq; ad occasum magnum erit nomen meum in gentibus & in omni loco suffimentum & oblatio munda Nomini meo offeretur*. Sed lynceus valde sit, oportet, qui hîc videat Missaticum istud Sacrificium! *At Sancti Patres*, ais, *id, teste Coccio, hoc loco viderunt*. Rx. an omnes? non audes affirmare. An aliqui? At Patres, nisi consentiant, non præbent, teste Bellarmino, firmum argumentum. At interim ostende mihi vel unicum ex saniori antiquitate Patrem, qui illum Malachiæ locum de sacrificio vestro Missatico exponat: nullum ostendere poteris. Provocat Coccius vester *in Thes. suo Cathol l. 6. a. 6.* ad Justinum, Tertullianum, Eusebium, Chrysostomum & alios quosdam: sed quàm frustrà; ostendit Forbesius noster *Instr. Theol. lib. 11.* Audiamus jam brevitatis gratiâ unius duntaxat & quidem Justini ab ipso citati verba, ut videas, quàm fallax sit fides, quam habes Coccio vestro. *De nostris gentium*, ait is in dial. cum Tryphone, *quæ in omni loco offeruntur, sacrificiis, hoc est, pane Eucharistiæ & poculo similiter Eucharistiæ, jam tum locutus Malachias prædixit, nos glorificare nomen ejus, vos autem profanare*. Ubi hîc Sacrificium vestrum Missaticum D. JCte? ubi corpus & sanguis? Panem & poculum nominat: ut inanissima proinde sit vestra de antiquis Patribus gloriatio. Citant tantùm eos Jesuitæ, ut simplicibus imponant. Sed propiùs ad rem. Vulgatus vester, vobis authenticus, posteriora verba Malachiæ ità offert, *& in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda*: ubi

מקטר,

מקטר, quod fatente etiam Pagnino vestro, *incensum* vel *suffimentum* notat, reddit per *sacrificatur*: quasi verò (posito etiam, quod מקטר hîc sit participium Hophal) קטר significet *sacrificare*. En authenticum Interpretem!! Doceto autem me D. JCte, num מנחה, hîc apud Malachiam obvia, sumatur *propriè*, an verò *impropriè*. Si *impropriè*: quî vobis Missa est Sacrif. propriè dictum? Si *propriè*: Ergò non debent Missifices vestri offerre corpus & sanguinem Christi, sed suffimenta cum farina & oleo commixta, eaque adolere pro oblatione ignis in suavem odorem Jehovæ. Hoc enim propriè est *mincha*, juxta Legem Lev. c.2. ℣.1.2.

V. Ad nos quod attinet, dicimus Malachiam vaticinari de cultu spirituali Dei inter gentes præconio Evangelii constituendo, sermone, ut haud infrequens apud Prophetas & Apostolos, cultui legali accommodato. Nam 1. fatentur ipsimet adversarii, quòd adjuncta vox מקטר sumatur impropriè *de incenso Spirituali seu de suffitu precum*, (Sic Cornelius à Lapide demonstrat ex Psal. 141.2. & Apoc.5 8. *incensa esse preces sanctas*) quî ergò non eodem modo sumeretur vox מנחה? nullo quippe indicio constat, unam vocum conjunctarum *propriè*, alteram *impropriè* capiendam esse. 2. Dicit Jesaias cap. 66.20. de temporibus N. Testamenti, *& adducent omnes fratres vestros ex omnibus gentibus* מנחה *muneri Jehovæ, equis & curribus & pilentis* &c. *quemadmodum* יביאו בני ישראל את המנחה *adferunt Israëlitæ mincha instrumento mundo in domum Jehovæ. Atque etiam ex istis in Sacerdotes & Levitas.* Hæcne accipienda sunt *propriè* an *impropriè* D. JCte? Si *propriè*: reducetur totus cultus Leviticus in Christi Ecclesiam: si *impropriè*, cur verba Malachiæ *propriè*? 3. Sed quid multis? cùm habeamus ipsum Paulum, hujus loci interpretem, eumque manifestè ad cultum Dei spiritualem in N. T. referentem. *Volo igitur*, ait 1. Tim. 2.8. *viros precari* ἐν παντὶ τόπῳ *in omni loco* (sic Malachias dixerat בכל מקום *in omni loco*) *manus puras attollentes*: quod quid aliud est quam מנחה טהורה *munus purum*,

quod

quod idem Propheta expresserat, Deo offerre? Hanc eandem mentem suam etiam Paulus alibi exprimit dicens; *Hortor vos fratres per miserationes Dei, ut sistatis corpora vestra, hostiam vivam, sanctam, placentem Deo, rationalem illum cultum vestrum Rom. 12. 1.* Idem, cùm agit de gratiâ sibi concessa, Rom. 15. 15. 16. annon eam ad hunc finem dirigit, *ut sit Minister JEsu Christi operans Evangelio Dei, ut NB oblatio gentium fiat accepta, sanctificata per Spir. Sanctum?* Hîc ne Paulus ex Mincha Malachiæ exstruit sacrificium propriè dictum & quidem Missaticum D. JCte? Sed unum adhuc est, de quo, antequam ulterius progrediar, à te erudiri velim, nempe cùm *Mincha* respiciat *Missam*, cur Sacrificium Missaticum non peragatur vesperi, quemadmodum etiam mincha oblatum fuisse constat ex 1. Reg. 18. 29. nimirum *Missa apud vos nihil valet post prandium: apud nos autem nec ante nec post prandium valet quicquam: Ergò apud utrosq; nisi ei tempus matutinum valorem conciliet, est nullius valoris.*

VI. Verum est, Psal. 110. *Christum dici sacerdotem in æternum secundum ordinem Melchisedeck:* Sed quid inde pro Missâ vestra? *Si Christus*, ais, *est Sacerdos æternus uti etiam Heb. 6. 20 & 7. 7. & seq. habetur: Ergò reliquit necessariò sacerdotes, qui secundum ordinem Melchisedeck in æternum vero Deo, convenienter vocationi & officio suo, propriè dicta sacrificia offerant.* Argumentor pariter. *Si Christus est Sacerdos ἀναμάρτητος & absq; omni peccato, ut habetur Heb. 7. 26. 27. Ergo reliquit necessario Sacerdotes, qui secundum ordinem Melchisedeck ἀναμάρτητοι vero Deo propriè dicta sacrificia offerant.* Quid videtur de hac consequentia? annon maximè est ridicula? ita non minùs tua est ridicula & falsa in superlativo gradu: imò directè Paulo opposita: dicit enim ℣. 23. de Aharonicis loquens, *& illi quidem plures facti sunt sacerdotes:* de Christo verò statim subjungit ℣. 24. *at iste, propterea quod NB in æternum manet, habet sacerdotium ἀπαράβατον non transiens* scil. in alium, quemadmodum sacerdotium Leviticum. Num dices forte *in alium, tanquam collegam*, non verò *in alium, tanquam ministrum subdelegatum?*

gatum? quæ hodierna Jesuitarum vestrorum *cantilena est*: frustra: nam 1. hæc distinctio Apostolo non minùs in os contradicit, qui simpliciter dicit, Christi sacerdotium esse ἀπαράβατον *non transmitti in alium*: si autem transmitteretur in secundarium, transmitteretur utique in alium. 2. Figura restringitur ad unam personam, cur non potiori jure veritas? 3. Dicat mihi D.JCtus, num Sacerdotes subdelegatos & secundarios, quos fingunt Jesuitæ, putet esse ejusdem speciei cum primario, an verò diversæ: si dices *prius*, habebis sacerdotes diversum à Christi sacrificio sacrificium offerentes, quod vobis tamen non placet: Si *posterius*: Sacerdotes vestri erunt & *Reges & Sacerdotes, sine patre, sine matre, sine genealogia, sine ullo peccato*. Num credis hæc D.JCte?

VII. Verum est etiam, Gen. 14. 18 dici, quòd *Melchisedeck protulerit panem & vinum*: Sed quid inde quæso pro sacrificio vestro Missatico? Dicis, *id, quod fecerit Melchisedeck sacrificium fuisse. 2. Sacrificium vestrum Missaticum præfiguràsse*. Utrumque falsissimum est: proba, quod dicis, & dabimus victas manus. *Textus ait*, inquis, *Melchisedecum propterea protulisse panem & vinum, quia Sacerdos fuerit*. At ubi hoc dicit Textus D.JCte? Ostende. Textus ità habet, *Et Melchisedeck Rex Salem* הוציא לחם ויין והוא כהן לאל עליון *protulit panem & vinum: & ipse sacerdos Deo altissimo*. En quàm faveat tibi textus! ubi hîc vocula כי *nam, enim*, vel *quia*? Reddit quidem Vulgatus vester τὸ והוא (ubi pronomen supplet vim verbi substantivi *erat*) *erat enim*: sed consuetâ ipsi textus depravatione, quam hîc haud obscurè fatetur ipse Cajetanus vester, dum ait in hunc loc. *Quod in Vulgata editione subditur, ut causa oblationis* erat enim &c. *in Hebræo non habetur ut causa, sed ut separata clausula*. Abeunt etiam ab eodem ex Vestratibus Pagninus, Arias Montanus & Vatablus, vertentes cum Epiphanio (reddit enim καὶ ἦν ἱερεύς) & Hieronymo *in quæst. Hebr.* τὸ vau &, quæ particula non est causalis, sed copulativa, ut innuatur fundamentum benedictionis dandæ: unde &

à LXX. redditur ἦν δὲ ἱερεὺς, *erat autem sacerdos.* Novimus, dari Scripturæ loca, in quibus Vau sumatur pro *causali*, ita ut accumulatis hujus acceptionis à Bellarmino exemplis haud fuisset opus: probandum Bellarmino contra nos & Collegam suum Cajetanum, ut & Viros Ἐξηγητικωτάτους Montanum & Pagninum, *voculam illam hoc loco ità necessariò accipiendam esse.* Norunt vel pueri, *Vau* significare propriè *copulativam ET*: ab hac autem propriâ significatione num recedendum citra necessitatem? alibi si vim habet *causalis*, innuunt textus circumstantiæ (sic cùm loco à Bell. citato Gen. 20. 3. dicitur; *morieris propter mulierem, quam tulisti,* והיא בעלת בעל *& est juncta marito*, quis non videat ex circumstantiis, vau hîc esse voculam causalem, & sensum esse, *nam* vel *quia est juncta marito?*) hîc autem minimè. Dicis, *Jesuitam vestrum Masenium Concord. Medit. part. 3. clarè demonstrare ex textu hebræo, voculam Vau hoc loco esse causalem.* Aperui librum Jesuitæ (quem semper, ratione eruditionis, magni æstimavi) at deprehendo, ejus effugia admodum jejuna esse. Dicit 1. *verbum* הוציא *cum Accusativo apud Hebræos, esse producere ad sacrificandum.* Sed unde probat hoc Jesuita? provocat ad Num. 19. 3. & Jud. 6. ꝟ. 18. At quid quæso hinc? Usus quidem est Sp. Sanctus quandoque verbo הוציא, ubi de sacrificiis afferendis aut educendis agitur, ut Num. 19. 3. At tunc illud verbum non significat *sacrificare*, sed ex rei, quæ additur, naturâ finis eductionis aut adductionis tantum colligitur. Observavit hoc Masenii socius, Vasquez; ideo omissâ Grammaticâ & verbi significatione, sacrificium deducere conatur ex aliis loci circumstantiis. Et quid? manifestè tenetur falsi ille bonus Semanus (sic se ipsum vocat per metathesin literarum *in Stren. Reform. contr. Cl. Steinbergium nostrum*) i.e. Masenus: nam Jud. 6. 18. distinguitur adductio hœdi præparati ab oblatione & aliud verbum usurpatur, ויוצא אליו אל תחת האלה ויגש *& eduxit ad eum sub quercu & obtulit.* Ubi non יצא sed יגש juxta etiam ipsiusmet vestri Vulgati versionem, *offerre* significat. En ergò quàm eximiè Masenius causam

ſam veſtram tueatur. Sed redigamus tuum Maſenium ad abſurdum. Si verbum *hozi*, ubi conſtruitur cum Accuſativo, ſignificat *producere ad ſacrificandum*: ergo angeli, qui dixerunt Lotho, חתון ובניך ובנותיך וגו׳ הוצא מן המקום, mandârunt ipſi ſacrificare liberos & uxorem Gen. 19. 12. Imò, ergò magi Ægyptii, quando laborârunt להוציא את הכנים *ut producerent pediculos*, laborârunt, *ut ſacrificarent pediculos*. Riſum teneatis amici! Pergit Jeſuita, *Litera* Vau *hoc loco cauſalis eſt*. Unde probas Maſeni? *ex contextu liquet*. Egregiè. At quàm falſum hoc ſit, liquet ex ſupra dictis. Pergit porrò. *Cohen participium activum præſ. temp. 1. conj. in Benoni eſt, quo ipſe actus ſacrificantis exprimitur, quaſi diceres; ſacrificabat enim altiſſimo.* En quàm miſerè ſe hîc non torqueant boni Jeſuitæ! ut videantur aliquid dixiſſe, non verentur Vulgato, ipſis licet authentico, in faciem contradicere. Didicit hanc ſubtilitatem, vel potiùs vanitatem ex ſocio ſuo Maldonato, qui *Comment. in Pſal. 110.* ſibi de eâ admodum gratulatur: ſed 1. Domini iſti textui Papicolis authentico bis contradicunt: ſic enim ille habet: *erat enim ſacerdos Dei altiſſimi.* 2. Ipſum Paulum cenſurâ notant, qui Heb. 7. 1 ἱερέα interpretatur. *Nam hic Melchiſedeck, rex erat Salem*, ἱερεὺς τοῦ Θεοῦ τοῦ ὑψίστου *ſacerdos Dei altiſſimi.* 3. Si *Cohen* actum ſacrificandi, eumque præſentem denotat: ergò ſacrificaverint etiam Jeſuitis actu principes, qui in Scriptura *cohanim* nuncupantur. En quàm bellè pugnaverit Maſenius pro ſuâ & D. JCti noſtri causâ!

VIII. Addis, *Verſionem Junii & Tremellii, quorum alter dicatur fuiſſe Judæus converſus, adeoq; textus hebraici peritior, vobis favere: cùm habeat, prout hic erat Sacerdos Deo forti excelſo.* ℞. 1. Nullius verſio, ſed ſolus Textus Hebræus & Græcus eſt nobis Authenticus: ſi ergò citata verſio vobis faveret; quid cauſæ noſtræ præjudicaret D. JCte? 2. Non favet interim: referunt viri illi (quorum poſterior, nim. Tremellius, ut rectè ſcribis, converſus Judæus fuit: ſed addere debebas, eum etiam converſum Monachum fuiſſe: ejurato enim Judaiſmo ad vos tranſierat, in-

 greſ-

gressus monasterium: sed visâ tandem magis ac magis superstitione & idololatriâ, convertit se ad verum Ecclesiæ Reformatæ Christianismum, in quo & ad finem usque vitæ perseveravit) verba illa *prout hic erat Sacerdos Deo forti excelso* non ad præcedentia, sed ad sequentia, *benedixerat illi, dicens: Benedictus Abram* Deo &c. patet hæc ipsorum mens in adjectis glossis. Quî ergo vobis favent? quî nobis contradicunt? Frustra dixeris cum Jesuitis tuis, *non posse illa verba invicem conjungi, eò quòd interveniat Silluk cum Sophpasuk:* nam hæc non ostendunt finiri orationem: sed versum tantùm, ut alibi sæpius fieri solet Psal. 95 7 8. Jer. 33. 10. 11. Imò in hoc ipso Geneseos libro c. 23. 18. 19. & 48. 15. 16. quid? annon hoc ipso capite ℣. 22. 23? Hanc versuum ex V. T. citatorum conjunctionem observa etiam in N. T. nominatim Heb. 3. 15. ex Psal. 95. 7. 8. Sed quid opus ambagibus? annon ipsa Vulgata in hoc ipso loco versum 18 & 19, non obstante Silluck cum Sophpasuk, conjungit? ita enim habet: *At vero Melchisedec rex Salem, proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altissimi, benedixit ei* &c. En Jesuitas proprio gladio jugulatos! quis non rideat?

IX. *Si Melchisedeck fuit sacerdos*, inquis, *Ergo sequitur, eum panem & vinum obtulisse in sacrificium.* ℞. Negando Consequentiam, quæ non probatur, dicendo, *ad sacrificium ordinari sacerdotium:* nam necesse quidem est, docente Paulo Heb. 5. 1. omnem sacerdotem *habere aliquid quod offerat:* sed falsum necesse esse ad descriptionem ordinis alicujus sacerdotalis, ut aliqua oblationis fiat specificatio, cùm sacerdotii ordo queat esse specialis, etsi sacrificium sit commune. Addis, *omnes S. Patres à tempore primi Christianismi usq; ad Lutherum ità credidisse vobiscum.* ℞. audax assertum, & certè falsissimum. Audi Chrysostomum. *Et vide*, inquit ille Homil. 35. in Gen. *propter honorem in Patriarcham collatum, quomodo sacramentum insinuatur. Extulit enim illi panem & vinum.* Ubi hîc Sacrificium D. JCte? De figurâ Sacramenti agunt S. Patres, non de figurâ sacrificii. Audi & Epiphanium.

phanium. *Melchisedeck*, ait is hæreſ. 55. *propoſuit panes & vinum, myſteriorum ænigmata præfigurans & exemplaria, cùm Dominus noſter dicat, Ego ſum panis vivus.* Adjunge Clementem Alexandr. *Melchiſedeck*, inquit ille l. 4. Strom. c. 8. *Sacerdos Dei altiſſimi, qui panem & vinum dedit NB nutrimentum in typum euchariſtiæ.* Ita & Baſilius *in Pſal. 109.* Theodoretus *in Gen.* & alii. En ergò quàm verax ſis D. JCte! Sunt etiam, non negamus, quidam ex Patribus, qui dicunt *Melchiſedecum obtuliſſe panem & vinum:* at negamus, eis ſermonem eſſe de ſacrificio externo & propriè dicto: intelligunt potius vocem *ſacrificii* eo ſenſu, quo uſurpatur à Paulo Phil. 4. 18. Heb. 13. 16. Eat ergò D. JCtus cum citato Coccio ſuo & in poſterum Patres (quorum tamen auctoritas in dogmate fidei conſtituendo non valet) veriùs allegare diſcat!

X. *Quî credat*, ais, *homo prudens, Chriſtum eſſe ſacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedeck, cùm indicari non queat ordo & modus Melchiſedeci, ſecundum quem Chriſtus evaſerit ſacerdos* &c. R. Quî Chriſtus conveniat cum Melchiſedeco, docet te Apoſtolus *ad Hebr. 7. per totum caput.* Convenit 1. *in nomine* ℣. 2. βασιλεὺς δικαιοσύνης, βασιλεὺς εἰρήνης. 2. *in origine*, ℣. 3. ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος. 3. *in duratione.* ℣. 8. μαρτυρούμενος ὅτι ζῇ. 4. *in officio.* ℣. 1. βασιλεὺς καὶ ἱερεύς. 5. *in dignitate* ℣. 7. 8. χωρὶς δὲ πάσης ἀντιλογίας τὸ ἔλαττον ὑπὸ τοῦ κρείττονος εὐλογεῖται κλ. 6. *in unitate.* ℣. 24. Ὁ δὲ, διὰ τὸ μένειν αὐτὸν εἰς τὸν αἰῶνα, ἀπαράβατον ἔχει τὴν ἱερωσύνην &c. Vides jam, nî fallar, quî Chriſtus ſecundum Apoſtolum, ſit ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedeck. Dices forte, *ab Apoſtolo non exprimi ſacrificium.* R. Litiga ergò cum Apoſtolo. Scopus Apoſtoli non erat enarrare omnes ſacerdotii Melchiſedei actus, ſed eos duntaxat, in quibus præſtabat aliis ſacerdotibus, quod, cùm ſacrificium fuerit aliis commune, haud per ejus rationem fieri potuiſſet. Inſtabisne cum Bellarmino, *nec, quod Melchiſedeck benedixerit & decimas acceperit, proprium eſſe illius ſacerdotii, ſed etiam commune Levitico?* At hoc non eſt tam nos quàm Apoſtolum petere. Sed reſpondeat Cardinali Jeſuita Vaſquez. *Fal-*

sum est, ait ille Tom. 1. disp. in 3. p. Thom. d. 81. q. 21. a. 4. c 4. *ea, quæ Paulus attribuit Melchisedeck, communia etiam aliis sacerdotibus fuisse, sicut prædicti Doctores contendunt. Nam quod benedixerit Melchisedeck & decimas acceperit, non illi fuit commune cum Leviticis; siquidem probat Paulus, Melchisedeck excellentiorem fuisse sacerdotem, quàm Leviticos, tum quia omnibus Leviticis benedixit in lumbis Abrahæ, tum quòd etiam ab iis, in lumbis Abrahæ existentibus decimas acceperit, hoc autem Leviticis non erat commune, quibus ex consequenti in duobus illis Melchisedeck antecelluit.*

XI. Sed agedum, si Melchisedeck in oblatione panis & vini fuit typus, dicat mihi D. JCtus; an Christus impleverit typum, nec ne? Si *non implevit*, quî ergo Papicolæ dicunt, eum sub speciebus panis & vini sacrificâsse? si *implevit*: cur ergò offerunt hodie? num quod impletum adhuc implendum? Quærisne, *in quem igitur usum Melchisedeck protulerit panem & vinum, si non in sacrificium?* ℞. protulisse *honoris causa*, tum ad Abrahamo de victoria gratulandum; tum ad milites ex itinere fessos reficiendum. Frustra exceperis cum Jesuita Elisio l. c. *milites jam fuisse refectos ex præda, quam hosti abstulerint*: nam fuerint refecti, quid tum? Ergòne ab hospitalitatis officio abstineret Melchisedeck? quid si eum id latuisset? Sed notum ei fuerit: an nemo excipiendus liberali convivio, nisi qui apud se destituatur cibis necessariis? Sed refutet Jesuita Jesuitam. *Parum* ait Pererius disp. 5. in c. 14. Gen. *in hac confutatione videtur esse roboris; Dicat enim quispiam, nescîisse id Melchisedeck, imò putâsse, eos propter laborem dimicationis & fatigationem itineris; recentibus cibis refici & recreari debuisse. Ac licet id scivisset, voluisset tamen eo munere suam erga Abramum benevolentiam & ex victoria ejus, singularem lætitiæ suæ voluptatem declarare.* Et tandem quis non miretur Papicolas? urgent adeò sacerdotium Melchisedeci, cùm tamen Lombardus, Episcopus Parisiensis, lib. 4. Sent. dist. 24. scribat, *presbyteros accipere calicem cum vino & patinam cum hostiis, ut per hoc sciant, accepisse se potestatem placabiles Deo hostias offerendi & hunc ordinem*

nem à filiis Aaron sumpsisse initium. Si à filiis Aaron, quî ergò hodie ad Melchisedecum confugiunt?

XII. Quin si darem tibi D. JCte, *Melchisedecum obtulisse Deo panem & vinum*, quid inde præsidii capturus esses pro sacrificio vestro Missatico? num hinc sequetur, Christum adhuc quotidie offerri sub specie panis & vini? quis non rideat istam Consequentiam, *Melchisedeck obtulit Deo panem & vinum: Ergò Missifex sub specie panis & vini offert corpus & sanguinem Christi?* Aliud ergo causæ tuæ quæras præsidium! Quod interim non invenis Jerem. 33.18. Jes. 19.18.19. & 66.18. Nam aut intelligis illa loca propriè, aut impropriè: si *propriè* revocabis in Christi Ecclesiam *Sacerdotes Leviticos, victimas & holocausta:* Si *impropriè*, quid ad rem? Describitur ex stylo Prophetis familiari cultus spiritualis terminis legalibus. Glossa interlin. in Jes. *censet altare*, cujus meminit Jesaias, *denotare fidem, super quâ sacrificamus Deo bona nostra, quæ agimus & dixit colendum Deum hostiis spiritualibus.* Innuitur igitur non *altare materiale*, sed *mysticum*, ad hostias spirituales offerendas Rom. 12: 1. Et hinc sermo est in singulari *altare*, non in plurali *altaria*, prout magno numero apud vos conspiciuntur.

XIII. Quod addis, *Sacrificium vestrum Missaticum duraturum esse usq; ad desolationem Christianismi & adventum Antichristi*, vix responsionem meretur. Provocas ad Dan. 8.11. & 11.31. At quid quæso ibi pro Missa? Prædicit ibi Propheta, *Sacrificium juge* per Antiochum (quem Antichristi typum fuisse non negamus) abolitum iri: at num sacrificium juge figura fuit Sacrificii Missatici? unde probabis D. JCte? Asserunt ipsi Jesuitæ vestri Emanuel Sa, Cornelius à Lapide, & Tirinus, per juge sacrificium intelligi *agnum illum, quem quotidie manè & vesperi sibi offerri jusserat*; cum his tu ergo in posterum disputa. Quid si dicam, per istud præfiguratum fuisse cruentum crucis sacrificium? illud enim Antichristus (quem vos adhuc hodie exspectatis, ut olim Judæi Christum, inter ipsos præsentem) reipsa abrogavit &

ever-

evertit, ſubſtituto alio humanæ fictionis ſacrificio (quod Danieli cit. c. 11. ℣. 31. *deteſtatio deſolans* audit) id eſt, Miſsâ.

XIV. Quæ contra hîc regeris, quàm futilia ſint, liquet modò ex ſuprà dictis. Coloris aliquid habere videtur, quod excipis, prædici à Malachia 1. *ſacrificium purum & mundum*: cùm è contrario Reformati fateantur, *bona opera fidelium non eſſe pura, ſed peccatis inquinata*: 2. prædici ab eodem *ſacrif. Novum*: jam verò precationem aliaque bona opera non poſſe dici *ſacrif. novum*: ſiquidem etiam obtinuerint ſub V. T. Ergò mincha Malachiæ non poſſe intelligi de ſpiritualibus exercitiis N. T. At verò has remoras tollere haud arduum eſt. Ad 1. quod attinet, reſpondemus, bona fidelium opera, licet abſolutè & in ſe καθ' ἀκριβοδίκαιον τοῦ νόμου non ſint *munda*, eſſe tamen *munda* ſecundum quid & κατ' ἐπιείκειαν τοῦ εὐαγγελίου in Chriſto, qui ea tegit ſuâ munditie. Audi Paulum. *Adhortor vos fratres*, ait Rom 12. 1. *ut offeratis corpora veſtra in hoſtiam VIVAM, SANCTAM, ACCEPTAM DEO* &c. Et Rom. 15. 16. *Operans Evangelio Dei, ut oblatio gentium fiat accepta, SANCTIFICATA per Sp. S.* Et 1. Tim. 2. 8. *attollentes manus PURAS ſine ira* &c. Vide & 1. Petr. 2. 5. Ad 2. reſpondemus 1, Malachiam *novæ oblationis* nusquam meminiſſe. 2. Si meminiſſet, quid pro vobis? res dicuntur novæ cùm renovantur. Sic Chriſtus, commendans diſcipulis charitatem, ait Joh. 13. 34. *Mandatum novum do vobis*, licet fuerit etiam vetus 1. Joh. 2. 7. 3. res etiam efficiuntur novæ à novis circumſtantiis. Sic in N. T. eſt novus cultus 1. ratione *temporis*, quod eſt Evangelii. 2. ratione *loci*, in V. T. cultus erat adſtrictus uni domui, ita ut ne quidem orare liceret, niſi facie ad eam converſa 1. Reg. 8. ℣. 30. jam verò ἐν παντὶ τόπῳ *attolluntur manus puræ* 1. Tim. 2. 8. 3. ratione *perſonarum*: conſtituenda enim erat caula Chriſti duplici ovium genere, & evadere debebat *grex unus* ex Judæis & Ethnicis Joh. 10. 16. 4. quid? annon ipſe cultus Evangelicus rectè dicitur novus, ſi non *quoad rem*, ſaltem *quoad gradum?* quo ſenſu ipſe Jeremias prædixit c. 31. *fœdus gratiæ novum fore ſub N. T.*

XV. Cre-

XV. Crepant Jesuitæ duo adhuc, præter citata pro Sacrificio suo Missatico loca, quorum alter Actor. 13. 2. alter verò Luc. 22. 19. occurrit, quæ miror quòd D. JCtus adeò sicco, quod ajunt, pede præterierit, maximè cùm Jesuita Veronus, omnibus ad inveniendam Missam perreptatis N. T. angulis, eam tandem quàm mollissimè in priori loco cubantem se reperisse asserat: sed animadvertit forte D. JCtus, ex his locis potiùs Missæ vanitatem liquere quàm veritatem: Et sic reipsa est. Nam 1. posito non tamen concesso, verbum λειτουργεῖν Act. 13. 2. reddendum esse per *sacrificare*, num statim hinc sequetur Sacrificium Missaticum? 2. falsissimum est, λειτουργεῖν esse *sacrificare*: significat *ministrare* & nemo est vel mediocriter linguæ Græcæ peritus, quem lateat dici de publicis præsertim functionibus (voce compositâ ex λήϊτος *publicus* & ἔργον *opus.*) Audiat D. JCtus suum Casaubonum. λειτουργεῖν (ait is *Exerc. XVI. Sect. 41.*) *prima notione est opus publicum facere vel publicè: sed latius postea illa vox accepta. Apud Græcos Scriptores λειτουργεῖν est publico præstare vel operam vel pecuniam* &c. Quid? præter Chrysostomum ipsa Vulgata Versio λειτουργεῖν reddit per *ministrare*. Aut verò bene ità reddit aut malè? si malè: quomodo Papicolis est authentica? si bene: quare Jesuitæ hîc ab ea abeunt? *Non explicatur*, ait Cardinalis Cajetanus, *species ministerij: sed ex eo quod dixerat (Propheta & Doctores) insinuatur, quòd ministrabant Domino, docendo & prophetando.* Adde, si verbum λειτουργεῖν infert sacerdotium Missaticum, non duntaxat plebeios & Reges sed ipsos etiam Angelos in numerum Sacrificulorum Missaticorum referendos esse, cùm & de illis vox λειτουργίας prædicetur: *de plebeiis* 2. Cor. 9. 13. *de Regibus* Rom. 13. 6. *de Angelis* Heb. 1. 9. Sed quid multis? qualis fuerit λειτουργία Apostolorum, innuit ipse Paulus Rom. 15. 16. dicens, εἰς τὸ εἶναί με λειτουργὸν Ἰησοῦ Χριστοῦ *ut sim minister* J. *Christi apud gentes, operans Evangelio* (non legens Missas) *ut oblatio gentium fiat accepta, sanctificata per Sp. Sanctum.*

XVI. Ad locum Luc. 22. 19. *Hoc facite in meam comme-*

 mora-

morationem quod attinet, quis pariter in eo *sacrificium Missaticum* videat? vident tamen Jesuitæ: nam *facere* ipsis hîc idem est, quod *sacrificare*; imò Concil. Tridentinum eos anathemate percutit, qui negaverint, Christum verbis jam citatis non instituisse Apostolos Sacerdotes. O desperatissimum Missæ fundamentum! Ubi enim τὸ ποιεῖν & *sacrificare* apud probatos Auctores æquipollent? ubi τὸ עשה aut τὸ *facere* notat *sacrificare* non additâ vel subauditâ victimâ? Provocant Domini ad istud Virgilii; *Cùm faciam vitulâ pro frugibus, ipse venito*: sed annon subauditur substantivum *victima*? quî autem id huc quadrat, dicente Christo Τοῦτο ποιεῖτε, *hoc facite*? 2. Et quid opus ambagibus? cùm habeamus Interpretem ipsum Paulum 1. Cor. 11. 25. 26. *Hoc facite, quoties biberitis in mei commemorationem. Nam quotiescunque ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annuntiatis, usq; dum veniat. Facere* ergo, Interprete Aposto, nihil hîc aliud est, quàm *edere de pane & bibere de poculo ad annuntiandam mortem Christi, donec redeat*, nisi forte velint Jesuitæ, Apostolum omnes etiam Laïcos fideles constituere sacrificulos, cùm ad eos omnes mandatum istud extendat. Agnoscit hîc veritatem nobiscum contra hodiernos Papicolas Papicola Estius, dum ita *in 4. Sent. dist. 12.* scribit. *Quod nonnulli Neoterici* (Jesuitæ) *vim faciendam putant in verbo* facite, *quasi idem significet, quod* sacrificare &c. *mihi parùm solidum videtur, nec apud NB veteres Interpretes ea expositio uspiam reperitur, nec sanè propositio convenit. Non enim absolutè dicitur* facite, *sed* hoc facite, *id est, id quod à me & à vobis nunc fit aut factum est, deinceps vos & vestri successores facite in mei memoriam* &c. *Et Paulus 1. Cor. 11. illud* facere *etiam ad plebem refert* &c. *In quibus sententiis manifestum est, facere non idem esse quod sacrificare, sed consuetam retinere significationem.* Aliud proinde Missæ suæ fundamentum quærant Jesuitæ!

XVII. Illud autem, quantacunque etiam diligentiâ quærant, nusquam tamen in Scriptura invenient. Agnoscit hoc Baronius: hinc *ad ann. 53. ¶. 13.* sacrificium Missaticum re-

fert

fert inter *traditiones non scriptas.* Etiam Salmero, qui fuit unus ex primis decem Lojolæ discipulis, *Comm. in Ep. Pauli ad Rom. disp. 8.* expresse inserit *Missam traditionibus non scriptis.* Oculatiores ergò hodie sunt Lojolæ discipuli, dum eam in Scriptura vident. Refert Benedictus Fischerus, Monachus Præmonstratensis *in suo Centifolio Mystic. Conc. 6. p. 49.* S. Petrum & reliquos Apostolos *tantum recitâsse Orationem Dominicam & hinc transiisse ad consecrationem, & hoc integram ipsorum fuisse Missam.* Hoc si verum: unde ergò hodiernum choragium Missaticum, tot partibus contextum, tot vestibus & ceremoniis conflatum? Nempe Papæ (forte Apostolis sapientiores) cultui, tempore Apostolorum adhuc imperfecto, perfectionem addiderunt! Scribit Azorius *l. 10 c. 29. q. 4. Sacerdotem peccatum mortale commissurum esse, si destitutus Missali Missam legeret.* Væ ergò Apostolis, qui, fatente præter Fischerum ipsomet Papa Gregorio *Ep. ad Joh. Episc. Syracus.* Missalibus caruerunt.

XVIII. Durum videtur D. JCto, quòd Catechesis Heidelbergensis Missam nuncupet *execrandam idololatriam:* at licet ipsi videatur durum; verissimum tamen, quod Catechesis asserit. Nam, ut alia prætercam, in Missa proponitur hominibus adoranda & pro Deo suo habenda hostia consecrata, hoc autem annon execranda idololatria? *Nullus dubitandi locus relinquitur,* inquit Conc. Tridentinum Sess. 13. c. 5. *quin omnes Christi fideles &c latriæ cultum, qui Deo debetur, huic sanctissimo Sacramento in veneratione adhibeant.* Cultum ergo soli Deo debitum frustulo panis exhibetis. Frustra dixeris, hostiam esse transsubstantiatam in corpus Christi: nam hoc est futilissimum commentum, suprà pluribus confutatum. Quin propria vestra hypothesis vos idololatriæ convincit. Docetis, ut jam audivimus ex Conc. Tridentino, *totum Sacramentum à fidelibus adorari:* totum autem Sacramentum juxta vos constat ex Christo & accidentibus: ergò etiam accidentia adorantur à fidelibus Pontificiis. Prætendit quidem Cardinalis Richel. in nupero Opere

 Gal-

Gallico l. 4. c. 3. *non adorari apud vos Sacramentum ipsum seu species, sed Christum ipsum sub speciebus latentem*: At verba Conc. Tridentini clariora sunt, quàm ut ullâ sophisticâ eludi queant. Maximè cùm suprà adductis addit; *Nec enim minùs est adorandum* (Sacramentum) *quod fuerit à Domino institutum: nam illum eundem Deum præsentem in eo esse credimus* Audiatur Suarez. *Ecclesia*, inquit in 3. Thom. q. 79. art. 8. *totum Sacramentum adorat, & Concil. Tridentinum non sub nomine Christi, sed Sacramenti docet celebrandum esse hoc sanctissimum Sacramentum.* Audiatur & Bellarminus. *Fatemur*, ait ille l. 4. de Euch. c. 25. *sacramentum ipsum esse adorandum, ut Conc. Tridentinum loquitur* &c.

XIX. Fatemini præterea, si transsubstantiatio panis nulla contingit, idololatriam omnium maximam à vobis committi. *Tolerabilior*, ait Jesuita Costerus Enchir. Controv. c. 12. *est error eorum, qui pro Deo colunt statuam auream aut argenteam, aut alterius materia imaginem* &c. *quàm eorum, qui frustum panis, quod hactenus per universum orbem tot annis fecère Christiani, nisi vera sit doctrina transsubstantiationis.* Atqui vos de transsubstantiatione (quam dogma monstrosissimum esse, jam supra evicimus) nunquam potestis esse certi: probo, quia non potestis esse certi de legitima consecratione, (à quo transsubstantiatio juxta vos dependet:) probo & hoc, quia legitima consecratio juxta vos dependet ab intentione consecrantis & ab aliis, de quibus vobis nulla certitudo esse potest. Audi Suarezium vestrum. *Multæ* ait is in 3 Thom. q. 39. a. 8 *sunt causæ propter quas hoc accidere potest, ut si sacerdos non sit baptizatus, vel non habeat intentionem, vel non sit rite ordinatus, quod pendet à multis aliis causis, in quibus ferè in infinitum progredi possumus.* Præsentissimo ergo idololatriæ periculo ex propriâ vestra hypothesi populus est expositus. Non ignoro hîc vestrum effugium. Prætenditis, *adorationem fieri debere sub conditione habituali tacitâ vel actuali expressâ, tali scil. si servata sint omnia ad consecrationem necessaria.* Sic Biel *in Can. Miss. Sect. 49.* Sic & Bonaventura *in 3. sent. dist. 9. a. 1. q. 6. Sufficit, quod*

adorans

adorans in habitu hanc habeat conditionem, videl. si consecratio debito modo facta est &c. At quæso te D. JCte, quæ potest hac absurditate esse major? Sic te & omnes Pontificios coram hostia procidentes cogitare oportet, *adoro te & colo te ô hostia pro Deo meo, si es Deus.* An etiam majorem absurditatem unquam orbis vidit? Annon *omnis vera adoratio niti debet fide* Rom. 10. 14? annon *quicquid non est ex fide, peccatum est?* Rom. 14. 23. Dicit Apostolus, *eum, qui accedit ad Deum, credere oportere, esse Deum* Heb. 11. 6. Vos autem acceditis ad Deum vestrum paniceum eumq; adoratis & interim nescitis, an Deus sit, adeoq; cum Atheniensibus *ignoto* vobis *Deo* sacra facitis Act. 17. 23. & cum Samaritanis *adoratis, quod nescitis* Joh. 4. 22.

XX. Quid si darem tibi D. JCte, vos non committere idololatriam adorando Sacramentum, non tamen salvi evaderetis: annon enim nos, qui in conscientia persuasi sumus, non Christum ibi, sed merum panem esse, omni vi ad genuflexionem & adorationem cogitis &, nisi morem geramus, ferro & flammis, tanquam Atheos, persequimini? Piô Dei hominumq; fidem! quid est homines crinibus trahere ad idololatriam, si hoc non est?

XXI. Sed porrò. Missa proponit nobis adorandum Pseudo-Christum, quis ergo eam non insimulet execrandæ idololatriæ? Probo. 1. Verus Christus est ex Virgine natus: Missaticus autem à sacerdote creatus in quinque verborum. 2. Ille olim natus est Bethlemi: hic hodie nascitur vi altari. 3. Ille est passus & mortuus: hic verò non. 4. Ille resurrexit ex mortuis vi potentiæ suæ: hic adeò impotens est, ut ne surgere quidem possit ex luto. 5. Ille vicit omnes hostes: hic ne quidem mures & glires, cùm, vel fatentibus Pontificiis, ab iis devorari queat. 6. Ille ascendit ad cœlos & sedet ad dextram Dei gloriosus: hic vel descendit in stomachos vel manet in Monstrantiis vel miser à furibus aufertur. 7. Ille in cœlis interpellat pro nobis: hic autem in aris elinguis hæret, 8. Ille abiit reversurus:

rus: ille, ut non abiit, ita incassum exspectatur. En ergò novum Christum Missaticum!

XXII. Dictum Pauli Heb. 13. 10. (quod toties crepas) *Habemus altare, ex quo edendi, potestatem non habent, qui tabernaculo cultum præstant*, quàm parùm vobis faveat, suprà modò *c. 3. paragr. 4. n. 15.* demonstravimus. Agnoscunt nobiscum ex ipsis Pontificiis Lyranus, Thomas, Gagnejus, Titelmannus, & alii, quos suprà citatos vide, hîc non intelligi altare materiale & propriè dictum: cum illis tu ergò in posterum disputa.

XXIII. Addis, *dictum ejusdem Aostoli Hebr. 10. 18. ubi est peccatorum remissio*, ibi *non* est *amplius oblatio pro peccato, pessimè adhiberi à Catechismo ad probandum, Missam esse execrandam idololatriam, cùm in illo ne minimum quidem de idololatria.* At quis non miretur Virum? Ubi quæso Catechismus hoc dictum eo fine adhibet? Asserit Missa, *vivos & mortuos non habere remissionem peccatorum propter unicam Christi passionem, nisi etiamnum quotidiè Christus pro ipsis à sacrificulis offeratur.* Huic jam assertioni verè impiæ opponit, præter alia Scripturæ dicta, illud Apostoli; Ubi est *peccatorum remissio, ibi non* est *amplius oblatio pro peccato.* Sublumo. *Atqui in sanguine Domini* JESV *jam est peccati remissio. Ergo nulla jam amplius est pro peccatis oblatio.* Solve hoc argumentum D. JCte, si potes. Ne autem dicito, ut dicis p. 241. *Apostolum loqui de Sacrificiis V. Testamenti tantum, quæ sanguine vitulorum, hircorum & aliorum animalium facta fuerint, non autem de æterno sacrificio incruento* &c. nam 1. quis docuit te limitare, ubi Apostolus non limitat? Rejicitur ab ipso *absolutè & citra ullam limitationem* quodvis sacrificium. 2. Adversatur hoc effugium è diametro Apostolo, qui non duntaxat argumentorum suorum aciem dirigit contra Judæos infideles, sed etiam contra eos, qui jam credebant, sed interim autumabant, sibi adhuc observatu necessariam esse legem Mosaïcam Act. 21. 20. Quî autem ipsius argumentatio contra hos omnes obtinuisset, nisi omnia in universum proprii nominis sacrificia, quocunque

etiam

etiam schemate prætensa, Christi sacrificio aboleri pertendisset. Quid? legis zelotæ eodem loco habebant Sacrificia Mosaica, quo hodie Pontificii suum Missaticum, id est, erant ipsis commemorativa Sacrificii Christi, in cruce consummati, nisi D. JCtus velit dicere, eos voluisse retinere sacrificia Mosaica, tanquam se citra fidem in Christum purgantia à peccatis, quod utique fuisset absurdorum absurdissimum, nec in eos, tanquam modò credentes cadere poterat. Cùm jam contra hos æquè ac contra Judæos infideles Apostolus sit argumentatus, argumentatus est etiam contra Missaticum Sacrificium Papicolarum.

XXIV. *Si dicis*, ais, *ubi est peccatorum remissio, ibi non est amplius oblatio pro peccatis, nec in V. nec in N. T. dico & quæro ego vicissim, ubi est peccatorum remissio, ibi non est baptismus, cœna, preces* &c. Hem Papicolas, qui in gratiam Missæ suæ ipsi etiam Apostolo illudere non erubescunt! At 1. num ergo baptismus, cœna, preces, eleëmosynæ sunt sacrificia propriè dicta? annon media applicationis? Agedum dicat mihi D. JCtus, num Apostolus hîc rejiciat sacrificia propriè dicta, ut incompatibilia cum remissione peccatorum: an verò impropriè dicta, qualia *sunt preces, eleëmosynæ* &c. si *posterius*; sibi ipsi contradiceret, utpote qui passim hæc commendat. Si *prius*: rejicit etiam Sacrificium Missaticum, tanquam propriè dictum. Num obvertes 1. distinctionem vestram inter *sacrificium cruentum* & *incruentum*? est illa non modò ἄχαρφ@, sed & ἀντίχαρφ@, cùm, teste eodem Apostolo, non detur *remissio peccati*, atque adeò nec sacrificium hilasticum χωρὶς αἱματεκχυσίας *sine sanguinis effusione* Heb. 9. 22. Num regeres 2. etiam Missam vestram esse *sacrificium applicationis, non redemptionis?* Etiam vanissima est hæc distinctio: nam 1. annon etiam fidelibus V. T. æquè ac nobis debuit applicari sacrificium Christi ad salutem? num autem id factum per sacrificium Missaticum? cur ergò hodie nobis? 2. Annon omne sacrificium propriè dictum expiatorium, quale vos Missam esse

per-

perdenditis, fit Deo? applicatio autem fit nobis: quî ergo esse potest medium applicationis? 3. Annon redemptio est sacrificio propitiatorio, quale Missam esse vultis, essentialis? Si negas, audi Canonem Miss. Major. *Memento Domine famulorum famularumq; tuarum, nostrorum & omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, pro se suisq; omnibus pro redemptione animarum, pro spe salutis & incolumitatis suæ.* Qui ergò est *sacrificium applicationis*, non *redemptionis?*

XXV. Unum adhuc est, de quo, antequam ad alia me conferam, erudiri velim à D. JCto: nimirum, cùm innuente Bellarmino *l.1.de Miss.c.27.* doceatis, *destructivam mutationem in omni sacrificio externo necessariam esse*, quænam sit illa destructiva mutatio in sacrificio Missæ? Quid quæso destruitur D. JCte? an *panis?* At statuitis, panem transsubstantiari in corpus Christi, adeoque prolatis verbis panis substantiam non amplius superesse. An *accidentia?* At illa quî destrui? quî sacrificari queunt? An *Christus?* At ille jam gloriosus, nulli amplius obnoxius est destructioni, *non amplius*, teste Paulo Rom.*6.9. moritur.* An *esse Sacramentale corporis Christi?* Sic quidem vult Bellarminus. *Per consecrationem*, ait l.cit. *corpus Christi accipit formam cibi: cibus autem ad comestionem & per hoc ad mutationem & destructionem ordinatur. Neque obstat, quòd corpus Christi nullam in se læsionem patiatur, neq; esse suum naturale amittat, cùm manducatur Eucharistia; nam amittit esse Sacramentale, & proinde desinit esse realiter in altari, desinit esse cibus sensibilis.* At non bellus sed admodum misellus est hîc Bellarminus. Nam 1. ipse fatetur, necessarium esse, *ut substantia ipsa absumatur, & non sufficere usum rei tolli:* sic autem non absumitur nec destruitur substantia. 2. Non audet vir dicere, *corpus Christi destrui:* dicit ergò, *illud per consecrationem ad destructionem ordinari:* sed an *ordinare ad destructionem & destruere* simul incidunt? 3. Si *esse Christi sacramentale* destruitur, & quidem per comestionem, dicat mihi D. JCtus, quî comestio sit de essentiâ sacrificii? Item, quî sic destructio fiat in altari? cùm

sic

ſic potiùs ſit dicenda fieri in ſtomacho ſacerdotis. Porrò quî, cùm Laici æquè ſumant hoſtiam ac Sacerdotes, illi non æquè Chriſtum ſacrificent ac hi? Ridet hanc Bellarmini ſententiam ex ipſismet Pontificiis Suarez *in Thom.3.p.diſp.73.ſect.5.* contendens, neceſſarium non eſſe, *ut admittatur immutatio & deſtructio realis*, qualem deſiderat Bellarminus, *ſufficere ad ſacrificij rationem rei principaliter oblatæ mutationem moralem*: ſed ipſe ridetur ab aliis Papicolis: cùm ſic, ut dicit Vaſquez *in 3.p.Thom.3.diſp.220* ſequeretur, *eum etiam, qui in ſacerdotem conſecratur, immolari & ſacrificari* &c. Pergit interim Bellarminum confutare Malderus, Epiſcopus Antverpienſis *Tract. 10. de juſtif. & jure c.3.* adductis novem opinionibus Papicolarum, quas ipſe pluribus refellit. Adeò Cadméis iſtis fratribus de Sacrificio ſuo Miſſatico, Religionis ſuæ fundamento, convenit!

XXVI. Sacrificium Miſſaticum puriori antiquitati in uſu fuiſſe, quod jam probandum ſuſcipit D.JCtus, falſiſſimum eſt: nihil ei minùs innotuit quàm monſtroſum iſtud ſacrificium. Utuntur quidem quandoque S.Patres vocabulis *oblationis*, *victimæ*, *ſacrificij*, *ſacerdotum*, *immolationis*, *altaris*, *Miſſæ*, quod Centuriatores Magdeburgenſes & nos cum illis fatemur: ſed nihil minùs hiſce locutionibus quàm Miſſam Papiſticam innuere intendunt. Potiùs ipſis ita loqui placuit 1. *Ut* (liceat uti verbis Cl. Turretini Part.3. Loc 19.quæſt.29.) *Chriſtianæ Religionis decus & S.Cœnæ myſterium extollerent, ut Judæorum & Ethnicorum, qui Chriſtianis, quaſi omni ſacrificio deſtitutis, atheiſmum impingebant, criminationes diluerent, ac teſtarentur, non carere ſacrificio Eccleſiam Chriſtianam, perfectiſſimo illo Chriſti in cruce oblati ſacrificio perpetuo fruentem, ejusq; memoriam in publicis cœtibus, ac precibus in Euchariſtiæ celebratione recolentem. Rurſus ita loquebantur ex præcipuo fine & ſcopo S.Cœnæ, nim. publica ſacrificij Chriſti commemoratione, ubi nihil niſi mors ac oblatio Chriſti in ea repræſentabatur & audiebatur. 3. Ratione precum, hymnorum & aliorum pietatis exercitiorum, quæ ſacrificij nomine apud Scriptores ſacros veniunt, quæ ibi offe-*

 reban-

rebantur, quæ apud Veteres vocantur ἀναίμακτ@ θυσία, ut Christiani dicuntur sacrificare pro salute imperatoris pura mente. 4. *Accedebant ad spiritualia illa sacrificia post secundum à Christo seculum dona & oblationes externæ panis & vini & aliarum rerum, tum in sacri epuli usum, tum in pauperum alimoniam. Ita Patres sæpe hyperbolicè & semper ferè tropice & symbolicè loquuntur juxta illud Augustini lib. contra F. Manichæum c. 20. Hujus sacrificij caro & sanguis ante adventum Christi per victimarum similitudinem promittebatur, in passione per ipsam veritatem reddebatur, post ascensum verò Christi per sacramentum memoriæ celebratur. Postea paulatim obsolescente veritatis doctrinâ & auctis superstitionis & ignorantiæ tenebris, locutiones figuratæ transiverunt in proprias, cœna in sacrificium, sacrificium spirituale in crassum & cruentum, eucharisticum in hilasticum, Pastores in Sacerdotes, mensæ in altaria, & corporis Christi signa portentosâ μεταμορφώσει in ipsum corpus Christi.* Et hæc eadem Centuriatorum de S. Patribus assertio *Centur. 2. & alibi pas.im*, ita ut me magnopere subeat mirari, qua fronte D. JCtus orbi literato persuadere conetur, S. Patres vel fatentibus Centuriatoribus, suum Sacrificium Missaticum communicare: Quàm alieni illi ab eo fuerint, jam olim ex nostratibus demonstrârunt Hospinianus *Hist. Sacr. l. 2.* Albertinus *de Euch. l. 2.* Steinbergius *Anat. Papismi part. 2. c. 6.* & alii, quò brevitatis gratiâ D. JCtum ablegatum volo. *Interim, quàm inanis sit Papicolarum de Patribus jactantia, videat & demonstratum supra cap. 4. num. 49. & seq.*

CAPUT VIII.

De Invocatione Sanctorum.

UT status quæstionis rectè intelligatur, notandum, non quæri; *An Sancti in cœlis cultu & honore sint afficiendi:* Nemo enim Reformatorum hoc negat, & contrarium nobis per calumniam

lumniam à Papicolis affingitur. Quin nos magìs & meliùs ipsos honoramus, quàm Papicolæ, cùm ipsis tribuamus eum, quem Deus, in verbo suo, ipsis vult tribui, honoris cultum; ipsi autem eos, honorem divinum tribuendo, vertant in idola & Dei amicis ad Deum ad zelotypiam provocandum abutantur. Sed quæritur; *An Sancti Dei cultu religioso sint prosequendi.* Papicolæ affirmant: nos negamus, variis moti rationibus.

II. ℵ Quia cultus religiosus soli Deo est deferendus. ***Dominum Deum tuum***, ait ipse Servator noster Matth. 4. 10. *adorabis & illi soli servies.* Confugiet hîc forte D. JCtus ad usitatam Papicolis distinctionem inter cultum *latriæ* & *duliæ*, maximè cùm in textu originali occurrat vox λατρεύειν: verùm frustra: nam 1. hanc distinctionem S. Scriptura ignorat, utpote quæ voce δουλεύειν ad cultum vero Deo debitum designandum, non minùs utitur, quàm voce λατρεύειν. Vide 1. Sam. 7. 3. Psal. 99 1. Es. 60. 12. Ezech. 20. 40. Act. 20. 19. &c. Quid? Papicolæ, dum hac distinctione idololatriæ crimen à se amoliri conantur, eâdem (quod ridiculum) sese magis idololatras profitentur. Evincam hoc evidentissimè. Apostolus Gal. 4. 8. Galatis idololatriam suam ante conversionem demonstraturus, ἐδουλεύσατε, *serviebatis*, ait, *iis, qui naturâ suâ non sunt Dii.* Innuit ergò, eos, qui δουλεύουσι, hoc est, cultum *dulias* exhibent iis, qui naturâ suâ non sunt Dii, esse idololatras. Subsumo jam. *Atqui Pontificij, dum præstant cultum dulias Sanctis, exhibent cultum duliæ iis, qui naturâ non sunt Dii: sunt ergo Pontificij idololatræ.* Adde, occurrere loca, in quibus cultum *duliæ* soli Deo tribuere jubemur, ut 1. Sam. 7. 3. καὶ δουλεύσατε αὐτῷ μόνῳ. 2. Etiam vox λατρεύειν creaturis legitur tributa. Exod. 12. 16. Levit. 28. 21. Deut. 28. 40. In quo posteriori loco Deus Israëlitis minatur, quòd, nisi ipsi in hilaritate cordis servirent, *servituri essent inimicis suis in fame, siti* &c. Καὶ λατρεύσεις τοῖς ἐχθροῖς σου κλ. obtinente jam Papicolarum distinctione, Deus voluit dicere, *eos inimicis suis summum soliq; Deo debitum honorem esse tributuros.* Quis homines non rideat cum sua di-

 stin-

ſtinctione? quam etiam, tanquam ineptam, ex ipſismet Pontificiis traducit Valla *Annotat. in c. 4. Matth.* 3. Diabolus non deſiderat ſibi tribui λατρείαν ſed προσκύνησιν: ταῦτα πάντα σοι δώσω, ait, ἐὰν πεσὼν προσκυνήσῃς μοι: hanc autem ei denegando an non Dominus apertè teſtatur, & προσκύνησιν & λατρείαν ſoli Deo eſſe tribuendam?

III. ג Quia invocatio Sanctorum *præcepto*, *promiſſo* & *exemplo* in verbo Dei deſtituitur. Pertinet ergo ad ἐντάλματα ἀνθρώπων Matth. 15. 9. Agnoſcit hoc haud obſcurè quoad mandatum ipſe Bellarminus, dum *lib. 1. de Beat. Sanct. c. 20.* ait, *præceptum non requiri, quando neceſſitas ipſa non impellit.* Sed quæ illa neceſſitas Bellarmine? Liceat hîc exclamare cum Jeremiâ; *An Jehova minimè eſt Zione? an rex ejus minimè eſt in ea? cur* ergo *irritaverunt me ſculptilibus ſuis* & *vanitatibus alienigenarum?* c. 8. 19. An ergò non amplius hodie obtinet illud DEI mandatum & promiſſum, *Invoca ME tempore anguſtiæ*, & *eripiam te, ut honore afficias ME.* Pſal. 50. 15? Annon valet amplius illud Chriſti; *Venite ad ME omnes, qui fatigati eſtis & onerati, & EGO faciam, ut requieſcatis Matth. 11. 28?* Item, *quicunque invocabit nomen Dei, ſervabitur Joel. 2?*

IV. ד Quia ille eſt invocandus, qui eſt objectum fidei. *Quomodo invocabunt*, ait Paulus Rom. 10. 14. *in quem non crediderint?* Atqui Sancti non ſunt objectum fidei, hoc eſt, in Sanctos non credimus: Ergò etiam ſancti non ſunt invocandi. Ridiculus eſt Bellarminus, dum l. c. excipit, *ibi agi de invocatione, quâ aliquis invocatur, ut Deus:* quaſi verò detur etiam invocatio, qua aliquis invocetur ut non Deus! Alii ad tritam diſtinctiunculam *duliæ* & *latriæ* confugiunt: ſed quàm incaſſum, ſuprà modo eſt demonſtratum.

V. ה Quia ipſi Sancti hunc invocationis honorem, tanquam ſibi non competentem, repudiant. Sic Petrus Cornelio, ſe ad pedes ejus abjicienti, eum cultu religioſo proſecuturo; *Surge*, ait, *& ego ipſe homo ſum.* Act. 10. 26. Similiter Angelus

gelus dicebat Johanni, cùm vellet ei cultum religiosum deferre, *Vide ne facias: sum enim tuus conservus. Adora Deum.* Apoc. 19.10. Novi, quantopere adversarii ad se hinc expediendos æstuent. Quidam, inter quos est Bellarminus, prætendunt, *Petrum ex modestia eum honorem, qui alioqui sibi debebatur, recusasse.* Pariter dicunt alii, *ex modestia Angelum dixisse Johanni, ne fac, sum enim tuus conservus*: quemadmodum more Gallico hodie soleamus dicere, *sum servus Domini.* Cui hæc cachinnum non moveant? Demonstrandum prius fuisset Bellarmino, Wallenburgiis, aliisque, qui hoc lepido effugio utuntur, Petrum, tanquam Piscatorem, Spiritusq; cœlestes ita *in complimentis Gallicis* (i.e. ut Latiniùs efferam, *completis mendis*) versatos fuisse, ut hodiernos Cardinales & Jesuitas! Quid? annon angelus expressè addit, quòd cultus ille soli Deo debeatur? annon angeli ipsa sunt πνεύματα λειτουργικὰ Hebr. 1.10? Alii dicunt, *Cornelium intendisse adorare Petrum, sicut Deum*: at hoc non minus perquàm absonum est effugium: quis enim existimaverit, *Cornelium eò absurditatis processisse, ut habuerit Petrum pro Deo?* Dolendum, quòd nec Johanni nec Cornelio nota fuerit hodierna Papicolorum distinctio inter cultum *duliæ* & *latriæ*: sic enim potuissent adorare & angelum & Petrum sine crimine, dicentes, *adoramus vos non cultu latriæ sed duliæ!* Verùm hactenus nondum innotuerat nova illa Papistarum Theologia, sed apud omnes extra dubium, *unicum duntaxat dari cultum religiosum, eumque soli Deo deberi.*

VI. ☞ Quia invocatio Sanctorum cedit in injuriam Christi. Probo quia ille solus est Mediator noster apud Deum. *Unus* ait Paulus *est Deus, unus etiam Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus.* 1. Tim. 2.5. *Si quis peccaverit*, ait Johañes, 1. c. 2. 2. *Advocatum apud Patrem habemus, Jesum Christum justum.* Si jam ipse solus est Mediator, injuriâ eum afficiunt, quicunq; per alios ad Deum accedere quærunt. Ad hoc demum D. JCtus noster respondet: quid verò, audiamus. Excipit, *hoc argumentum æquè procedere de hominibus adhuc viventibus ac de Sanctis cœlestibus:*

ipsos Reformatorum Pastores, finitis concionibus, sæpius ab auditoribus suis efflagitare, ut pro Magistratu, item pro ægrotis precentur: esse etiam id conforme V. & N. Testamento. Sic Abrahamum debuisse ex mandato Dei orare pro Abimelecho Gen. 20. 7. &c. Sic ipsum Paulum adhortari, ut fiant deprecationes, orationes interpellationes, gratiarum actiones pro quibusvis hominibus 1. Tim. 2. 1. &c. Si autem citra ullam injuriam Mediatoris possumus homines nobiscum in hoc mundo viventes interpellare, ut pro nobis orent, quidni & Sanctos in cælo triumphantes? At misellum hoc est effugium, nam 1. interpellationis viventium in Dei verbo datur mandatum, dantur exempla & promissio, vel te ipso fatente D. JCte: ubi autem invocationis Sanctorum [illegible]tur vel mandatum, vel promissio vel exemplum? ostende vel unicum? 2. Si homines nobiscum degentes de communi suffragio interpellamus, num illos invocamus religiosè? an coram illis in genua procidimus? an in illis fiduciam collocamus? an illis adolemus? absit hoc à nobis! Atqui hoc vos facitis Sanctis cœlestibus: quî ergò hæc sibi correspondent? 3. Si eadem est ratio interpellationis hominum hîc nobiscum degentium ac invocationis Sanctorum, dicat mihi D. JCtus, cur Paulus, cùm Ecclesias à se plantatas toties moneat, ut alii pro aliis preces fundant, nusquam monuerit, ut Sanctos demortuos invocarent? Item cur nec ipse vel B. V. Mariam vel alium Sanctum invocaverit? nimirum Religio Papistica ipsi fuit prorsus ignota! 4. Vivi vivis adsunt & datur inter illos mutua officiorum & necessitatum communio: inter mortuos, & viventes nulla Ecclesi. 9. 6. Es. 63. 16. En ergò quàm accuratè procedas ab interpellatione civili viventium ad invocationem Sanctorum demortuorum religiosam! Intelligis, jam nî fallar! quâ ratione hæc cedat in injuriam Christi, illa verò non. Hæc religiosa & ab ipso prohibita: illa verò civilis, & ab ipso præcepta. 2. Hæc constituit juxta Christum plures Mediatores, ipsique socios in hoc munere affingit: illa verò Christum solum agnoscit pro Mediatore. Num dices forte, à nobis etiam viventes,

ventes, quos de precibus interpellemus, Mediatores constitui? frustra: nam 1. ubi Scriptura, licet sæpe mutuas hominum preces commemoret, unquam docet, homines apud Deum esse Mediatores? 2. Sic tot nobis ferè essent Mediatores, quot fratres. 3. Is demum nuncupandus Mediator, qui intercedit vi meritorum & à quo nobis impetratur remissio peccatorum & salus: at absit, ut hæc tribuamus fidelibus per interpellationem nostram: Ergò nec illos constituimus Mediatores: at tales constituunt Papicolæ Sanctos: volunt enim eos preces nostras Deo præsentare, & vi meritorum suorum impetrare nobis remissionem peccatorum & salutem: quid quæso est Christum injuriâ & contumeliâ afficere, si hoc non est?

* VII. Frustra etiam alii ad loca adducta excipiunt, *agi in illis de Mediatore principali & redemptionis, sed non excludi ministeriales & intercessionis*: nam 1. distinctio ista est ἄγραφος: doceant enim me viri, ubi Scriptura ità distinguat? imò 2. est ἀντίγρα-
φος: declarat enim Scriptura Christum unum Mediatorem, nusquam ei adjungendo secundarios: declarat eum Mediatorem & redemptionis & intercessionis: non disjungit hæc munia, sed conjungit Rom.8.34. Heb.7.25. 1.Joh.2.1.2. Mirum, quòd Domini Jesuitæ etiam non brevi incipiant distinguere *inter Deum primarium & secundarium, inter Creatorem principalem & ministerialem?* Instant, *etiam Mosem vocari Mediatorem* Gal.3.19. At 1 probandum prius viris, verba ἐν χειρὶ μεσίτου referenda esse ad Mosen; cùm optimè referantur ad Christum, consentientibus plerisq; Interpretibus & Græcis & Latinis. Sed 2. referantur ad Mosen, quid tum? sustinuit ille sic non Sanctorum vel Angelorum, sed solius Christi imaginem, qui propterea κρείττονος διαθήκης ἔγγυος καὶ μεσίτης audit *Heb.7.22. 8.6. 9.15. 12.24.*

VIII. Sed conatur interim D. JCtus invocationem Sanctorum probare; quàm bene, videamus. Dicit, *hanc unicè quæstionem esse; An etiam Sancti Dei aliquid de nobis sciant? nam, si nihil sciunt de nobis*, ait, *irrita fuerit invocatio: Si autem sciunt de nobis,*

bis, quis negaverit, ipsorum intercessionem esse efficacem, adeoq; ipsos invocari posse &c. Sed longè hîc aberrat D. JCtus in ipso limine. Duo sunt, quæ hîc quæruntur. 1. *An Sancti res nostras noverint in particulari?* 2. *An, si ita noverint, hinc eos liceat invocare &c?* Pontificii affirmant utrumque: nos negamus. Utrumq; ergò distinctè erat probandum. Audiamus interim argumentantem. Huc redit ipsius argumentatio. *Si Sancti res nostras in particulari noverunt: Ergò licet illos invocare: atqui* &c. *Ergò &c.* Resp. 1. negando Conseq. quæ falsissima est: cùm semper, sive Sancti sciant sive nesciant res nostras, obtineat illud Christi, *Dominum Deum tuum adorabis & ei soli servies* Matth. 4. 10. Item, *Invoca ME tempore angustiæ* &c. Psal. 50. 15. Et quid? si illa consequentia valet, poterit etiam D. JCtus in posterum invocare homines hujus mundi, quibus res ipsius in particulari notæ sunt, maximè cùm juxta ipsum eadem sit ratio interpellationis hominum nobiscum degentium ac invocationis Sanctorum: adeoque, quando interpellat Sacerdotem de precibus, procidet coram ipso in genua, recitabit ipsi rosarium, eriget ipsi altare & imagines &c. ut in Papatu fit Sanctis demortuis. R. 2. negando etiam Assumptum. Congerit quidem ad hoc probandum D. JCtus varia Scripturæ loca; sed planè incassum. Tota ipsius probatio huc redit. *Si Angeli noverunt res nostras in particulari: Ergo etiam Sancti demortui: Atqui &c. Ergo &c.* Assumptum probat: *quia Angeli diu noctuq; hominibus adsunt, ipsorum acta & facta vident & audiunt juxta sequentia Scripturæ loca Gen. 24. 7. & 32. 1. & 48. 16. Exod. 14. 19. & 23. 20. & 33. 2. Psal. 34. 8. & 91. 11. Dan. 10. 21. &c.* Addit, *quemlibet hominum habere peculiarem suum Angelum ex Act. 12. 15. Math. 18. 10. &c.* Probat etiam Consequentiam: *quia Sancti Dei similes sunt Angelis Matth. 22. 30.* &c. At nego nihilominus & Assumptum & Consequentiam. Neutrum probatur: non 1. Assumptum: quia, licet locis allegatis (quamvis non omnibus: nam in quibusdam ut Gen. 48. 16. Exod. 14. 19. & 23. 20. Dan. 10. 21. &c. non est sermo de angelo creato, sed increato,

creato, i.e. Christo, *Angelo illo federis* Mal. 3. 1. ut ex circumstantiis evidentissimè patet) liqueat, Angelos, eò quòd nobiscum versentur, habere quasdam actiones nostras sibi cognitas: non liquet tamen ipsis omnes & quidem semper cognitas esse: multò minus, ipsos intelligere preces, quæ solâ mentis agitatione & cordis affectu continentur. Et dicat mihi D. JCtus, an omnes Angeli res nostras noverint, an quidam tantum? *Prius* dicere non potest: cum *tres ordines supremi, Cherubim, Seraphim & Throni*, ut docent Papicolæ apud Magistrum Sent. l. 2. dist. 10. *ita assistant creatori, ut ad exteriora non exeant*, adeoque nullam cum hominibus conversationem, ex qua tamen juxta ipsum notitiam rerum humanum capiunt, habeant. Si autem *posterius*: cur ergò Papicolæ *omnes* angelos invocant? num dicet forte, *tres ordines inferiores revelare tribus ordinibus mediis & medios tribus superioribus*? at 1. unde probabit tales dari Angelorum ordines? *Thomæ sententia est*, ait Jesuita Becanus l. de Off. Ang. c. 1. *omnes beatos angelos in tres classes seu hierarchias distinctos esse* &c. *At tres esse Angelorum hierarchias, ex Scripturis probari non potest*. 2. Posito, tales dari, unde probabit, ordines ordinibus talia revelare.

IX. Quod addit, cuivis homini adjunctum esse peculiarem Angelum tutelarem, pariter falsum. Locus Act. 12. 15. ὁ ἄγγελος αὐτοῦ ἐστιν, frustra allegatur: nam 1. unde probabit, agi ibi de *angelo* & non de *nuntio*? ut & eadem vox usurpatur *Matth. 11. 10. Luc. 7. 24. 27. & 9. 52. Gal. 4. 14. Jac. 2. 25. &c.* 2. Sed demus, intelligi angelum propriè dictum: nihil tamen inde pro angelo tutelari. Nam 1, qui asserebant esse angelum Petri, non gaudebant infallibilitatis privilegio: imò etiam actu tunc errabant, cùm verè fuerit *Petrus, & non angelus*. 2. Non sequitur inde, Petro unum eundemque Angelum semper fuisse adjunctum, quemadmodum non sequitur, si quis diceret, *Præco Reipublicæ id promulgavit*, unum eundemque semper præconem Reipublicæ adjunctum esse, cùm multi succedentibus vicibus id muneris obeant. Et quid? ipse Lucas expressè meminit ℣. 7. *Angelum*

Domini supervenisse. 3. Si vel maximè Petri custodiæ peculiaris angelus fuisset affixus, dum captivus in carcere tenebatur, quæ quæso inde consequentia ad omnes alios omninò homines? Num ergo eadem illico est ratio custodiæ Dei circa homines impios & vanos, vel etiam fideles in genere, quæ circa tantum Christi Apostolum in carcere attentum, capitalique periculo expositum? Verum est, Christum dicere Matth. 18 10. *angelos parvulorum in cælis διὰ παντὸς intueri faciem Patris cælestis.* At quid hoc ad Angelum custodem, cuivis divinâ destinatione peculiariter adjunctum? Quasi verò, si sermo de ducibus militum & præceptoribus discipulorum sit, sequatur illicò, unumquemq; suum vel ducem vel præceptorem peculiarem habere. Christus utique non dicit, angelum uniuscujusq; ἐκ τούτων τῶν μικρῶν *videre faciem Dei*, sed eos indefinitè in Angelorum tutelâ asservari docet. Quemadmodum Jes. 3. 4. ונתתי נערים שריהם *& dabo pueros principes eorum* (sc. Hierosolymitanorum.) Sannâ utiq; exsibilandus veniret, qui inde colligere vellet, unicuiq; ex Hierosolymitanis assignatum esse perpetuum & peculiarem quendam principem.

X. Falsum est, Apoc. 1. 20. intelligi angelos propriè dictos: intelliguntur per *angelos* pastores Ecclesiarum, ut ex sequentibus evidentissimè liquet: fatetur hoc ipse Bellarminus *lib. 3. de Eccl. c. 9.* Vult etiam de iisdem intelligi locum 1. Cor. 11. ℣. 10. Jesuita Salmero *Disp. 18. in 1. Cor. 11.* Quid si interim darem tibi D. JCte, locis illis sermonem esse de Angelis propriè dictis: si etiam darem tibi, cuivis homini adjunctum esse peculiarem angelum tutelarem: quid quæso inde ad præsentem causam tuam? non enim hinc sequeretur, angelis illis omnes hominum res in particulari esse cognitas: *Nemo enim,* ait Apostolus 1. Cor. 2. 11. *novit, quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui in eo est.* Audi Bellarminum tuum. *Neq; angeli neq; animæ beatæ*, ait is l. 1. de S. Beat c. 20. *etiamsi præsentes sint, possunt cognoscere naturaliter preces nostras, quando sola cogitatione oramus.*

XI.

XI. Sed 2. D. JCte, si concederem etiam tibi hoc tuum Assumptum, salvus tamen non evaderes: cùm non minùs consequentia tui argumenti sit falsissima. Quis enim non rideat istam Consequentiam, *Angeli noverunt res nostras in particulari: Ergo etiam Sancti demortui.* Num ergo Sancti demortui *sunt Spiritus ministratorij, qui ministerij causâ emittuntur propter eos, qui hæredes erunt salutis?* quod Apostolus tribuit Angelis. Hebr. 1. 14. Dicis, Dominum dixisse, *Sanctos fore similes angelis* ℞. non nego: sed si hoc simpliciter esset intelligendum, ubi mansura essent Sanctorum corpora? Doceat itaq; Pontificium Pontificius. *Dominus non comparat*, ait Jesuita Maldonatus in Matth. 22. 30. *beatos angelis, omnibus in rebus, sed in eâ tantum, qua de agebatur; quòd nuptias inituri non essent, ut Hieronymus annotavit, quia nimirum immortales erant, ideoque illis non opus erat nuptiis.*

XII. Quæ addis, vix responsum merentur; audiamus interim præcipua: *Jacobus*, ais, *invocavit angelum* Gen. 48. ℣. 16. ℞. Sed angelum federis, id est, Christum: id quod patet ex prædicatis, quæ ipsi tribuuntur: maximè cùm vocatur *angelus* הגואל *Redemptor*, & quidem מכל הרע, adeoque etiam à peccato, quæ liberatio utique non nisi in Christum cadere potest. Addis, *Johannem precari Ecclesiis pacem à septem spiritibus, qui coram throno Dei sunt.* Apoc. 1. 4. ℞. negando per 7. Spiritus intelligi angelos: collocantur enim in eodem ord ne cum Patre & Filio in invocatione; quod utique spiritibus creatis non convenit: sed intelligitur ipse Sp. Sanctus, qui ità dicitur, quia est *septiformis munere*, & relatè ad septem Ecclesias Asiaticas. Nec obstat, quòd spiritus illi dicantur esse *ante thronum:* cùm & ipse filius *coram throno stare* dicatur, qui tamen & *sedere* legitur *super throno* Apoc. 6. 16.

XIII. Magnam esse dæmonum in rebus humanis scientiam, extra dubium est: at num major, an minor sit scientiâ angelorum bonorum, quis definiat? Nec ad rem quicquam facit,

ut ex iis, quæ suprà diximus, satis patet. Adjungis, *Epulonem in ipso inferno intercessisse pro fratribus suis Luc.16.27: Ergo idem haud dubiè multo magis facere pro fratribus cœlites.* At hoc æquè bellè procedit, ac si dicam: *Dives ille Epulo sublatis oculis vidit Abrahamum: Ergò cœlites multò magis habent oculos*: vel, *Epulo habuit linguam: Ergò magis cœlites*: vel, *Lazarus potuit digitum immittere in aquam: Ergò omnes cœlites.* Quid videtur tibi de his Consequentiis D. JCte? annon cachinno Democritico dignæ? æquè interim bellè procedunt ac tua. Attendendus parabolæ scopus, qui erat nos docere, quòd iis, qui in peccatis moriantur, nullus restet misericordiæ locus, atque hoc argumento homines ab impietate abstrahere &c. Sed castigent Pontificium JCtum Pontificii Theologi: Sunt illi Jesuitæ Mussipotani, Maldonati approbatores. *Non est*, inquiunt in Luc.16.27. *quærendum quo animo dives hæc petierit, qui verè non petÿt, sed quo animo Christus id eum fecisse finxerit. Id paulo supra declaravimus, ut auditores doceret, non esse exspectandum, ut à mortuis doceamur, cùm Mosen & Prophetas habeamus.*

XIV. Dicit certè David Psal. 103 20. *Benedicite Jehovæ angeli ejus, fortes robore, facientes verbum ejus* &c. At si hinc docuit religiosam Angelorum invocationem, docuit etiam adorare omnes creaturas: subjungit enim ℣. 22 *Benedicite Jehovæ omnia opera ejus.* Mirum, quòd D. JCtus cum suis Jesuitis non etiam statuat, Davidem invocâsse propriam suam animam! eadem enim facilitate potest: nam dicit non minùs Psal 104.1. *Benedic Jehovæ anima mea.*

XV. Præcipuus locus, quem Jesuitæ hodie crepant, est Job. 5. 2. *Convertere ad aliquem Sanctorum*: at nihilominus tamen frustra: nam 1. Versio ipsorum est vitiosissima. Ita enim habetur in textu originali אל מי מקדשים תפנה *ad quem Sanctorum vertes te?* 2. Non est sermo de Sanctis cœlestibus, sed de Sanctis hujus vitæ. 3. Non monet Eliphazus Jobum, ut ad aliquem Sanctorum se convertat: addit enim, Sanctos eum non audituros

turos ſive non reſponſuros eſſe: ſed quærit, *ad quem Sanctorum vertes te?* innuens, nullum à Sanctis auxilium adverſus Deum obtineri poſſe. Et quî quæſo Jobo conſilium ad Sanctos confugiendi præberet, cùm ℣.8. expreſsè dicat de ſe, ſi in eodem cum Jobo verſaretur ſtatu; *Ego profecto requirerem Deum fortem & in Deo reponerem cauſam meam.* 4. Et quid? annon Pontificii ſtatuunt, Sanctos, qui debent invocari, debere eſſe in cœlo, ut ſive ex relatione angelorum, ſive ex Speculo Trinitatis, ſive ex Revelationibus Dei eis innoteſcere queant neceſſitates invocantium? Atqui iidem docent, Sanctos V.T. ante adventum Chriſti non fuiſſe receptos in cœlum, ſed latuiſſe in limbo. Ergò ſtultè egiſſet Jobus, ſi ſe convertiſſet ad Sanctos cœleſtes: ſtultè etiam agunt Pontificii, dum ei id affingunt. Audiatur Bellarminus; *quia* ait l.1. de S. Beat. c.19. *ante Chriſti adventum Sancti, qui moriebantur, non intrabant in cœlum, nec Deum videbant, nec cognoſcere poterant preces ordinariè, ideò non fuiſſe conſuetum in V.T. ut diceretur, S. Abrahame ora pro me* &c. (quî ergò Jobus *ſe ad aliquem Sanctorum convertiſſet*, dicendo; *Sancte N. ora pro me?) ſed ſolum orabant homines ejus temporis Deum & allegabant merita Sanctorum, qui jam obierant* &c. quod poſterius probari vellemus à Bellarmino. Mirandum interim, quòd, re ita ſe habente Eliphazus juxta Pontificios dixerit ad Jobum; *convertere ad aliquem Sanctorum*, & non potiùs, *convertere ad Deum, ut juvere Sancti N. meritis.*

XVI. Addis, *ego non cultum exhibeo Sanctis, ſicut Deo: qui aliter credit anathema ſit.* R. הקל קול יעקב והידים ידי עשו Dicas mihi autem 1. *an Sanctos non religioſè adores?* Si non *adoras*: non ſincerus utique es Catholicus Romanus, cùm illi non minùs Sanctos ac ipſum Deum adorent, ut mox ex ipſorum praxi patebit. Caſtigent jam Theologi ſuum JCtum! Facit hoc Jeſuita Maldonatus, dum eorum ſententiam, *qui nullum niſi Deo religionis honorem tribuunt, errorem eſſe* dicit NB *impium & imperitum* in Matth. c.5.34. Facit & Sanderus, dum l.7. de viſi. Monarch.

inter NB *pseudoprophetas & hæreticos & Civitatis Diaboli membra eos* censet *reponendos*, *qui dicunt crucem & imagines Sanctorum non esse adorandas*. Quomodo hæc tibi sapiunt D. JCte? Adde Catechismum Trident. qui p. 3. c. 2. 5. 8. & 9. docet, *Angelos esse à Christianis adorandos*. Si *adoras*: quî scribis, *te non cultum exhibere Sanctis, sicut Deo?* Dicas mihi 2. ubi legatur distinctio cultus religiosi *in supremum*, quô quis colatur *ut Deus*, & *subalternum*, quo quis colatur *ut amicus Dei?* nata est illa nuper in cerebro Monachorum, Dei verbo, utpote quod unicum duntaxat cultum religiosum nobis proponit, prorsus ignota. Et si illa olim innotuisset Israëlitis, colentibus vitulum, potuissent juxta Pontificios salvi evadere, cùm non intenderint ei cultum exhibere *sicut Deo*. Marsil. Ficinus *in arg. l. 4. & 8. de Leg.* ait, *Platonem universam Deorum Synagogam uni subdere Regi, prout vult singulis imperanti, jubere quidem primum Deum propter se adorari, sequentes verò, qui participes ejus Dii quoque dicuntur, amari tanquam illi similiores, honorari etiam ut vicarios, imò & advocari quasi conciliatores*. Vides jam D. JCte, unde Monachi vestri hanc distinctionem suam desumpserint? nempe ex Theologia Gentilium, quorum eadem vox fuit.

XVII. Sed convincamus & confundamus JCtum per propriam Ecclesiæ R. praxin. In libello S. Antonii p. 84. sic precantur Catholici tui. **O JEsu / Maria / Anna / nicht verstosset mich Elenden von eurem Angesicht / weil ich so demüthig die Hülff eurer Vorbitt anruffe. Ich befehle euch meine Seele O JEsu / Maria / Anna / ich opffere euch mein Leib O JEsu / Maria / Aña / ich schencke euch mein Hertz** &c. Quæso te D. JCte, quid hîc D. JEsu tribuitur præ Maria & Aña? an hoc non est Sanctos colere *sicut Christum?* Porrò *in Hortul. Anim.* Sanctum, cui quis devotione se magìs obstrinxerit, jubentur itâ invocare; *O Gloriosissime Sancte, vel Sancta N. singularem in te, dum viverem, spem & confidentiam semper reposui. succurre nunc mihi in hoc extremo necessitatis articulo laboranti*. Vides jam,

in

in quo Catholici tui spem & fiduciam suam collocent? in Sanctis non minùs ac in Deo. Audi, quàm & devoti sint in Angelum suum tutelarem, *juxt. Offic. B. V. ad us. Rom.*

Angele, qui meus es custos pietate supernâ,
Me tibi commissum SALVA, defende, guberna:
Terge meam mentem vitiis & labe fluentem,
Assiduusq; precor, mihi sis, relevesq; cadentem.

Et porrò ex Exerc. Christ. piet. p. 132. *Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna, hac nocte illumina, custodi, rege & guberna.* Auxerunt nuper Jesuitę hanc Catholicorũ devotionem novo ad ang. custodem Cantico (*in Psal. Cant. Cath. p. 98.*) cujus ult. versiculus (omnia enim adscribere intenta à nobis brevitas prohibet) itâ habet. *Hanc animam tremendo cùm sistam judici, Tibi, præses, commendo, illi tu subveni. O angele mi custos, migrantem tollito, & lætus inter justos ad dextram ponito.* Miretur cœlum & stupeat terra hanc hominum impietatem! O Sancte David & Stephane, qui morituri animas vestras in manus solius Dei commendâstis, quid reviviscentes non essetis dicturi de novâ hac Jesuitarum Theologiâ?

XVIII. Sed ad cultum B. V. Mariæ si descendamus, quid dicemus? quem enim latet, non modo titulos divinos, sed & cultum divinum & internum & externum ei exhiberi? Dicit Lipsius, *se vota sua concepisse DEÆ Hallensi, se precibus & votis ad eam ivisse:* approbant hoc Archiepiscopi, Mechliniensis & Cameracensis *vide Virg. Hallens. Lipsii sub fin. Apportari quàm celerrimè,* ait Papa Leo X apud Bemb. Ep lib. 8. Ep. 17. *jubeatis illud lignum Lauretam, ut, quæ jam cæpta sunt fieri, non intermittantur, ne tum nos, tum etiam DEAM ipsam inani lignorum inutilium donatione lusisse videamini.* Habent ergò Catholici tui jam Deum & Deam. Quò autem se vertunt? an ad Patrem, an verò ad Matrem? *Confugimus*, inquit Biel in Can. Miss. lect. 8. *primo ad B. Virg., cælorum reginam, cui Rex Regum, Pater cælestis dimidium Regni sui dedit. Quod significatum est in Esther Regina, quæ cùm ad placandum Assuerum Regem*

gem accessisset, dixit ei Rex, etiamsi dimidiam partem Regni mei petieris, dabitur tibi. Sic Pater cœlestis cùm habeat justitiam & misericordiam, tanquam potiora regni sui bona, justitiâ sibi retentâ, NB misericordiam matri virgini concessit. Hinc & Franciscus de Mendoza *Viridar. lib. 2. probl. 2.* ad problema, *utrum utilius sit* J*Esu nomen implorare, an Mariæ?* ita respondere non erubescit. *Esto! major sit Christi quàm Virginis apud Deum gratia! & auctoritas, tamen dico B. Virginem nonnunquam faciliùs moveri nostris precibus quàm Christum, proinde præsentius nobis esse aliquando matris quàm filij patrocinium. Ab hac sententia stat auctoritas, stat ratio, stat experimentum.* Approbant hanc impietatem & alii Jesuitæ, sedulam curam gerentes, ne filius matri præferatur. Audiatur jam tantum Scribanius Jesuita Antuerpiensis *in Amphitheatr. honor. cap. ult.*

Positus in medio, quò me vertam nescio.
Hæreo lac inter meditans interq; cruorem
Inter delicias uberis & lateris.
Et dico (si forte oculos super ubera tendo)
Diva parens mammæ gaudia posco tuæ.
Sed dico (si deinde oculos in vulnera verto)
O J*esu, lateris gaudia malo tui.*
Rem scio, prensabo, si fas erit, ubera dextrâ,
Lævâ prensabo vulnera, si dabitur.
Lac matris miscere volo cum sanguine Nati,
Non possum Antidoto nobiliore frui.

En devotionem Jesuiticam! dextrâ ubera Mariæ, sinistrâ autem vulnera Jesu prensant! cui ipsorum Religio non arrideat? Hinc ipsis *(in Catechis. Canisii) est mater misericordiæ, vita, dulcedo & salus omnium in ipsa sperantium.* Et in Brev. Rom. *Tu es spes unica peccatorum, per te speramus delictorum veniam, & in te beatissima nostrorum est exspectatio præmiorum.* Hinc devotæ illæ precatiunculæ *(in Exerc. Christ. piet. p. 38.) Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, in hora mortis suscipe.* Item pag. 21. *Gloriosa*

mater

mater Dei & regina cæli, patrona mea singularis, commendo me hodie maternæ pietati tuæ &c. Observa, quòd Maria Jesuitis non tantùm *mediatrix*, sed etiam *datrix gratiæ & gloriæ sit*, non minùs ac ipse Deus & Christus: liquet id ex dictis: liquet etiam ex hac Jesuitæ Costeri in Hymn. *Ave maris stella* Meditatione, *Solve Domina nostra vincula reis, solve precibus, solve meritis, solve auctoritate, solve imperio* &c. Porro *Omnia potes in cælo ac in terra.* Quis talia sine mentis horrore audiat? Quid? præfert longè Christo Mariam Papatus! ne dicas me calumniari; audi tuum Costerum porrò *ibid. Quid enim est, Matrem esse Dei? Mater causa est Filii: mater superior est Filio, matri debetur honor à Filio, matri tenetur morem gerere Filius.* Costero assentitur ille suprà citatus, qui dextram ad *Mammas*, sinistram autem ad *vulnera* extendit. Liquet id etiam ex Rosariis, in quibus, decem granula adhibentur Mariæ, undecimum tantum datur Christo. Jesuitæ si hodie hac super re interrogentur, respondent, *se honorare matrem ac filium, dum eam, ut pro nobis apud Filium intercedat, precentur:* sed ego respondeo, ipsos Filium afficere ignominiâ: dixit enim, *Venite ad me* Matth. 11. 28. non verò, *ite ad matrem meam.* Item, *quicquid petieritis in nomine meo, hoc faciam* Joh. 14. 13. non autem, *quicquid petieritis in nomine matris meæ.* Et quid non ipsa beatissima Virgo dictura esset, si cucullatos vestros socienos cum magnis suis Rosariis, vel in templis sedentes vel per plateas itantes videret, si perciperet, sibi templa exstrui, altaria erigi, thus adoleri, vota nuncupari &c. annon idem, quod olim Paulus & Barnabas ad Lystrenses, cùm vellent ipsis sacrificare, *Viri* (Papistæ) *cur ita facitis? Ego quoq; homo sum.* Act. 14. 15. Dixit ipsa sanctissima Virgo in Cana Galilææ, *facite, quæcunq; vobis dixerit* (Christus) nos obediemus huic sanctissimo ipsius monito: quid autem dixit Christus? *venite ad me.* Eant ergò Papistæ ad Mariam: nos ex voto Mariæ ad Christum ibimus.

XIX. Sed quid opus multis? Fatetur ipse Cassander vester *art. 21. consult.* quòd *Christus, etiam jam in cælo regnans, matri*

 subji-

subjiciatur: cum orent Catholici, *ut se Matrem esse monstret, matrisque jure imperet. Breviar. Rom. & Offic. Mar.* Quin jam eò deventum, ut videantur Monachi ei soli thronum tribuere. Docet hinc Jesuita Cusanus *Discipl. Christ. part. 2. c. 2* homines manè surgentes ità precari; **O Himmels Königin Maria/ beschütze und beschirme mich für der höllischen Schlangen/ deren Kopff du zerknirschet hast.** Hinc & illa devota oratio, (quam ipse Papa Sixtus confecit & ad quam undecim millia annorum indulgentias dedit.)

O Regina poli, mater gratissima proli,
Spernere me noli, commendo me tibi soli.

Ne tamen Deus excludatur, sed devoti Catholici spem suam ac fiduciam pariter in Deo ac Sanctis collocare discant, sic nuper Colonienses in libello quem inscribunt **kleiner Seelen-Schatz/** rhytmum instituerunt.

O Mutter GOttes/ Jungfrau rein/
Kein Trost hab ich dann Gott/ dich und S. Anna allein.

Quid videtur jam D. JCte, num adhuc dices *Catholicos tuos non exhibere Sanctis cultum sicut Deo?* non crediderim. Ut interim tibi omne dubium adimatur, perlege quæso parumper Psalterium Mariæ, à Bonaventurâ vestro (deinceps à Papa in Album Sanctorum relato) concinnatum, ibi, quicquid David aliique Sancti homines Deo Patri & Christo attribuunt vel à Deo petunt, Mariæ ab ipso adaptatum invenies. Ex. Gr. Psal. 30. *In te Domina speravi, non confundar in æternum: in gratia tua suscipe me. Tu es fortitudo & refugium meum: consolatio mea & protectio mea.* Psal. 50. *Miserere mei Domina, quæ mater misericordiæ nuncuparis, & secundum viscera misericordiarum tuarum munda me ab omnibus iniquitatibus meis* &c. Sic per totum Psalterium. Hem papatum horrendum! an hoc non est furari creatori honorem & in creaturam transferre? & tamen Papa non dubitavit Minoritam illum inter Sanctos referre! conqueritur è medio Papatus de hac blasphemia Cassander *Consult. de Intercess. S.* at quærit eam nihi-

nihilominus defendere Jesuita Forerus *Antiq. Papat. lib. 7. c. 6.* Eat jam D JCtus & amplius dicat, *Papistas Sanctos cultu divino non afficere!* Audiat interim suum Vivem rem ingenuè fatentem, dum in Aug. de C D. l. 8. c. 27. ait, multos *Christianos divos divasq; non aliter venerari quàm Deum, nec videre se in multis, quod sit discrimen inter eorum opinionem de Sanctis & quod Gentiles putabant de Dijs suis.* Vide jam D. JCte, quos tangat tuum suprà emissi anathematis fulmen, nempe Papas tuos & Papistas!

XX. Adde interim Catholicorum tuorum in colendis Sanctis mirabilitatem: Colunt enim Sanctos, qui nunquam fuerunt in rerum natura. Agnoscit hoc liberè Cassander vester *Consult. art. 21.* dum indignabundus arguit, quòd *veteribus & compertis Sanctis propemodum neglectis, novos & incognitos vulgus hominum ardentiùs & impensiùs colat, de quorum sanctitate obscuriùs constat.* Addit, *in Sanctorum historiis commemorari illos, qui an unquam fuerint, meritò dubitetur.* Tales sunt *S. Ursula cum suo fœmineo comitatu undecies mille Virginum, Tres Reges, S. Catharina, S. Christophorus, S. Georgius, S. Longinus, S. Martialis, S. Petronella, S. Veronica, S. Hippolytus, S. Margaretha, Septem dormientes* &c. Nisi tu forte dicere queas, ubi & quando hi Sancti vixerint. Provocabis forte ad *Legendam* vestram *auream*: at illa est *Lügenda* verè *plumbea* (liceat in re barbara βαρβαρίζειν) tot mendaciis referta: quot portandis vester Christophorus magnus (si unquam extitisset) vix suffecisset. Ne me mendacii postules, audi vestrum Melchiorem Canum. *In illa* (leg. aurea) ait is lib. 2. Loc. Theol. *miraculorum monstra sæpius legas, quam vera miracula. Hanc homo scripsit ferrei oris, plumbei cordis, animi certè parùm severi & prudentis.* Ubi autem eorum apud Historicos fide dignos vel minima mentio? Quid? ipse Baronius vester *in Martyrolog. Rom. ad 23. Apr. & 25. Jul.* & Villavincentius *l. 3. de stud. Theol. c. 7.* S. Georgium & Christophorum habent *pro Non-entibus*, & interim tamen boni Catholici eos devotè invocant **Bitt für uns** inquiunt *in hort. Anim. Lugdun.*) **heiliger Herr S. Christoffel / daß**

daß wir würdig werden der Verheissung Christi. Audiantur & versus, quos non sine pudore suo fatetur Molanus *de Pictur. sacr. c. 27.* statuis ejus adscriptos;

Christophore Sancte, virtutes sunt tibi tantæ,
Qui te mane vident, nocturno tempore rident.
Christophori Sancti speciem quicunque tuetur,
Ista nempe die non morte mala morietur.

XXI. Colitis præterea Sanctos non-Sanctos, id est, homines, qui fuerunt à verâ sanctitate alienissimi: Talium haud parvus datur numerus: videamus autem brevitatis gratiâ jam duos tantùm, (vobis Sanctissimos,) Dominicum Calaguritanum & Franciscum Assissensem, illum Dominicanorum, hunc Franciscanorum Patronum. Quantæ hi ambo fuerint sanctitatis, colligere liceat ex ipsorum effectibus. Sæviit Dominicus adeò in Waldenses & Albigenses, pios Christi servos, ut quicquid posset mali excogitare, illis inferre non dubitaverit: in quibus se dignum præstitit illo somnio, quod Legendæ ejus matri prægnanti contigisse referunt: somniâsse nimirum eam, *se catulum gestare utero ardentem in ore faculam bajulantem, qui egressus ex utero totam mundi machinam incenderit.* Revera enim igne & sanguine omnia miscuit barbarie plusquam Scythicâ in pios illos sæviendo. In miraculis quantus fuerit, liquet non minùs ex ipsius Legenda, à S. Antonio & Jacobo de Voragine scriptâ. Referunt. *S. Dominicum aliquando coëgisse diabolum ad tenendam sibi candelam: cùm autem illa fuerit consumpta ad manum usque diaboli, diabolum ustum miserabiliter ululâsse.* Addunt, *S. Dominicum aliquando confricâsse femur puellæ unguento, quod habuerit abditum sub veste. Hac autem confricatione cùm puella summopere delectaretur, petiisse à Viro sancto, quodnam esse hoc unguentum: illum verò respondisse, esse unguentum amoris.* En viri sanctitatem! quâ etiam eum invenisse Rosaria vult Spondanus, Baronii Epitomator *ann. 12. 13. n. 28.* De Francisco referunt, *concionatum eum fuisse avibus, easque ut sorores suas compellâsse: Formâsse sibi uxorem de nive,*

nive, quam nudus fuerit complexus ad restinguendam carnis libidinem: recollegisse lapsos de veste pediculos, & ex commiseratione in innocentes bestiolas reposuisse: volvisse se in luto cum porcis & se virgis diverberâsse dicendo, Euge frater Asine! Quantus jam hic Franciscus vester Sanctus fuerit, tu ipse judicaveris D. JCte: Num etiam ipse Diogenes Cynicus (cui cæteroquin non multùm dissimilis fuit) ejusmodi nugas mundo commonstravit? Ne me dicas calumniari, audi vestrum Canum, Episc. Canariensem. *Dolenter*, ait is Loc. Th. l. 11. c. 6. *hoc dico, potiùs quàm contumeliosè, multò à Laërtio severiùs vitas Philosophorum scriptas, quàm à Christianis vitas Sanctorum.* Et Paulo pòst. *Ecquis enim credat, D. Franciscum pediculos semel excussos in seipsum solitum esse immittere?* &c. *Illud item quàm ridiculum, Diabolum Dominico Patri nostro, semel obstrepentem, à Divo esse coactum, ut lucernam haberet in manibus, quoad illa assumpta non molestiam solùm, sed incredibilem dolorem etiam afferret?* Credunt interim firmissimè boni Catholici: Sunt ipsis mera Evangelia, quæ in Legendis occurrunt. Quin, cùm Legenda Francisci referat, Seraphinum quendam ejus manibus, pedibus & lateri quinque Christi vulnera impressisse (& quidem *in mente Alvernæ, cum quadragesimam ad honorem S. Archangeli Michaëlis jejunare cæpisset*, ut addit Bonaventura *in sua Francisci Legenda cap. 13.*) non verentur eum salutare JESUM *TYPICUM*, imò dicere, *Franciscum esse quodammodo ipsum Deum* (sic enim loquuntur Rhetores Collegii Porcensis *Orat. 16. p. 547.*) Audi, quàm bellè Jesuita Tursellinus apud Possevinum *Biblioth. select. 17.* Jesum & Franciscum inter se componat!

Exue Franciscum tunicâ laceroq; cucullo,
Qui Franciscus erat, jam tibi Christus erit.
Francisci exuviis (si qua licet) indue Christum,
Jam Franciscus erit, qui modò Christus erat.

En accuratam Jesu & Francisci compositionem! nihil discriminis Jesuita inter eos reperit præter vestis colorem & formam! *Mirare cælum, stupe terra!*

XXII. Non parùm interim boni Cathol. Papæ suo sunt obligati, quòd tam largum in canonizandis Sanctis se voluerit præbere: sic enim juvare nolente uno, alter forte juvat devotè invocatus. Præterea prudenter quibusvis rebus suum certum assignavit Patronum, ne forte oriatur confusio: Sic ordinavit contra morbos gutturis *S. Blasium*, contra Febrim *Petronellam*, contra dentium dolores *Apolloniam*, contra canis morbidi morsum *Hubertum*, contra oculorum vitia *Ottiliam*, contra Pestem *Sebastianum & Rochum* (huic posteriori tamen, Rocho nimirum, quem meo apud ipsos studiorum tempore Catholici devotè ad avertendam pestem invocabant, erecto ei templo, altari & imagine, quemque etiam Veneti peculiari devotione colunt, ut videre est *in Calend. perpet. Dominici Veglensis*, hodie controversiam movent: negantes, eum esse canonizatum, Castellinus *de dilat. Canonizat. Sanct. p. 81.* Gavantus *in thesaur. Rituum tom. 2. p. 7.* Barbosa *in Collectan. ad bullar. in voce Rochus.*) contra cancrum *Martinum* &c. Sic non minùs regionibus, civitatibus, Episcopatibus & artibus suos destinavit Patronos, quos omnes si hîc recensere vellem, quando finis sperandus? *Videatur interim præter alios Molanus de pictur. sacr.* Sed duo sunt, quæ, antequam ulterius progrediar, doceri velim à D. JCto. Nim. 1. Quî Papa, qui de sua ipsius salute certus esse nequit (fatentibus ultro Papistis & profitentibus, varios Papas damnatos) de eorum, quos canonizat, salute certus esse queat? Vereor ne multi scribantur ab ipso *in sanctorum Albo*, qui in arcano Dei consilio descripti sint *in Reproborum Nigro.* Vereor ne ad multos Papicolæ *suum MISERERE* dirigant, qui ipsi cum Epulone Luc. 16 in inferno *æternum MISERERE* clament. Vereor multos esse, ad quorum imagines *ardent* cerei, qui ipsi *ardeant* in orco. Sed 2. dignetur me D. JCtus erudire, cur præcisè contra pestem sit invocandus *S. Sebastianus*, contra febrim *S. Petronella*, contra odontalgiam *S. Apollonia* &c. Cur non potiùs Petronella contra pestem & Sebastianus contra febrim &c. Responderunt nobis

non

non ita pridem Jesuitæ, *S. Sebastianum in peste potissimum invocari, eò quòd peste ipse laborâsse credatur, & S. Apolloniæ intercessionem contra dentium dolorem expeti, quòd in martyrio dentium excussionem sustinuerit* &c. Egregiè, scilicet! At 1. unde probabunt Domini, Sebastianum laborâsse peste, & Apolloniam dentium excussionem sustinuisse? 2. Posito, hoc verum esse, unde demonstrabunt, illos adhuc harum passionum memores esse. 3. Posito, & hoc verum esse, unde ipsis constat, Sanctos illos hinc propensiores esse in his morbis juvare quàm alios? 4. Dicant mihi, si res ita se habet, cur ergo pro equis invocetur *S. Euligius*, pro bobus *S. Pelagius*, pro canibus *S. Hubertus*, pro ovibus *S. VVandlinus*, pro porcis *S. Antonius*, pro anseribus *S. Feriolus*, pro Gallinis *S. Gallus*, pro muribus & gliribus *S. Udalricus*? &c. Forte, quia S. Antonius porcos, S. Wandlinus oves, S. Feriolus anseres pavit &c. aut quia S. Gallus diligenter attendit ad gallinas. Miror, quòd S. Franciscus à Papa avibus, utpote quæ (ut supra audivimus) ad ipsum concionantem audiendum, convolârant, non fuerit præfectus. S. Crispinum præsidere Sutoribus quis miretur? *Creditur enim corium clepsisse, & hominibus calceos gratis dedisse.*

XXIII. Conatur jam D. JCtus nobis extorquere aliquot Scripturæ loca: quàm feliciter, videamus: prior occurrit Jobi 14.21. *Si augeantur filij sui, ignorat* (pater mortuus) *sin diminuantur, non intelligit* hoc *de illis*. Si jam parentes ignorant, quid circa prolem à se procreatam agatur, quo modo mortui vivorum rebus atque artibus cognoscendis adjuvandisque miscentur? Excipit D. JCtus, *hoc non intelligendum esse de anima, sed de corpore*. Itáne D. JCte? num ergò scientia & intelligentia, quam hîc homini mortuo denegat Jobus, in corpus cadit? Addis, ipsum dicere ℣. 14. *Hominem mortuum non revicturum esse: hoc autem verum tantum esse respectu corporis: cùm anima non moriatur* &c. Bene se habet! Ergò illud è contrario verum est respectu animæ, cùm corpus etiam dum homo vivit, per se nec sciat nec intelligat. Si igitur intelligentia ne quidem in corpus vivum

cadat,

cadat, quî Jobus mortuo denegaverit? Cæterùm cùm David ait, *in morte non esse recordationem Dei* Psal. 6. 6. *& mortuos non laudare Dominum* Psal. 115. 17. intelligit laudem, quæ ipsi debetur in Ecclesiâ militante à fidelibus in communione Sanctorum, ad quam *ipse adspirabat, ut cervus ad alveos aquarum* Psal. 42. 2. Alter locus occurrit Jes. 64. 2. כי אתה אבינו כי אברהם לא ידענו וישראל לא יכירנו. *Tu enim Pater noster es: nam Abraham ignorat nos, & Israël non novit nos.* Excipis, à Junio & Tremellio hæc verbi ità reddi: *Tu enim Pater noster es, quamvis Abraham nesciturus nos, & Israël non agniturus esset nos.* Novi D. JCte: at quid inde contra nos? quibus nôsti nullam versionem esse authenticam, sed solum Textum Hebræum & Græcum Vet. & N. T. Aut interim Junii & Tremelli versio est bona aut vitiosa? si *vitiosa:* cur eam approbas? si *bona:* cur Vulgata vestra, vobis authentica, abit, vertens: *Tu enim Pater noster, & Abraham nescivit nos, & Israël ignoravit nos?* Audi Augustinum. *Esaias Propheta*, ait ille de Cur. pro mort. c. 13. *dicit, tu es enim Pater noster, quia Abraham nescivit & Israël non cognovit nos. Si tanti Patriarchæ, quid erga populum ex his procreatum ageretur, ignorarunt, quibus Deo credentibus populus ipse de ipsorum stirpe promissus est, quomodo mortui suorum rebus atq; actibus cognoscendibus adjuvandisq; miscentur?* auditis Papicolæ?

XXIV. Audite autem porrò, quò per vestram Sanctorum invocationem absurditatis delabamini: Attribuitis Sanctis, corde eos invocando, cordium scrutationem, quæ est solius Dei propria. *Tu enim*, ait Salomo 1. Reg. 8. 39. *nôsti SOLUS animum omnium filiorum hominis.* Præterea constituitis eos omnipræsentes, quæ est alia Dei proprietas. Tu invocas S. Sebastianum in *Germania*, alius in *Gallia*, alius in *Helvetia*, alius in *Italia* & sic porrò per orbem: Si omnes se invocantes audit, quid superest Deo? quid? Sunt, qui expressè docent, *Sanctorum animas, sicut etiam angelos, mira quadam celeritate naturæ quodammodo esse ubique & per se audire preces supplicantium. Vide Bellarm. l. 1. de S. Beat. cap. 20.*

XXV.

XXV. Alii hîc proponunt, nescio quod, Deitatis speculum, in quo pertendunt Sanctos videre preces ad se directas: at unde hoc speculum? non ex Scriptura, sed ex vanâ Monachorum speculatione, qui interim de speculi hujus glacie adhuc litigant. Quidam, inter quos est Jesuita Bailius *in Catech. Burgdelanensi*, volunt, *Sanctos in Dei essentia tanquam in speculo videre omnia*, cui etiam assentiuntur alii apud Durandum *4. sent. d. 49. q. 3.* Sed hos refutat Thomas *1. p. q. 57. art. 5.* dicens, *non OMNIA, nec æqualiter OMNES videre, sed secundum quod Deus eis voluerit revelare & officiis eorum congruit.* Thomæ assentitur Valentianus & præter alia argumenta, hunc Scripturæ locum opponit, Marc. c. 13. *de die illa nemo scit, neq; angeli in cælo.* Admodum congruè. Si enim angeli, qui tamen faciem Dei semper vident, non nôrunt diem judicii, quî dici possunt videre omnia? Utitur eodem hoc argumento Durandus *lib. 4. sent. dist. 49.* Addit. *Si nesciant diem judicii, eadem ratione multa alia nescire, licet videant essentiam divinam.* Si autem quædam tantum vident, qua certitudine Pontificii invocaverint Sanctos? annon enim ut fide ac cum certitudine precari queant, ipsis non duntaxat credendum, *Sanctos quædam*, sed *omnia scire?* Dicat interim mihi D. JCtus, num Patres V. T. ante adventum Christi hoc speculum inspexerint, an verò non? *Prius* dicere non potest, quia statuit *mortuos ante Christi adventum non intrasse cælum, nec vidisse Deum.* Si autem *posterius:* quî Papicolæ, nixi testimoniis Vet. Test. urgent intercessionem Sanctorum? quî docent, Eliphazum suasisse Jobo cap. 5. 1. *ut se converteret ad aliquem Sanctorum?* En speculum Papisticum! ex quo non Sanctorum scientia, sed Papistarum elucet absurditas, quodque ex ipsis Pontificiis ridet & ex professo fusè impugnat Vasquez *Disput. 50. c. 4. & 5.* ut nos hoc labore supersedere queamus. Quin ipse Bellarminus hanc sententiam, etsi Gregorio & Cajetano tribuat, probabilem duntaxat censet *l. c. c. 20.*

XXVI. Alii docent, *Sanctos cognoscere preces ex relatione*

Angelorum: at ubi idem docet Scriptura? Verum est Luc.15.20. legi, quòd *angeli in cœlo super uno peccatore resipiscente gaudeant*: at 1 posito, angelos scire omnia nostra negotia & preces, quæ quæso ab illis ad sanctas animas consequentia? num hæ mittuntur ad custodiendam Dei Ecclesiam, ut angelos mitti Paulus docet Heb. 1.? 2. falsissimum est, angelos omnia nostra negotia, in primis preces mente conceptas scire: *si sciunt peccatoris alicujus resipiscentiam: Ergo nôrunt omnia nostra negotia, etiam preces cordis*, quæ consequentia Papicolæ? num à notitia unius rei rectè concluditur ad notitiam omnium? Jesuita Elffius *lib c. p. 400.* vult, hanc relationem potissimùm fieri ab angelo tutelari: *eum enim, si quis invocet v. gr. S. Petrum, statim conscendere cælum, & S. Petro dicere*; **Siehe S. Petre / mein Schutz-Kind begehrt / daß du solst für ihn bitten.** At quis has nugas Jesuiticas non rideat? Probet nobis 1. D. Elffius, dari ejusmodi angelos tutelares. Probet 2. suis Papicolis apud Magistrum *sent. l. 2. d. 10*, illos immediatè conscendere cœlum. Probet 3. Bellarmino, Angelos ejus, qui cogitatione orat, preces cognoscere. *Neq; angeli, neq; animæ beatæ*, ait l. c. *etiamsi præsentes sint, possunt cognoscere naturaliter preces nostras, quando sola cogitatione oramus.* Probet tum 4. Angelo tutelari libitum esse semper ascendere & Petro revelare: quid si invocaret alium Sanctum, Angelo jam ad Petrum profecto, quis tum illi Sancto revelaret? aut si invocaret simul omnes Sanctos? an tum angelus custos ab uno ad alium cursitabit, ipsi hoc relaturus? an verò simul omnibus aderit? Docet verò Thomas, Doctor vester Angelicus *p. 1. q. 52. a. 2.* quòd *angelus non est ubiq;, nec omnibus in locis, sed in uno loco tantum.*

XXVII. Alii volunt, preces nostras Sanctis ab ipso Deo revelari. Sic Bellarminus: sic non pauci alii. Hinc & D. Elffius l.c. pergit. **Es weiß es auch der H. Petrus durch GOtt: dann wann du sagest / H. Petre bitt für mich / das hört GOtt / und sagst dem S. Petro / der Mensch begehrt / du solst bey mir für ihn bitten.** En Jesuitarum Theologiam, instar

ftar rotæ volubilem! Docuerunt hactenus, per Sanctos esse adeundum Deum: jam verò docent, per Deum esse adeundos Sanctos. Jam imposterum si Papicola invocaverit in dolore dentium S. Apolloniam; licet ad raucedinem usque clamaverit, S. Apollonia ipsum tamen non audiet: tandem autem revelabit ei Deus & dicet, *O S. Apollonia, Jesuita vel Monachus ille, gravissimis dentium doloribus vexatus te perquam devotè invocat, ut pro se apud me intercedas: quod tibi dictum volo, ut me roges, visurum deinceps, quid acturus sim.* Tollunt autem sic Domini isti, quod aliàs ponunt. *Invocandi sunt Sancti*, ait Bonaventura in 4. d. 45. *propter nostram inopiam in contemplando, ut qui non possumus aspicere summam lucem in se. Et propter Dei reverentiam: ut peccator, qui Deum offendit, quasi non audeat Deum in propriâ persona adire, sed amicorum patrocinium implorare.* Eadem est & hodie adhuc Jesuitarum cantilena: Si autem preces nostræ Sancto invocato à Deo revelantur, quî peccator non priùs accedit Deum quàm Sanctum? Mirum, nî D. Jesuitæ brevi incipiant Litanias suas reformare & loco *miserere nobis* dicere, *Sancte Deus ora pro nobis apud S. Sebastianum, S. Ursulam* &c. Dicunt viri, *Deum Sanctis hujus vitæ multa arcana revelâsse 1. Sam. 9. 19. 1. Reg. 5. 26. Act. 5. 3.* &c. *Ergo multo magis id facturum cœlestibus*: at dico ego 1. istam revelationem fuisse extraordinariam, à quâ ad ordinariam quæ consequentia? 2. factam esse quibusdam tantùm: quæ ergò si fieret cœlestibus, quid pro Papicolis, qui invocant omnes Sanctos? 3. Revelata ipsis esse quædam tantum: (Ignorabat enim Elisæus causam doloris mulieris ad se accedentis) Ergò non *omnia*: Si autem non omnia: quî Papicolæ volunt, Sanctis omnes necessitates nostras patere? Addunt viri, *Sanctos defunctos majori nunc esse præditos charitate, Ergò illos jam magis à nobis invocari velle.* At addo ego per retorsionem: *Ergò illos jam multo minùs velle à nobis invocari*, ut quibus jam perfectiùs constat, non creaturæ, sed soli creatori hunc honorem competere.

XXVIII. Provoçat jam D. JCtus ad antiquitatem, nobis

bis persuadere volens, hanc Sanctorum invocationem primis etiam quinque seculis ità in Ecclesia Catholicâ obtinuisse: at miror, quî Vir ille non erubescat talia scribere. Nominet ergo nobis aliquem ex primo seculo, qui Sanctos invocaverit, aut invocandos docuerit? nullum nominare potuit. Progreditur ergò ad seculum secundum & adducit unicum Irenæum, olim ità l.5. locutum. *Sicut illa (Eva) seducta est, ut effugeret Deum, sic hæc (Maria) suasa est obedire Deo, uti virginis Ævæ Virgo Maria fieret advocata.* En eximiam probationem! num ergo Eva, in initio mundi vivens, invocavit Mariam, post aliquot annorum millia victuram? an vox παράκλητος, quæ in codice Græco occurrit, semper *advocatum* vel *advocatam* denotat? añon potiùs *consolatorem?* Ut audias, quàm injurius sis in Irenæū, audi ipsum Irenæum in eod. l. c. 5. c. 22. *Huic soli* (Christo) *servire oportet discipulos Christi* &c. Audi &, quàm tibi faveant Centuriatores, ad quos toties provocas. *Consuetudinis*, inquiunt Cent. 2. c. 4. *invocandi Sanctos in doctoribus hujus seculi* (secundi) *vestigia omnino nulla conspiciuntur.*

XXIX. Seculo tertio quid docuerit Ecclesia, disce ex ipso, quem citas, Origene. Lib. 7. contr. Cell. ait, *Christianos recusare colere quicquam præter Deum.* Et l. 8. *Non distrahitur* (pergit) *ipse* Christianus *à Deo, ut aliud colat simul cum eo.* Et porrò. *Cavemus, ne cui præter Deum serviamus.* Et paulo post. *Soli preces offerendæ unigenito Dei verbo* &c. En quàm vobis faveat Origenes! Legitur quidem dixisse Homil. 1. in Ezech. *Veni angele, suscipe sermonem* &c. At probandum prius homilias illas esse Origenis: contrarium multis rationibus evincit Cl. Rivetus *Crit. sacr. l. 2. c. 13.* Si interim essent, num putandus, sic loquendo, angelum propriè invocâsse? nequaquam. Audi enim ipsum Origenem. *Hos angelos* ait l. 5. contr. Cels. *ex officio nominare docti, invenimus propter divinitatem quandam interdum Deos vocari à Scriptura sacra, sed non sic, ut jubeamur eos adorare aut divinis honoribus colere, quamvis dona Dei offerant.* Et paulò post. *Angelos invocare absque eorum cognitione, cujus homo capax non est, non videtur rationi consenta-*

sentaneum. Atque ut demus, ab homine comprehendi miram quandam & arcanam eorum naturæ notitiam, officiorumq́, quibus funguntur singuli; hoc ipsum prohibebit, ne quis audeat preces offerre, nisi soli Domino Deo, qui unus omnibus abunde sufficit &c. Credendus ne jam Origenes statuisse, angelos esse invocandos?

XXX. Adducis ex eodem Seculo Tertullianum, ut qui apud Centuriatores *Cent.3.c.4.p.82.* scripserit, *lapsos auxilio martyrum apud Deum juvari posse.* At hæc verba à Centuriatoribus loc.cit. non attribuuntur Tertulliano, sed Cypriano. Tertullianus quid senserit de invocatione Sanctorum, patet ex his ipsius verbis ad Scap.c.2. & Apol.c.17. *Quod colimus, Deus unus est* &c. Apud Cyprianum, fateor, suprà adducta verba occurrunt *lib.3. Epist.15.* At quid inde pro invocatione Sanctorum? Sentit ipse, ut in fine prioris Ep.l.1. haud obscurè patet, *martyres & Sanctos defunctos pro viventibus orare.* At hoc nos non disputamus, ut qui ipsi fatemur, Sanctorum Ecclesiam cum Christo regnantem de membris hîc pugnantibus esse solicitam. Negamus autem, Sanctos propterea esse religiosè invocandos. Et ostendat nobis D. JCtus vel unicum trium primorum seculorum patrem, qui hoc affirmârit! nullum nominare potuit, nec poterit. Quid? ipse Cardinalis Richelius *lib.3. c. 4. Methodi suæ* rotundè fatetur, Ecclesiam primitivam ante quartum seculum non invocâsse Sanctos. Cum hoc jam si D. JCto libet litigare, quòd tam apertè ipsum arguat mendacii, per nos licet.

XXXI. Ad seculum quartum quod attinet, fatemur; spargi cœpisse semina invocationis Sanctorum & progressu temporis longiùs excrevisse, & quidem occasione Rhetoricarum Apostropharum ad Sanctos & hyperbolicarum laudationum, in Ecclesia Græcâ à Basilio, Nazianzeno, Nysseno, in Latina autem ab Ambrosio in Orationibus suis adhibitarum, quas imperitum vulgus malè distinxit. Non defuerunt interim, qui se illi errori masculè opponerent. Oppugnavit eum Epiphanius *hæres.79.* damnavit Concilium Laod. c. 35. & Carthagi-

nense 3. can. 23. Rejecit Augustinus *de vera Relig. c. 55.* Magnam proinde D. JCtus cum suis Papicolis S. Patribus infert injuriam, dum ejusmodi Apostrophas & hyperbolas pro regulis arripiunt, non perpendentes, ejusmodi loquendi modos absurdissima gignere solere. Et quæso D. JCte, quâ fronte vel tu vel ullus Papista in hac materiâ provocare potest ad S. Patres? añon enim plerique Patres crediderunt, Sanctos defunctos non frui divinâ visione ante resurrectionem mortuorum? si negas audi vestrum Stapletonum. *Tertullianus*, ait is de auct. Script. l. 1 c. 2. sect. 5. *Origenes, Irenæus, Chrysostomus, Theodoretus, Oeconomus, Theophilactus, Ambrosius, sententiæ huic assensi sunt, quæ negat animas frui divina visione ante resurrectionem.* Addit his Sixtus Senensis *Biblioth. l. 6. Justinum, Lactantium & Prudentium.* Jam verò juxta vos, ut supra vidimus, beatifica Dei visio invocationis Sanctorum fundamentum est: quî ergo Patres Sanctos vel ipsi invocâssent vel aliis invocandos commendâssent? En quàm bellè Patres crepetis!

CAPUT IX.

De Observatione Legis.

REformatos docere ait D. JCtus, *præcepta Dei nulli jam in hoc mundo homini observatu possibilia esse.* Agnosco statum controversiæ, modò intelligatur perfecta observatio totius legis. Nemo enim nostrum negat, sed omnes uno ore affirmamus, regenitos per gratiam Dei observare legem. De observatione non aliquo, sed omnibus modis perfecta est quæstio, adeoque hoc quæritur: *An fideles per gratiam, quæ ipsis ordinariè confertur à Spiritu Sancto, totam legem in hac vita omnibus modis perfectè observare seu implere queant?* Pontificii affirmant: nos autem negamus: *quia in fidelibus adhuc semper habitat peccatum* 1. Reg. 8. 46.

Prov.

Prov. 20.9. Jacob. 3.2. 1 Joh. 1.8. *Si dixerimus, nos non habere peccatum, nos ipsos fallimus, & veritas non est in nobis.* Si autem fateri debemus, nos peccatum habere, fateri etiam debemus, nos legem non perfectè servare, cùm peccatum, teste eodem Johañe 1. c. 3. 4. sit ἀνομία seu *legis trangressio* ג *quia debemus quotidie precari ex ore Christi; Remitte nobis debita nostra* Matth. 6. 12. jam si fieri potest, ut fideles legem perfectè observent, fieri etiam potest, ut non necesse habeant amplius ita precari. Quod absurdum esse nemo non videt. *Qui contendunt*, ait Augustinus contr. Pelag. l. 4. c. 10. *esse in hac vita vel fuisse justos, nullum habentes omnino peccatum, hac præsumptione apertissimè orationi Dominicæ contradicunt.* ד *quia Lex non potest ferri: Ergo multo minùs à quoquam perfectè observari & impleri.* Antecedens probatur Act. 15. 10. *Quid tentatis Deum, imponentes jugum cervici discipulorum, quod nec patres nostri nec nos portare potuimus.* ה *quia ob carnis nostræ impotentiam Deus in nos tactus commiseratione, nobis donavit Filium suum, ut ipse δικαίωμα νόμου impleret* Rom. 8. 3. 2. Cor. 5. 21. Si autem nos ipsi potuimus legem implere, irritum fuerit Dei consilium. ח *quia jubemur Deum diligere ex toto corde, tota anima & omnibus ejus viribus.* Matth. 22. 27. Ad hoc autem fastigium perfectionis se pertingere nemo, nisi Pharisæus, dixerit. Audi è mediis Papatus tenebris celebrem vestrum Magistrum sententiarum, Lombardum. *Illud præceptum* (ait *lib. 3 dist. 27. ad Lit. F.*) de diligendo Deo ex toto corde &c. *non penitus impletur ab homine in hac mortali vita, sed ex parte, non ex toto, quia ex parte diligimus, sicut ex parte cognoscimus, in futuro autem implebitur ex toto.* Quærit dein ad lit. G. *Sed cur præcipitur homini ista perfectio, cùm in hac vita eam nemo habeat?* respondet, *quia non rectè curritur, si, quò currendum est, nesciatur.* ו *quia à sanctissimis hujus vitæ hæc impotentia apertè agnoscitur.* Consulantur ex multis loca Exod. 34. 7. Job. 9. 3. 28. & 15. 15. Psal. 143. 2. Prov. 20. 9. 1. Reg. 8. 46. Jes. 64. 6. Dan. 9. 6. Phil. 3. 13. Jacob. 3. 2. 1. Joh. 8. &c.

II. Videamus jam, quid his opponat D. JCtus! adfert initio

initio duo Scripturæ loca, quibus tum varia Sanctorum exempla subjungit: sed omnia, ut statim patebit, incassum. Prior occurrit Matth. 11. 28. 29. 30. *Venite ad me omnes* &c. *jugum enim meum facile est & onus meum leve.* Alter 1. Joh. 5. 3 *Præcepta Dei gravia non sunt.* Ad priorem quod attinet, respondemus, falsum esse, Christum ibi loqui de *jugo legis*, quod ἀβάςακτον ipsi Apostoli pronuntiant Act. 15. 10. Sed loquitur de jugo & onere crucis, de quo alibi dicit, *Qui vult me sequi, tollat crucem suam* Matth. 16. ℣. 24. Hæc autem nuncupatur *jugum suave*, quia à Spiritu Sancto, in ipsis calamitatib⁹ suavissimos gaudii fructus eliciente, *suave* redditur Coloss. 1. 24. Dicitur *onus leve*, quia *Deus non sinit nos tentari supra vires*, dicente Paulo 1. Cor. 10. 13. Quid? annon & ipsa Christi doctrina est *jugum leve* & *suave*, opposite ad legem, quæ על זבלה *jugum oneris* Jes. 9. 4. & *jugum* ἀβάςακτον Act. 15. 10. nuncupatur, dici potest? Ad secundum quod spectat, dicit quidem Johannes, *præcepta Dei non esse gravia*: at quo sensu hoc intelligi velit, liquet ex sequentibus: quia nimirum nos, qui sumus in Christo, non gravant aut possunt subvertere: cùm Christus legem pro nobis impleverit. Subjungit ipse Johannes hanc rationem ℣. 4. *quoniam, quicquid natum est ex Deo, vincit mundum, & hæc est victoria, quæ vincit mundum*, nempe *fides nostra.* Illi ergo non sunt gravia, hoc est, non gravant aut subvertunt, qui fide amplectitur D. Jesum, qui legi plenissimè pro suis electis satisfecit Rom 8. 3.

III. Pergit D. JCtus & objicit, *multos Dei viros, ut Enochum, Noachum, Abrahamum, Isaacum, Jacobum, & alios perfectè servâsse Dei mandata.* ℞. Si intelligit de *perfectione sinceritatis*, quæ in eo consistit, ut quis corde sincero & non hypocritico Deum colat, concedo, multos perfectè observâsse Dei mandata. Concedo etiam de *perfectione partium*, qua omnia & singula officia, divinitus nobis præscripta, observantur: sicut præcepta legis certum nexum inter se habent Jac. 2. 10. Sed altius ascendit D. JCtus cum suis Papicolis, affingens sanctis illis Dei

viris

viris etiam *perfectionem graduum*, id est, vult illos mandata Dei omnibus modis perfectè servâsse adeoque ἀναμαρτήτους fuisse. Qua sanè in re longè à mente eorum abit, ut qui ipsi se passim profitentur miseros peccatores. Sic Jobus c.9.2.3. *Qui justus esset homo* comparatus *cum Deo forti? Si volet litigare cum eo, non poterit respondere ei ex mille ad unum?* Sic David Psal.143.2. *Ne intres in judicium cum servo tuo, quia coram te justus est nullus vivens.* Et Psal.103.2. *Si iniquitates observaveris, quis sustinebit?* Sic Jesaias c.64.6. *Omnes justitiæ nostræ sunt instar panni menstruatæ.* Sic Paulus Rom.7.14. *Ego carnalis sum, venundatus sum peccato.* Item. *Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non sum justificatus.* Sis Johañes 1.c.1.8. *Si dixerimus, nos non habere peccatum, mendaces sumus* &c. imò sic omnès Sancti. Omnes assentiuntur Jacobo, dicenti, *in multis labimur omnes* cap.3.2. Eant ergò cucullati nostri cum sanctitatis suæ perfectione & quærant sibi inter Pharisæos perfectionis suæ imaginariæ socios: cùm tales inter sanctos Dei servos invenire non liceat.

IV. Dicuntur quidem Noach, Josias, Zacharias & Elisabetha & alii perfecti fuisse: sed hoc non est intelligendum *absolutè*, de obedientiæ perfectione legali, sed *limitatè* de perfectione Evangelicâ, vel *comparatè* respectu minus Sanctorum. Unicum Zachariæ & Elisabethæ exemplum, quod Pontificii maximè crepant, quodque ego ipse à Monachis non semel urgeri audivi rem totam declarabit. Dicuntur *illi ambo justi fuisse in conspectu Dei, & incessisse in omnibus præceptis & ritibus Domini inculpatè* Luc.1.6. Hoc (fateor) exemplum, si ullum in Scriptura, Papicolis favere videtur: at videtur tantum; non favet. Fuit 1. in illis *perfectio sinceritatis*, quæ innuitur cùm dicuntur *justi coram Deo*: non fuit ergo eorum pietas hypocritica, qualis à multis demonstratur *coram hominibus*: sed vera & sincera, quæ ipsi Deo sese probabat. Fuit 2. in illis *perfectio partium*: dicuntur enim *incessisse in omnibus præceptis & ritibus Domini*: At ubi mihi demonstraveris in illis *perfectionem graduum*, de qua nobis est

quæstio? num quæres eam in voce ἄμεμπτοι *sine reprehensione?* frustra: illa enim non respicit *Deum* (nam *si is volet litigare cum homine, non poterit respondere ei ex mille ad unum*, inquit Jobus c. 9. 2. 3.) sed *homines*: erant ergò ἄμεμπτοι coram hominibus, utpote quibus nullum præbebant scandalum. Et quid D. JCte? añon Zacharias erat è numero Sacerdotum? negare non potes: atqui illi ex lege Dei necesse habebant *circumdati infirmitate, sicut pro populo, ita pro se ipsis offerre pro peccatis* Heb. 5. 3. Porrò, annon idem Zacharias ad tempus mutus evasit, *eò quòd non credidit sermonibus angeli* Luc. 1. 20? quomodo ergò dicis eum fuisse sine peccato? Sed audi, quid olim Augustinus Pelagio, hoc Zachariæ & Elisabethæ exemplum urgenti, responderit. *Dictum est*, (ait de Grat. Dei contra Pelag. & Celest. l. 1. c. 48.) *quantum mihi videtur, secundum quandam conversationem inter homines probabilem atque laudabilem, quam nullus homo potest justè in accusationem & criminationis querelam vocare. Non autem dictum est hoc, secundum illam perfectionem justitiæ, in qua NB verè atq; omninò immaculati perfectique vivemus.* &c. Alibi idem B. Vir dicit; *Si omnes Sanctos & Sanctas, cùm hic viverent, congregare possemus, & interrogare, utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus? utrum hoc, quod iste* (Pelagius) *dicit, aut quod* Johannes *Apostolus? Rogo vos, quantalibet fuerint excellentiâ sanctitatis in hoc corpore, si hæc interrogari potuissent, una voce clamâssent,* (cum Johanne) *si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas non est in nobis.* Idem à nobis habeant novi nostri Pelagiani responsum!

V. Urget D. JCtus in sequentibus passim gratiam, dicitque *ei non posse tribui impotentiam: verba Davidis, Pauli, Jobi, Johannis, Jacobi & aliorum, quibus omnes pronuntientur peccatores, esse intelligenda de homine irregenito, corrupto & adhuc in peccatis suis jacente: non autem de homine regenito & gratiâ Dei adjuto* &c. Sed miserum hoc effugium facili negotio tollitur. Non agitur de gratia, quæ posset à Spiritu Sancto conferri, si vellet: sed de eâ, quæ ab ipso confertur. Reformati non dubitant, quin Spiritus

tus Sanctus, si vellet, fideles suos facilè posset eò perfectionis hîc adducere, ut totam legem perfectissimè servare possent, adeoq; nullam ipsius gratiæ impotentiam tribuunt: sed negant, ipsum hoc velle. *Sublevat ille* quidem *infirmitates nostras* Rom 8 26. 2.Cor.13.3. Sed ita tamen, ut nihilominus habeamus *manus remissas & genua soluta* Heb.12 12. *Efficit is* quidem *in nobis & ipsum velle, & ipsum agere* Phil.2.13. sed, ut additur, *pro benevolo suo libitu.* Non libet autem ipsi hîc nos ad Angelicam perfectionem adducere. Placet Deo, ut, teste Paulo Rom 8.23 hîc tantùm *habeamus* ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος *primitias Spiritus* & renovatio nostra *crescat de die in diem*, 2.Cor.4.15. ita ut quotidiè dicere habeamus necesse, *Remitte nobis debita nostra.* 2. Sanctos illos viros locis citatis agere de homine quà regenito, miror quî negare non erubescat D. JCtus? Annon enim Johannes alloquitur eos, qui *jam erant filii Dei* 1.c.3.2.[?] Annon includit se ipsum, dicendo, *Si dixerimus NOS non habere peccatum* &c. Annon sic etiam Jacobus. *In multis LABIMUR omnes?* Annon Jobus, Jesaias & alii? 3. Dum lubet Papicolis de iis agere, qui Spiritui Sancto impotentiam tribuunt, non necesse habent extra Ecclesiæ suæ limites evagari, inspiciant modò Jesuitarum suorum collegia, & videbunt, qui publicè docent, *voluntatem humanam Spiritui Sancto, etiam convertere volenti, ita posse resistere, ut operationem ejus irritam reddat.* An hoc autem non est Spiritui Sancto tribuere impotentiam, vel fatentibus in ipso Papatu Thomistis?

V. Verum est, ipsum Christum dicere Joh.14.23. *Si quis me diligit, sermonem meum servabit*: at 1. probandum D.JCto, Christo ibi sermonem esse de lege Mosis: *sermo Christi* sonat Evangelium Christi. 2. A fidelibus diligitur quidem Christus, sed dilectionis potius sinceritate quàm absoluta perfectione.

VI. Sed silentio non prætereunda, quæ D. JCtus pag 278. his præmittit, præsertim cùm illa maximè observari velit. *Observandum maximè*, ait, *me cum Catholicis hîc non agere de venialibus sed de mortalibus peccatis, siquidem in illa homo facillimè incidere, ab*

 his

his autem sibi gratiâ Spiritus Sancti cavere queat. Nimirum D. JCtus sibi ipsi cum Catholicis suis hîc contradicit: & *hoc hîc maximè observari vult.* Observamus & ridemus. Docuerat hactenus, hominem posse totam Dei legem perfectissimè observare, adeoque esse sine omni peccato: jam verò dicit, hominem vix esse posse sine peccato veniali, *cùm in illud facillimè incidere queat*, adeoque contra se ipsum fatetur, hominem non posse Dei legem omnibus modis perfectè observare. Dicat enim mihi D. JCtus, num peccatum, quod vocat veniale, sit transgressio legis, an verò non sit? Si *non est*: quomodo est peccatum? annon ipse Johannes peccatum in genere definit ἀνομίαν *legis transgressionem?* 1.c.3.4. Si *est transgressio legis*: quomodo illi, qui venialiter peccant adeoque legem transgrediuntur, nihilominus dici possunt legem perfectè observare? Dicetne forte D. JCtus cum Bellarmino & aliis, *peccatum veniale esse præter non contra legem?* Respondeat ipsi Jesuita Vasquez. *Si verbum otiosum*, ait ille in 1.2. T.1. disp.143. c.3. *vel furtum parvum non esset contra præceptum aliquo modo, sed præter illud, sequeretur non fore contra judicium rationis rectæ, neq; disconveniens creaturæ rationali: hoc autem est falsum.* Porro. *Qui præter legem operatur, nec ei aliquo modo opponitur, potiùs videtur opus indifferens ex se operari quàm peccatum: Ergo vel omnia peccata ex se dicemus esse mortalia, vel venialia etiam contra legem esse fatendum est.* Quid? tota hæc distinctio (sensu Pontificio) falsissima: Omnia enim peccata, per se & naturâ suâ sunt mortalia, i.e. digna sunt morte: Ergò nullum datur naturâ suâ veniale, ut volunt Papicolæ. En probo! *Maledictus* (ait Moses Genes. 27.26.) *qui non manserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis hujus.* Illi verò, qui patrant peccatum veniale, non permanent *in omnibus, quæ scripta sunt*: aliàs peccatum patrare dici non possent: Sunt ergò juxta meritum facti maledicti. 2. Dicit Apostolus Rom. 6.23. de peccato in genere, quòd *ejus stipendium sit mors*: Ergò vel peccatum veniale non est peccatum, vel mortem meretur & per consequens veniale non est.

est. 3. Aut Christus pro peccato, quod vocas veniale, est mortuus, aut non est mortuus? Si *est mortuus*: Ergo utique est mortale: Si *non est mortuus*: quomodo Johannes dicit, *sanguinem Christi nos purgare* ἀπὸ πάσης ἁμαρτίας *ab omni peccato 1.c.1.7?* 4. *Qui impingit in uno præcepto, reus est omnium* Jacob. 2. 10. Subsumo: Qui committit peccatum veniale, impingit in uno præcepto: Ergo reus est omnium: Si autem hoc: qui non meretur mortem? 5. Refert D. JCtus cum Jesuitis suis inter peccata venialia *verbum otiosum*: atqui de *verbo otioso* reddenda erit hominibus ratio tanquam de eo, quod per se meretur damnationem Matth. 12. 36. Ergo *verbum otiosum* naturâ suâ est peccatum mortale. An negabis verbum otiosum per se mereri damnationem? audi Christum ibidem ℣. 37. porrò loquentem; Ex *sermonibus enim tuis justificaberis, & ex sermonibus tuis condemnaberis*. Ubi Dominus expressè innuit, *verbum illud otiosum*, de quo præcedenti 36 locutus fuerat, sufficientem esse causam condemna- Ridet hîc Jesuita Elffius, dicens l.c. p. 355. **In der Warheit ich möchte nicht Lutherisch oder Calvinisch seyn / wenn ein Lutheraner oder Calvinist wegen eines eintzigen müssigen Worts müste in die Hölle gehen. Dann ist mir besser / daß ich Catholisch bleibe: Dann der Catholische Glaube lehret mich / wann ich schon tausend und tausend müssige Wort geredet habe und mit denselben absterbe / so komme ich gleichwohl nicht in die Höll / sondern ins Fegfeuer.** At quis non rideat Jesuitam! Aliud est *est propter unicum verbum otiosum actu in orcum præcipitari*, & aliud, *propter idem dignum esse orco*. Licet nemo propter unicum verbum otiosum in orcum præcipitetur: tamen per se & naturâ suâ, cùm offendat Deum æternum & infinitum, mortem æternam meretur. Mirum, nî Jesuitæ brevi incipiant dicere, etiam primum Adami peccatum fuisse veniale, maxime cùm ad peccatum hoc veniale depingendum, hodie plerumque afferant exemplum in furto aut surreptione

unius oboli: annon enim materia, quam abſtulit, talis erat, quæ Deum lædere non potuit nec proximum, nec cum obolo, reſpectu Dei, venit comparanda? cur interim erat peccatum? quia erat contra Dei mandatum. Idem reſponſum habeant Papicolæ ad ſuum *de verbo otioſo & furto oboli* exemplum! Noverit interim D. Elffius, Lutheranos de ipſius ad Pontificios tranſitu parùm eſſe ſolicitos: Dicat nobis jam tantùm, ubi ſint aut unquam vixerint illi Catholici, qui crediderint, *hominem licet millia & millia verborum otioſorum protulerit, non detrudi in infernum, ſed in purgatorum?* Extra cœnobia Monachorum iisque faventium nullum invenerit! Egregia fides catholica, quæ culpam judici perſpectam docet coram judice extenuare! Catholicus certè talis non fuit Baſilius: Ita enim *Reg. brevior. Inter.* 4. ſcribit. *Cùm Dominus pronuntiaverit, quod omne verbum otioſum locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicij, nihil omnino tanquam minutum contemni debet. Quis eſt enim, qui peccatum ullum, cujusmodicunq; illud ſit, leve audeat appellare?* Si Baſilio Jeſuitica Religio fuiſſet nota, non ita quæſiiſſet: ea enim in eo maximè occupatur, ut peccata ſua extenuet & opera ſua vanâ meritorum opinione extollat. Ejusdem etiam cum Elffio catholicæ religionis non fuit Hieronymus: ait enim dial. contr. Pelag. *Si ira & ſermonis injuria, atq; interdum jocus judicio, conſilioq; & Gehennæ ignibus delegatur, quid merebitur turpium rerum appetitio & avaritia, quæ radix omnium malorum.* Ubi ergo fuit Catholica illa Elffii fides tempore iſtorum Patrum?

VII. Sed redeamus ad D JCtum: dicit, *hominem ſibi à peccatis mortalibus per gratiam Sp. Sancti cavere poſſe: in venialia autem facillimè labi.* Res mira! Crepat Vir paſſim in hoc capite gratiam Dei: Vociferatur Jeſuita Bailius *Summ. Controv. Tr* 4. *q.* 5. *poſſe nos mandata Dei ſervare auxilio gratiæ adjutos, cui ſine blaſphemia non queat tribui impotentia:* hîc vero, qui hactenus videri voluit gratiam Dei immane quantum extollere, eam adeò deprimit, ut homini à peccatis venialibus cuſtodiendo haud ſufficere

ficere non obſcurè fateatur. Si homo per gratiam Sp.S. legem perfectè ſervare poteſt *reſpectu peccatorum mortalium*, ut D. JCtus ineptè diſtinguit: cur etiam non *reſpectu venialium? Num gratiæ Dei tribui poteſt impotentia?* quærit ex nobis Jeſuita Bailius, (quamvis ineptè, ut ſupra audivimus) quæro hîc idem ex Papicolis. Sed interim in fugam disjiciant Pontificium JCtum Pontificii Theologi. Sunt illi Gerſon *3.p.de vit.ſp animæ lect.1.* Fiſcherus, Epiſc. Roffenſis *contr. Luth. art. 32.* Almainus *Moral. Tr.3.c.20.* qui omnes ſtatuunt contra hodiernos Papicolas, *omne peccatum mereri mortem æternam, & nullum ex naturâ ſuâ eſſe veniale.* Cum illis ergò in poſterum D. JCtus diſputare poteſt.

VIII. *Si homini*, ais, *non eſſent conceſſæ vires per operationem Sp. Sancti legem obſervandi, Chriſtus fruſtra ad ægrotum illum, quem ſanaverat, dixiſſet, ne pecca amplius, ne quid deterius tibi fiat* Joh. 5. 14. ℞. Si hæc objectio eſſet alicujus momenti, tangeret æque D. JCtum (utpote qui concedit, homini non eſſe conceſſas vires per eandem Sp. Sancti operationem legem obſervandi reſpectu peccatorum venialium) ac nos: quî ergo Chriſtus dixit in genere, *ne pecca amplius?* Reſponde tibi ipſi D. JCte? Si autem forte te hinc non potes expedire, en præibo! Non eſt ἀπλῶς verum, quod Jeſuitæ tibi ſuggeſſerunt, *ea, quæ ſunt impoſſibilia, non obligare.* Impoſſibilia duplicia ſunt: alia ſunt *ſimpliciter & ſuâ naturâ* talia: alia *ſecundum quid* & hominis culpâ. Ad illa homo non obligatur: ad hæc autem juſtiſſimè. Num creditor excidet jure ſuo repetendi debitum à debitore, licet non ſit ſolvendo? Non legeris in tuo *Corpore juris.* Eſt ipſi quidem ſolutio impoſſibilis, ſed propriâ culpâ. Eodem modo, cùm in Adamo vires ad legem perfectè obſervandam homo acceperit, Deus non excidit jure ſuo eum obligandi ad perfectam obedientiam: licet is illi præſtandæ ſit impar; quia obediendi vires amiſit ſuâ culpâ: niſi forte D. JCtus velit dicere, *Deum ob vitium noſtrum amiſiſſe jus ſuum.* Juſtiſſimè ergo Chriſtus ægroto illi, quem ſanaverat, dixit; *ne amplius pecca*, licet ipſe ſine omni peccato eſſe non poſ-

ſet.

ſet. Audi Auguſtinum. *O homo*, ait ille de corrupt. & grat. c. 3. *in præceptione cognoſce, quid debeas habere, in correptione cognoſce, te tuo vitio non habere, in oratione cognoſce, unde accipias, quod vis habere.* Diſcere ergo inde debebat ſanatus ille ſuum officium & conſpicatus ſuam impotentiam quærere in Chriſto ſuam juſtitiam. Quod eleganter expreſſit Bernardus *in Vigil. natal. Dom. ſerm. 2.* ſcribens. *Propterea enim mandata ſua mandavit ſervari nobis, ut videntes imperfectionem noſtram deficere, & non poſſe implere, quod debet, fugiamus ad miſericordiam.*

IX. Percipis jam, nî fallar, quomodo Deus (ſecundum verſionem Lutheri) ad Cainum dicere potuerit; *ne franum laxato peccato, ſed dominator ei* Gen. 4 7. Percipis etiam, quâ ratione Magiſtratus in homicidas, fures, adulteros aliosque facinoroſos animadvertat, licet Dei mandata perfectè obſervare nequeant. Miror interim, quâ fronte hæc à te proferantur, cùm non neſcias, fateri nos, quòd homo per Dei gratiam legem ſervare queat, negare tantùm, quòd omnibus modis perfectè poſſit. Si non puniendi ſunt niſi ii, qui ſine omni peccato eſſe poſſunt, næ veſtri Purgatorii flamma admodum iniqua ſit, oportet, ut quæ multos ſæpe annos uſtulat *venialarios veſtros* (liceat in re barbara βαρβαρίζειν) qui tamen, te haud obſcurè fatente, ſine peccato veniali eſſe non potuerunt! Percipis denique non minùs, quî paſtores ſceleratos redarguant & ad virtutes hortentur, licet viribus deſtituantur. Uno verbo. *Hæc eſt* (ut Rivetus noſter ſcitè loquitur) *utilitas exactionis legis, ut nos admoneat, non quid poſſimus, ſed quid debeamus, quod non poſſumus: ut nos admoneat infirmitatis noſtræ, quia per eam eſt cognitio peccati: ut nos invitet ad preces, quibus petamus à Deo dari, ut poſſimus, quod per nos non poſſumus: ut ſolicitet nos ad quærendum medicum, à quo ſanemur.* Eadem vide apud Auguſtinum *in Pſal. 83.*

X. Verum eſt, *Deum non exaudire peccatores* Joh. 9 31. At intellige irregenitos, & petulantes contemptores legis: ut liquet ✝. 16. & 24. Si autem ſimpliciter vis intelligi, dicas mihi, quî ergo

ergo *Christus peccatores ad se vocat* Matth 11. 28. Sic utique Deus neminem in hoc mundo exaudiret, cùm *omnes*, teste eodem Johanne 1. c. 1. 8. *simus peccatores.* Verum etiam est, *eum, qui dicit: Novi eum & præcepta ejus non observat, mendacem esse* 1. Joh. 2. 4. At intellige *de perfectione sinceritatis*; non *absolutâ* seu *graduum*: hanc enim qui sibi arrogat, non minus, teste eodem Johanne, *mendax est 1. c. 1. 8.* Verum denique non minus, hominem esse maledictum, nisi legem perfectè servet Deut. 27. 26. At intellige in se & extra Christum: hic enim *redemit nos à maledictione legis, dum pro nobis factus est maledictio Gal. 3. 13.*

XI. *Conjurârunt* (pergis) *Israëlitæ, se ambulaturos in lege Dei Neh. 10. 29. Si non potuerunt legem observare, qui ergo promiserunt? quomodo etiam dixit David, se observare legem Dei Ps. 119. 55? quomodo Paulus, se sanctè, justè inculpateque ap. Thessalonicenses vixisse? item, se nullius peccati sibi esse conscium, propterea verò non justificatum. 1. Cor. 4. 4.* At quem vir oppugnat? suam forte umbram? non nos certè: qui lubentes fatemur, fideles per Dei gratiam legem servare posse: negamus autem, eos observare posse omnibus modis perfectè. Dicit quidem 1. Cor. 4. 4. (loquens non de tota vita sua, sed de functione Apostolatus sui, ut liquet ℣. 1. & 2) se οὐδὲν *in nullo sibi conscium esse*: sed addit, *se verò non per hoc justificatum*, adeoque coram Deo sine peccato esse. *Dominus autem*, ait, *is est, qui me judicat.* En ergò quàm feliciter tueatur caussam suam D. JCtus!

XII. Æquè felix etiam in eadem tuenda est, dum ita pergit. *Eat Catholicus, objiciat Reformato crimen adulterii, postulet illum furti, nuncupet eum violatorem Sabbati* &c. *Nonne Reformatus rem ad Magistratum deferet & de illatâ sibi injuriâ queretur atq; adeò reipsa ipse fatebitur, se hæc præcepta implevisse* &c. Ictus prorsus manes! num is, qui non violat hoc vel illud præceptum, censendus est perfectè observâsse totam legem D. JCte? Præterea an lex respicit tantùm externos corporis actus: an non simul etiam in-

ternos animi motus? Si negas, audi ipsum Christum Matth 5.28. *quicunque aspicit mulierem ad concupiscendam eam: jam adulteravit eam in corde suo.* *Audi & Johannem 1. c. 3. 15. quisquis odit fratrem suum, homicida est.* Si jam Reformatus toti etiam legi externam præstaret obedientiam, ita ut in oculis hominum esset ἄμεμπτος, qualem se Thessalonicensibus præbuisse legitur Paulus 1. c. 2. 10. nec accusari posset ullius criminis coram Magistratu, num propterea perfectè observaverit totam legem? negat Christus, negat etiam Johannes, innuentes, legem non minus internam ac externam obedientiam postulare. Audi, quid olim Christus de Pharisæis, externam tantùm vobiscum legis obedientiam urgentibus, ad suos dixerit, *nisi abundârit vestra justitia plus quàm Scribarum & Pharisæorum, nequaquam ingressuri estis in regnum cœlorum* Matth. 5. 20.

XIII. Sed argumentaris. *Quisquis natus est ex Deo, non peccat 1. Joh. 3. 9. Reformati juxta suam ipsorum fidem nati sunt ex Deo: Ergo non peccant.* Manifestum sophisma homonymiæ. Aliter enim terminus Major *non peccat* in propositione Majore; aliter in conclusione sumitur. In conclusione sumitur simpliciter pro *non transgredi legem.* In Majore autem strictiùs pro *non transgredi legem petulanter, non dare operam peccato, non ambulare secundum carnem Rom. 8. 1. non esse servum peccati Rom. 6. 17.* Uno verbo. Intelliguntur hîc per *peccantes* mancipia Satanæ, *quæ,* (ut rectè describuntur à Fero vestro *in h. loc.) non ex ignorantia aut infirmitate, sed ex malitia peccant, atque adeò in peccatis se oblectant.* Ejusdem farinæ sunt cætera argumenta, quæ ex Johanne adducis, id est, sunt mera sophismata homonymiæ, quorum solutio ex data jam distinctione liquet. Quid? si hæc simpliciter intelligenda essent, nemo natus esset ex Deo: cùm, teste eodem Johanne 1. c. 1. 8. nullus sit sine peccato. Salvamur interim, non obstante fidei nostræ infirmitate, *quia,* teste Apostolo Rom. 8. 2. 3. *lex spiritus vitæ, qui est in Christo Jesu, liberavit nos à lege peccati & mortis: cùm enim legis impotentia nihil posset in carne, Deus suo ipsius misso filio, conformato carni peccato obnoxiæ, idque pro peccato, condemnavit*

navit peccatum in carne, ut illud jus legis impleatur in nobis, qui non secundum carnem incedimus, sed secundum spiritum.

XIV. Latibulum, quod circa locum Act. 15. 10. quæris, prætendendo *per jugum ἀβάστακτον intelligi ibi non legem moralem, sed tantùm ceremonialem*, ficulneum est: nam 1. licet quæstio moveretur occasione legis ceremonialis, respiciebat tamen ea totam legem Gal. 5. 3. unde & *Petrus* (non *Paulus*, ut tu scribis) de tota lege, non de ceremoniali tantùm loquitur. 2. Loquatur tantùm de ceremoniali, quid tum? procedit tamen argumentum nostrum, à minore ad majus: cùm lex moralis sit gravior ceremoniali, judice ipsomet Christo Matth. 23. 23. Luc. 11. 24. Quod addis ex Marc. 9. 23. *omnia sunt possibilia credenti*, non ἁπλῶς est intelligendum: aliàs etiam credens posset cum Eliâ vivus ingredi cœlum: sed κατά τι de impetratione beneficiorum credenti ad salutem necessariorum. Cæterorum, quæ cumulas, infirmitas ex modò dictis patet. Stat proinde inconcussa veritas, quam nobiscum hîc agnoscit & ità enuntiat Thomas vester in Ep. ad Gal. c. 3. lect 4. *Implere totam legem est impossibile, ut dicitur Act. 15.* & Lombardus sic *loc. suprà cit. Illud præceptum* (de diligendo Deo ex toto corde &c.) *non penitus impletur in hac mortali vita.* Ratio datur ab Augustino Epist. 29. ad Hier. *quia*, ait, *charitas plenissima, quæ jam non possit augeri, quamdiu hic homo vivit, est in nemine: quamdiu autem augeri potest, profectò id quod minus est, quàm debet, ex vitio est. Ex quo vitio, non est justus in terra, qui faciat bonum & non peccet: Ex quo vitio non justificabitur in conspectu ejus omnis vivens.*

XV. Addis jam, *Ecclesiam Catholicam hunc articulum semper ita credidisse & docuisse.* Itane D. JCte? Ergo Augustinus non fuit membrum Ecclesiæ Catholicæ: nam ille huic doctrinæ semper acerrimè se opposuit contra Pelagianos. *Vide ipsum de gr. Dei contr: Pelag. l. 1. c. 48.* Nec etiam ad eam pertinuerunt reliqui saniorum ætatum patres, cùm ii ab hoc dogmate abfuerint quàm qui longissimè. Nomina enim vel unum, qui idem,

 quod

quod vos hodie, docuerit. Provocas ad Justinum, qui vixit an. 150 (en quantum saltũ faciat, qui probandum susceperat, *Ecclesiam semper ita docuisse!*) at frustra: leguntur quidem hæc, quæ citas, verba; *Diligere Deum plusquàm seipsum & proximum ut seipsum, quod quidem non est impossibile hominibus volentibus*, in Opere Quæstionum Justini: at *opus istud Quæstionum* esse Justini, probari vellent, quorum Scriptis toties abuteris, Centuriatores: proba ergò illis. Proba & Delrio vestro, qui idem negat *2. Disq. Mag. lib. q. 26 sect. 3.* Audi & Possevinum. *Opus 146. Quæstionum ad Orthodoxos*, ait, *non videtur esse Justini.* Idem cum Possevino sentit Bellarminus *de Script. Eccles.* Agat ergò in posterum Papicola cum Papicolâ!

XVI. Quod sub Cypriani nomine nobis opponis, dicentis: *præcipis mihi Domine, ut diligam te: hoc & possum & debeo:* nobis 1. non obest: nam non negamus, nos Deum per ejus gratiam posse diligere: sed negamus, nos *cum per gratiam, quam ipsi libet in hac mortali vita nobis conferre, ex toto corde &c. diligere*, ut lex requirit. 2. probandum tibi *Sermonem de Baptismo Christi*, ex quo hæc verba sunt desumpta, esse Cypriani: negamus enim hoc: cùm sententiæ Cypriani de rebaptizandis hæreticis apertè contradicat. En quàm eximiè jam ille probavit, *totam Ecclesiam Catholicam semper hunc articulum ita credidisse & docuisse*, qui duo tantum ficta Patrum testimonia valuit proferre! Sed forte nomine Catholicæ Ecclesiæ intelligis Pelagianam & Pharisaïcam; quarum favorem hîc vobis non disputamus.

CAPUT X.

De merito bonorum operum.

TRiplex vulgò à Papicolis constituitur meritum, nempe *congrui, digni & condigni*: Bellarminus tamen *lib. 5. de justific. c. 16.* tres

tres istas species contrahit ad duas: *quod verò*, inquiens, *quidam distingvunt inter* dignum & condignum, *& meritum ex digno admittunt, non ex condigno, nimis leve est. Nam Interpres Latinus eandem vocem Græcam nunc vertit dignum, ut in loc. cit. nunc condignum, ut ad Rom. 8. Non sunt condignæ passiones* &c. Quidam jam volunt, *opera bona justorum esse meritoria de condigno, largo modo, ita ut condignum respectu condigni propriè sumpti, possit dici congruum, respectu verò congrui propriè sumpti, possit dici condignum.* Sic Durandus *in 2. sent. d. 27. q. 2.* & Gregorius *in 1. sent. d 17. q. 1 a. 2.* Hos Bellarminus refutat *loc. cit.* Alii statuunt, *opera bona justorum esse meritoria vitæ æternæ ex condigno ratione operis, etiamsi nulla extaret divina conventio.* Sic Cajetanus *in 1. 2. q. 114. ar. 3.* & Dominicus à Soto *l. 3. de natur. & gr. c. 7.* Alii contrà existimant, *opera bona ex gratia procedentia, non esse meritoria ex condigno ratione operis, sed tantum ratione pacti & acceptationis divinæ.* Sic Scotus *in 1. sent.* d. 17. q. 2. quem alii quoque teste Bellarmino, sequuntur ex veteribus Scholasticis, & ex recentioribus Vega *Op. de justif. q. 5.* Alii censent, *non esse utendum his vocibus* de condigno & congruo, *sed absolutè dicendum, opera bona justorum esse meritoria vitæ æternæ, ex gratia Dei.* Sic Waldensis *tom. 3. de Sacram. c. 7.* En suavem eorum, qui consensum suum semper è suggestibus crepant, harmoniam!

II. Bellarminus tandem, postquam fratres suos pluribus confutavit, mediam quasi ingreditur viam, dicens, *opera bona justorum meritoria esse vitæ æternæ ex CONDIGNO ratione pacti & OPERIS SIMUL, non quidem, quòd sine pacto vel acceptatione non habeat opus bonum proportionem ad vitam æternam, sed quia non tenetur Deus acceptare ad illam mercedem opus bonum, quamvis par & æquale mercedi, nisi conventio interveniat.* Hanc sententiam conformem esse pertendit Concil. Tridentino & Principibus Theologorum, *S. Thomæ, S. Bonaventuræ & aliis.* Non sumunt proinde Papicolæ vocem *meriti impropriè*, quo sensu Veteres eam usurparunt, & ipsa R. Ecclesia canit, *felicem Adami culpam fu-*

esse, *quæ talem meruit habere Redemptorem*, (cujus vocis abusus non dissimulatur ab ipsis Pontificiis. *Vocabulum merendi*, ait Cassander in Schol. ad hymn. Eccles. p. 179. *apud veteres Ecclesiasticos Scriptores idem ferè valet, quod consequi.* Cui etiam assentitur Vega *l. 8 de Justif. 108.*) sed *propriè*, quatenus meritum est meritum *condignitatis, cui compensatio ex rigore justitiæ debetur*, ut loquitur Jesuita Cottonus *l. 1. Instit. c. 17.*

III. Sed quis toto pectore non abhorreat ab hac Pharisaicâ doctrinâ? utpote quæ à S. Scriptura non semel anathemate percutitur. 1. Annon, dicente Paulo, *vita æterna est χάρισμα donum gratuitum Dei Rom. 6. 23.* quî ergò eam *meremur nostris operibus?* 2. Annon salus nobis contingit *ex mera Dei gratia Tit 3. 4. 5.*? quomodo ergo eam meremur? 3. Annon vita æterna *est hæreditas Rom. 8. 17. Eph. 1. 14.*? quomodo ergò cadit sub meritum? 4. Annon, *cùm omnia fecerimus, quæ edicta sunt nobis*, nihilominus *nobis dicendum: servi inutiles sumus: nam, quod debuimus facere, fecimus? Luc. 17. 10.* quomodo ergo meremur? num forte *debita solvere* linguâ Romanâ est *mereri?* 5. Annon opera nostra sunt imperfecta Esa. 64.? quæ, teste Paulo Rom. 8. 18. nullam habent proportionem cum gloriâ æternâ: quomodo ergò in ea cadit vitæ æternæ meritum? 6. Annon id, per quod volumus mereri, debet esse *nostrum*? non enim possibile est mereri per *alienum*: jam vero bona opera, quatenus bona, non sunt *nostra*, sed Dei, *qui efficit in nobis & ipsum velle & ipsum agere Phil. 2. 13.* quî ergò per illa mereamur? 7. Annon *lex fidei omnem gloriationem excludit quæ ex operibus nascitur? Rom. 3. 27.* Ergo etiam merita. 8. Annon Christus nobis est meritus totam nostram salutem Act. 13. 15? quî ergò ejusdem meritum in nos cadat? fieri ne potest, ut duo inter se differentes unam eandemque rem propriè & perfectè mereantur, si unus pro altero mereatur, ut Christus pro nobis fecit?

IV. Videamus jam, quid D. JCtus noster his opponat: Antequam rem ipsam aggreditur, conqueritur de injuriâ quam

Refor-

Reformati Pastores Catholicis inferant, *persuadendo auditoribus suis, ipsos velle Deo per opera cœlum extorquere, 2. eos vim meriti Christi infirmare, 3. docere, homines posse sine illo per sua opera tantum sibi cœlum acquirere.* Quòd autem hæc accusatio ficta & falsa sit, satis liquere ait ex his Conc. Tridentini verbis Sess. 6. can. 1: *Si quis dixerit, hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiant, absq; divina per J. Christum gratiâ, posse justificari coram Deo, anathema sit.* At 1. Rx. me à nullo adhuc istam phrasin audivisse: Si tamen quidam eâ utuntur, quî iis injuriam faciunt, qui Deum ad calculos vocant, ut subductis rationibus, dati & accepti, Deus inveniatur debitor? Audi Coryphæum vestrum, Bellarminum. *Non ex sola* (ait is l. 5. de Justif. c. 18.) *promissione, sed etiam ex opere nostro Deus efficitur debitor.* Vah execrandam doctrinam! nobis jam ex ore Christi dicentibus, *Remitte nobis debita nostra*, vos, verso folio, ex ore Bellarmini & Jesuitarum dicetis, *solve quod nobis debes propter opera nostra.* Ad 2. Rx. nec in eo vobis fieri injuriam: nam meritum Christi vel per se est sufficiens, vel non: Si *prius*: ad quid merita vestra? Si *posterius*: vim ejus exhauritis, adeoq; in illud injurii existitis. Frustra regeris, *merita vestra nasci ex meritis Christi & omnem vim suam inde accipere, adeoque tantum abesse, ut meritum Christi diminuatis, ut contrà potius sic extollatis*: nam 1. erudiat me D. JCtus, ubi Scriptura doceat, ulla ex merito Chriiti nasci merita. 2. Si Christus meritus est, ut nos operibus nostris mereri queamus, dicat mihi, quî à Paulo instituatur perpetua oppositio inter gratiam & merita Rom. 11. 6.? *Si per gratiam*, ait, *non jam ex operibus, altoquin gratia jam non est gratia:. Sin ex operibus, jam non est gratia; altoquin opus jam non est opus.* At juxta vos operum merita gratiam commendant: egregiè ergò cum Paulo convenitis! scilicet! 3. Dicit idem Apostolus *Christum unicâ oblatione consummâsse in perpetuum eos, qui sanctificantur Heb. 10. 14.* Si autem Christus meruit, ut nos mereremur vitam, quomodo *consummavit nos in perpetuum?* Sic erit tantum ejus Satisfactio inchoata adeoq; imperfecta. Adde

4 quòd

4. quòd sic vita æterna potiùs meritis nostris quàm Christi esset attribuenda, cùm effectus magìs proximæ & immediatæ causæ adscribatur, quàm universali & remotiori. 5. Si virtus merendi vitam æternam potest communicari creaturis, cur non & virtus creandi? In posterum ergò creaturæ in Papatu poterunt se ipsas creare! 6. Sed respondeat tandem Pontificius Pontificio. *Sed hoc modo*, ait Vasquez vester l. 1. c. 7. n. 44. *quo Cajetanus, Hosius & alij Theologi tenent, non potest defendi argumentum dignitatis in operibus nostris; quoniam opera dicuntur dignitatem & valorem accipere à persona, à qua proximè procedunt, non autem à persona, à qua provenit gratia. Sed cùm persona Christi non eliciat opera nostra, minimè accipiunt incrementum dignitatis à Christo, sed ex persona eliciente secundum dignitatem justitiæ & sanctitatis: alioquin sequeretur, opera nostra esse infiniti valoris ad infinitam gloriam merendam.* Quid videtur jam D. JCte? num adhuc dices, opera vestra mereri ex meritis Christi? Ad 3. (quod & ex jam dictis haud obscurè liquet) audi & eundem Vasquez. *Est catholicæ doctrinæ* ait in 1. sec. tom. 2. d. 214. *magis consentaneum, primum valorem & dignitatem vitæ æternæ absq; ullo pacto & favore operibus justorum adscribendam esse &c.* Et paulo post addit, *Operibus justorum nullam accessionem dignitatis provenire ex meritis Christi, aut ex ejus persona.* En ergo, quanta vobis fiat injuria ab illis, qui dicunt *vos docere, homines posse per opera sua sine merito Christi sibi cælum acquirere!* Provocas ad Concil. Tridentinum: sed frustra: illud enim dicis gratiâ duntaxat aliquid de Christi gratiâ mussitat: & Theologi vestri dum urgentur, satis produnt prætextus hujus vanitatem. Dedit jam Vasquez specimen: dat etiam Bellarminus, dum ait l. 5. de Justif. cap. 3. *Magis honorificum esse habere aliquid ex merito, quàm ex solâ donatione.* Ipsum Concil. Tridentinum, quamvis fateatur, *bona opera esse Dei dona*, pertendit tamen *esse merita hominis justificati Sess. 6. can. 32.* Jesuita Pererius paratus est rationem inire cum Deo. Sic enim ait in c. 6 ad Rom. disp 10 *quia per liberum nostrum arbitrium cooperamur gratiæ Dei & verè sumus causa*

operum,

operum, quæ facimus, & opera nostra verè nostra sunt & merita sunt apud Deum. Quid? Papicolæ adeò opponunt merita sua passioni Christi, ut *Index Expurgatorius Cardinalis Quirogæ au.1584. Madriti editus & Index Expurg. Lusitanus an.1424 Lubonæ impressus,* jubeāt obliterari hæc verba, *Credis, te non pervenire ad gloriam propriis meritis, sed merito & virtute passionis Domini nostri J. Christi?* Et porrò. *Credis, quòd D.N.J.C. mortuus sit pro nostra salute? & quòd propriis meritis vel alio modo nullus possit salvari, nisi in merito passionis illius? (vid. liber, qui Ordo baptizandi inscribitur, Venetiis impress.)* Perpendat jam D. JCtus, quanti ii, qui tales propositiones eradi jubent, Christi meritum faciant!

V. Aggreditur nunc Vir rem ipsam, & accumulatis variis Scripturæ locis operum meritum evincere conatur. Videamus jam brevitatis gratiâ aliqua duntaxat, & quidem ea, quæ & à Jesuitis hodie maximè urgeri solent. Dicit Christus, verum est, *se unicuiq; redditurum secundum ipsius facta Matth.16 27.* Sed noverit D. JCtus, aliud esse *secundum opera* & aliud *propter opera. Prius* dicit Christus, non *posterius.* Quid hoc autem est *secundum opera?* Si D. JCtum lateat, audiat ipsum Christum explicantem. *Ecce venio citò* (ait *Apoc. 22. 12.*) *& merces mea mecum est, ut reddam unicuiq;* ὡς τὸ ἔργον αὐτοῦ ἔσαι *prout opus ipsius fuerit.* Notatur ergò *proportio qualitatis,* non *æqualitatis.* *Aliud est,* ait Gregorius M. in Psal 7 pœnit. *secundum opera reddere: aliud propter opera reddere. In eo enim quod secundum opera dicitur, ipsa operum qualitas intelligitur, ut cujus apparuerint bona opera, ejus sit retributio gloriosa.* Addit Vir, *bonis operibus passim promitti mercedem.* ℟. Novimus D. JCte, novimus: At tu non minùs nôsse debebas, *à mercede ad meritum non procedere consequentiam*: cùm alia merces sit *debita,* alia *gratuita* Rom. 4.3.4. Pollicetur quidem Deus operibus vitam ut mercedem, sed ut mercedem gratuitam, quæ sic est *merces* Matth. 5.12 46, ut simul sit χάρισμα seu *gratuitum Dei donum* Rom. 6 23 & χάρις *gratia* Luc. 6. 32. Sed instruat Pontificius Pontificium. *Si aliquando,* ait Ferus vester in Matth. 20.1 *mer-*

 cedem

cedem audis polliceri, scias non ob aliud esse debitam, quàm ex promissione divinâ, gratis promisit, gratis reddit. Si igitur Dei gratiam & favorem conservare cupis, nullam meritorum tuorum fac mentionem. Tu igitur cum Jesuitis tuis merita crepantibus, judice Fero vestro, Dei gratiam & favorem non conservas.

VI. Respondes ad hæc, *de vocibus non esse multum litigandum, sufficere tibi Christi promissionem, quâ bonis tuis operibus mercedem promiserit.* At quis non videat, hærere tibi aquam D. JCte? Litigamus ne nos de voce, cum adducimus distinctionem, quam suppeditat ipse Paulus Rom. 4. 3. 4? Ait proba, *Christum, dum promittit se pijs daturum mercedem, intelligere mercedem ex debito*, aut fatere *te nobis nihil ad rem respondisse.* Addis, *hominem posse per pœnitentiam viviscere* Luc. 15 sed quid quæso ad rem? addis porrò, *eum, qui diligit Deum, habere coronam vitæ Jacob. 1. 12* sed quid & hoc ad rem? proba, *habere ut mercedem ex debito.* Sic cætera, quæ cumulas, Scripturæ loca ne minimum quidem ad rem. Unus ex citatis locus, videtur causæ vestræ favere, nim Luc. 7. 47. at videtur tantum: non favet. Videamus verba *Dico tibi*, ait Christus, *remissa esse multa illa peccata ipsius: nam dilexit multū* Hîc vocula ὅτι *nam* vel *quia* non est *causativa* sed non duntaxat *illativa*, ita ut Christus à dilectione, non tanquam à causâ, sed tanquam à signo concludat, *multa peccata ei esse remissa.* Probant hoc verba sequentia, *cui autem paululum remittitur, paululum diligit.* Ubi dilectio apertè remissioni postponitur. Sed respondeat Pontificius Pontificio. *Argumentum est*, ait Jesuita Salmero in 1. Joh. 3. disſ. 23. *ab effectu & signo, cujus quidem argumentationis plura exstant in Scripturis. Ubi multa ista dilectionis signa*, inquit Cardinalis Toletus in cap. 7. Luc. annot. 73 *apparent, judicandum est, magnam PRAECESSISSE peccatorum ac debitorum remissionem.* Idem responsum habeant Monachi ad Loc. Matth. 25. 34. 35. quem ipsos crepantes non semel audivi. Voculæ *nam* & *quia* non semper adhibentur ad significandam causam, sed sæpe ad indigitandum signum: ut quando dicimus; *hic ignis est, nam fumus adest;*

adest; nemo est, qui asserat, *fumum esse causam ignis*: cùm è contrario ignis sit causa fumi. Sic Matth. 26.73. domestici Pontificis dicunt Petro, ipsum esse Galilæum & Christi discipulum, addentes, *nam dialectus tua te prodit*: cùm illa dialectus demum esset hujus rei signum, non causa. *Hujusmodi particulas* quia *&* quoniam *non causam aliquando, sed effectum significare, innumera vel in solis Psalmis exempla sunt*, inquit Jesuita Maldonatus *in Joh. c. 8. 29.* Quando proinde Christus ad electos suos dicet, *venite benedicti Patris mei, hæreditate possidete regnum, paratum vobis à jacto mundi fundamento: NAM esurivi & cibastis me* &c. vocula *nam* non est causalis: quia 1. promittit regnum hæreditate possidendum: jam verò notum est hæreditatis possessionem non fundari in meritis, cùm eam etiam pariter adeant infantes 2. quia dicit, illud regnum electis paratum esse à jactis mundi fundamentis: quid autem illi tum poterant mereri, cùm nondum existerent? *Confer Rom. 9.11. Eph. 1.4. Apoc. 3.8.* Ubi legis nomina electorum in libro vitæ esse scripta jam inde à jactis mundi fundamentis.

VII. Addis, *Deum, ut fidelem & misericordem Patrem teneri promissionibus suis*: at quid hoc ad rem D. JCte? fatemur, Deum promissionibus suis teneri, *quia verax & fidelis est*: Sed plura exiguntur à Coryphæo vestro, Bellarmino: *jam verò bona opera justorum*, ait l. 5. de Justific. c. 17. *esse meritoria vitæ æternæ ex condigno NB non solum ratione pacti & acceptationis, sed etiam ratione operis, ita ut in opere bono ex gratia procedente sit quædam NB proportio & æqualitas ad præmium vitæ æternæ, probatur.* En doctrinam abominandam! juxta quàm Deus tenebitur ratione ipsiusmet operis, & dependebit creator à creaturâ.

VIII. Fatetur tandem D. JCtus, nullum, *si verum esset assertum Catechesis nostræ, nostra etiam præstantissima quæque opera in hac vita esse imperfecta, atq; adeò peccatis inquinata*, operum nostrorum coram Deo meritum obtinere: at probavimus Viro suprà modo ex Es. 64.4. Addimus jam testimonium Pauli Rom. 7.18.

Novi enim, non habitare in me (id est, in carne mea) bonum: nam velle adest mihi, sed, ut, quod bonum est, perficiam, non assequor. Non enim facio bonum, quod volo, sed malum, quod nolo, hoc ago &c. Audis D. JCte? annon Paulus hîc fatetur, *opera sua, etiam præstantissima, esse imperfecta, adeoq; peccatis inquinata?* Idem fatentem audi Johannem *1.c.1.8.* & Davidem Psal. 143.2. &c. *At si anima devota*, inquis, *ardentes ad Deum fundit preces* &c. *Si veram peccatorum elicit contritionem* &c. *Si quis ex sincero animo eleëmosynas eroget in pauperes* &c. *quis eò impietatis procedat, ut affirmare ausit, hæc sancta exercitia non duntaxat esse imperfecta sed & peccatis inquinata.* Oppone hoc Paulo, oppone Johanni, Davidi, aliisq; Sanctis, qui haud dubiè *ardentissimas ad Deum fuderunt preces, veram elicuerunt contritionem, eleëmosynas pauperibus erogarunt* &c. & tamen ut supra audivimus, fatentur *in se (id est, in carne sua) non habitare bonum* (perfectum) *velle sibi adesse, sed ut, quod bonum est, perficiant, se non non assequi.* Qui non assequuntur perfectionem in sacris suis exercitiis, quomodo in iis sunt perfecti D. JCte? Annon *preces debent fundi, contritio elici, eleëmosynæ dari* ex amore Dei & proximi: at in quo is omnimodè perfectus reperitur? *nam cùm* (ait Augustinus *l. de perf. justit. c.8.) adhuc est aliquid carnalis concupiscentiæ, quod vel continendo frænetur, non omnimodo ex tota anima diligitur Deus.* Addis, *sic nullus hominum salvaretur* &c. Miror responsum. Atqui tamen Paulus aliique Sancti, licet operibus suis perfectionem cum Papicolis non tribuerint, salvati sunt? quomodo autem? merito Domini JESU: *Is venit in mundum*, ait Paulus, *ut peccatores servaret; quorum primus sum ego. 1.Tim.1.15.* Per *hunc solum*, qui salvantur sunt, salvantur, non *per opera* Act. 4. 12. Verum est, *nihil immundi ingressurum esse in cœlum*: at non minùs verum, *sanguinem D. JESU nos mundare & purgare ab omni peccato 1.Joh.1.7.* In *hoc* qui non quærunt suam salutem, sed in suis operibus, næ illi salutis nunquam participes evadent!

IX. Addis porrò, *num ergo Sp. Sanctus impuram justitiam operabitur?* Absit D.JCte! Si in nobis nihil esset præter Spiritum Dei,

Dei, nihil imperfectionis superesset: at quia, quamdiu hîc peregrinamur, *caro concupiscit adversus Spiritum, Spiritus autem adversus carnem: hæc autem inter se opposita sunt*, hinc fit, *ut non, quæcunque volueritmus, faciamus*, teste Paulo Gal. 5. 17. Opera ergò nostra, quatenus à Sp. Sancto sunt, bona sunt & perfecta, sed illis nonnihil imperfectionis admiscetur à nostra carne. Pergis, *Mulier illa, quæ alabastrum unguenti pretiosi in caput Christi effudit, fecit teste Christo, bonum opus Matth. 26. 10. At non ex sententia Reformatorum; quia fuit adhuc peccato inquinatum*. Itáne D. JCte? Nomina mihi ergò aliquem ex Reformatis, qui dixerit, *opera fidelium non esse verè bona?* Opera fidelium non esse *perfectè bona* dicimus: sed non: non esse *verè bona*. Paulus omnia sua opera gratiæ divinæ accepta refert 1. Cor. 15. 10. quod autem à gratia Spir. Sancti producitur, quî non fuerit verè bonum? *perfectè bonum* interim in nobis non est ob imperfectionem sanctificationis & peccati reliquias. Quæ adjungis de fide, non minùs irrita sunt. Non enim asserimus, ipsam fidem esse peccatum, sed duntaxat, defectus ei adhærentes: fides autem est causa instrumentalis justificationis non respectu talium defectuum, sed actus ipsius, à Sp. Sancto in cordibus nostris producti. Perhibet, verum est, Christus discipulis suis testimonium, *quòd puri sint* Joh. 13. 10. at si hoc intelligendum est absolutè, doceat me D. JCtus, quomodo illos docuerit quotidie precari, *Remitte nobis debita nostra* &c. Item, quomodo Johannes dicat; *Si dicimus, nos peccatum non habere, nos ipsos fallimus & veritas in nobis non est 1. c. 1. 8.* Intelligendum ergò est ratione *reatus actualis & maculæ quoad dominium*, non quoad *inexistentiam*, quo sensu Paulus dicit, *nulla igitur nunc* est *condemnatio iis, qui* sunt *in Christo* Jesu *Rom. 8. 1.* Nota, ipsum non dicere, *nihil esse condemnabile*, (adeoq; non negare, *peccatum esse in nobis*) sed *nullam condemnationem*. Et quid? annon ipse Christus idem eodem ℣. satis innuit, cùm ait, *ei, qui lotus est, non opus est, nisi ut pedes lavet? toti loti* interim erant Apostoli & *tota pulchra* est Christi Ecclesia, *pulchra ut luna, pura ut sol* Cantic. 6. 9.

quia nullæ maculæ ei imputantur, quippe per Christum condonatæ. Quî interim D. JCtus loca Cantici, quæ aliàs Papicolæ ad Mariam referunt, de Ecclesiâ hujus vitæ intelligit? num ergò ea ita expers peccati est, ut juxta Papicolas B. Maria fuit? *O Sancte David* (hac jam utitur Vir Apostrophe,) *qui fuisti vir secundum cor Dei* &c. *in cujus corde Scrutator cordium nihil invenit Ps. 17.3. tu ne nihilominus in iis partibus, in quibus Dei cordi placuisti, impurus esses?* &c. En quàm egregiè causidicus ille causam Davidis tueatur! Nescit Vir distinguere inter *justitiam causæ* & *personæ*: cùm David dicit Psal. 17. 3. *Deum in corde suo nihil invenire*, intelligit *nihil fraudis & doli adversus hostes suos*: audi versum primum ejusdem Psalmi: *Exaudi*, ait, *Jehova justitiam, attende ad clamorem meum, aurem præbe orationi meæ*, quam habeo בלא שפתי מרמה *absq; LABIIS DOLOSIS.* Commendat ergò causam suam Deo, utpotè quæ justa sit, & in qua ille, ut hostes, nullo utatur dolo. *Confer Psal. 7. 9. & 18. 21.* Cæterùm quando loquitur de justitia personæ, audi, quid dicat. *Delicta sua*, ait, *quis intelligat? ab occultis libera me Domine. Psal. 19. 13.* Item. *Si iniquitates observaveris Domine, quis possit consistere? Psal. 130. 3.* Porro. *Ne ingredere in judicium cum servo tuo: nam non est justus coram te ullus vivens. Ps. 143.* Liceat jam & mihi simili uti apostrophe; *O Sancte David, qui fuisti Vir secundum cor Dei, & nihilominus dixisti, nec te nec ullum alium coram Deo esse justum & in[illegible]urum: quid non dicturus esses, si videres hodiernos Papicolas operum suorum puritatem jactitantes, eorumque merita crepantes? haud dubie in hæc erupturus verba; O Papicolæ, quæ vos dementia cepit? Vos ne vultis more Pharisæorum vos ipsos justificare coram Deo, judice vestro? vos ne vultis mundi esse coram Deo, coram quo nemo dicere potest, mundum est cor meum, purus sum à peccato Prov. 20 9. Coram quo nemo innocens est Exod. 34. 7.? Si ille velit cum homine contendere, non respondebit ei ad unum ex mille* Job. 9. Quod addis, nos docere, *bona opera esse peccata*, calumnia est: nullus enim nostrûm id absolutè dixit: bona opera dicuntur nobis peccata *secundum quid* tantum & *per accidens* (non suo genere, *per se*

&

& *simpliciter) propter adhærentem imperfectionem*, addimus, *si secundum legis divinæ rigorem censeantur.* Sed audiat Papista suos Papistas. *Etiam in operibus bonis*, ait Joh. Ferus in Matth. 12. *nonnihil mali occurrit. Quamvis enim qui in Christo sunt baptizati, Christum induerunt, Christus autem justitiam secum adfert, tamen nondum planè interiit Adam ille vetus, unde fit, ut cùm Christus gratiâ suâ ad bona opera exstimulat, ipse Adam, id est, perversa natura adjiciat vel aliquid propriæ complacentiæ, vel proprij commodi &c. quo fit, ut opus ipsum nunquam sit perfectum, quamvis ex misericordia Dei non imputetur pijs.* Audi & Cotonum vestrum. *Semper aliquid hominis*, ait is Institut p 804. *est in actionibus nostris, hoc est, aliquid imperfectionis & miseriæ admixtum.* En hîc fratres tuos, eadem, quæ nos, docentes! cum illis tu ergò in posterum disputare poteris.

X. Solus Jesaiæ locus c. 64. 6. huic Pharisaïco Papatus fastui deprimendo sufficere posset; *Facti sumus, ut immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatæ omnes nostræ justitiæ.* Excipit quidem D. JCtus, *non de hodierna Christianâ, sed veteri Judaïca Ecclesiâ, quæ tum temporis à Deo defecerit, Prophetæ sermonem esse:* verum frustra: Loquitur de vera Dei Ecclesia, cujus membrum erat ipse Propheta (dicit enim *omnes justitiæ nostræ*) quæ quidem Deum gravissimè offenderat, sed quæ etiam peccatum suum humillimè confitebatur, ut contextus docet. Verum est, *à Judæis ad nos non procedere universaliter consequentiam*: interim, an non procedat in precibus & peccatorum confessionibus (quales hoc capite proponuntur) vellem, me doceret D. JCtus: sic possent Jesuitæ Psalmos Davidicos abrogare! Discat in posterum Vir distinguere inter moralia & ceremonialia! Sed en, quàm firmiter nos non illaqueet Vir ex ℣. sequenti! Vult hîc sermonem esse de hominibus impiis & sceleratis: probat, quia immediatè additur; *Nec ullus est, qui invocet nomen tuum* &c. At quis non rideat? Num ergo Propheta se accensuit merè impiis & sceleratis? num scelerati dixissent, *omnes justitiæ nostræ?* Verba

illa;

illa; *Nec ullus est, qui invocet nomen tuum*, non sunt *simpliciter* intelligenda: jam enim & invocaverat & adhuc tum populus ille ore Prophetæ Deum invocabat: sed *secundum quid*, scilicet, *ut nos decet*. Sed quid utor ambagibus? Veni tu Gerson Papista, & Papistæ huic obstrue os. *Quid*, ais l. 4 de Consolat. *Esaias se cum cæteris involvens, sibique vilescens, humili confessione protulerit, legimus; Omnes justitiæ nostræ, tanquam pannus menstruatæ. Quis ergò justitias suas velut gloriabundus ostentaverit Deo plus quàm pannum confusionis suæ mulier viro?* Loquere tu etiam Bernharde. *Nostra*, inquis Serm. 5. *si qua est humilis justitia, recta forsitan, sed non pura. Nisi forte nos meliores esse credimus, quàm patres nostros, qui NB. non minùs veraciter, quàm humiliter ajebant; Omnes justitiæ nostræ, tanquam pannus menstruatæ mulieris. Quomodo enim justitia pura, ubi adhuc non potest culpa deesse?* Eat jam D. JCtus & in posterum causæ suæ meliùs consulere discat! Ad reliqua interim sequenti cap. XV. (ubi eadem crambe ab ipso recoquitur) responsum inveniet.

XI. S. Patres, ad quos jam provocat, ab hac Pharisaïca doctrinâ abfuerunt, quàm qui longissimè. Audi Augustinum. *Christus*, ait l. 4. ad Bonif. c. 4. *pro nobis solus suscepit sine malis meritis pœnam, ut nos per ipsum sine bonis meritis consequeremur indebitam gratiam.* Audi & Hieronymum. *Tunc*, inquit l. 1. cont. Pelag. *justi sumus, quum nos peccatores fatemur, & justitia nostra non in proprio merito, sed in Dei consistit misericordiâ.* Adjunge his Cyprianum. *Remunerat* ait is Ep. 99. *Deus in nobis, quod ipse præstitit, honorat, quod ipse perfecit.* Assentitur Basilius in Psal. 114. dicens; *Manet requies sempiterna illos, qui in hac vita legitime certaverint, non tanquam debitum operibus redditum, sed ob munificentissimi Dei gratiam.* Calculum suum etiam addit Chrysostomus homil. 2. ad Coloss. *Cur vocat hæreditatem? ut ostendat, neminem ex bonis suis actionibus & rectè factis regnum assequi* &c. *Nemo enim sic se vitam probavit instituisse, ut dignus habeatur regno, sed quicquid id est, donum est ejus: propterea dixit, cùm omnia feceritis, dicite servi inutiles*

utiles sumus, quæ enim debuimus facere, fecimus. Similia leguntur apud Origenem *in cap. 3. ad Rom* & alios. En jam, quàm veraciter dicas, *Catholicam Ecclesiam hunc articulum semper ita vobiscum credidisse!* si nominâsses *Ecclesiam Pharisaïcam*, longè veracior extitisses. S. Patres si quandoque loquuntur duriùs (quod subinde à Tertulliano, Cypriano & aliis quibusdam fieri, cum Centuriatoribus non nego D. JCto) exponendi sunt ex S. Patribus, i.e. duriora illa dicta, quibus quandoque, demegoricè loquentes, ad commendandum hominibus eò efficaciùs bonorum operum studium, fuêre usi, ex aliis locis (qualia superius adduximus) in quibus dogmaticè & ex professo hoc argumentum tractantes, omne meritum propriè dictum respuunt, sunt explananda.

XII. Sed tandem, quid judicandum sit de hac Pharisaïca Papicolarum doctrinâ, colligere liceat ex ejus effectibus. Utut enim meritorii nostri maximè sua crepent merita, dubitant tamen, an tandem iis fidendum sit. Vult enim Bellarminus l. 5. de justif. c. 7. *propter incertitudinem propriæ justitiæ & periculum inanis gloriæ tutissimum esse in sola misericordiâ Dei & benignitate fiduciam totam reponere. Vide & Tirinum contr. 16. num. 12.* Quis viros non miretur? si propriæ justitiæ est incertitudo, si inanis gloriæ periculum inde timendum, cur fastosæ suæ de meritis opinioni non vale dicunt? cur non volunt potiùs cum Paulo *comperiri in Christo, non habentes suam justitiam, quæ est ex lege sed eam, quæ est per fidem Christi Phil. 3. 9?* Sed quid? in ipso Canone Missæ *post Consecr.* missifex (immemor dicti Bellarminiani; *Magis honorificum esse, habere aliquid ex merito, quàm ex solâ donatione l. 5. de Just. c. 3.*) merita sua deponit, dicens; *Non æstimator meriti, sed veniæ largitor admitte &c.* Nempe cùm Missa instar centonis ex variis laciniis (ut supra audivimus) consuta fuit, immistum etiam ei quid fuit ex precibus, tempore sanioris adhuc Ecclesiæ usitatis, quod jam Missæ confutandæ inservit. Ad praxim etiam dum olim itum, fuit in Papatu contra Papatum, id, quod nos do-

 cemus,

cemus, stabilitum, ut patet ex hac, quæ Anselmo tribuitur, formulâ; *Credis, te non posse nisi per mortem Christi salvari?* Respondet ægrotans, *Etiam*: Tunc illi dicitur; *Age ergò, dum superest in te anima, in hac sola morte fiduciam tuam constitue, in nulla alia re fiduciam habe; huic morti te totum committe, hac sola te totum contege*, &c. Relatum mihi à fide dignis Ecclesiæ Pontificiæ Viris, etiam hodie Sigenæ unicum apud ægrotos meritum Christi à Jesuitis urgeri, nullosque Sanctos, ne B. Mariam quidem, invocari. Placet nobis hoc: Pergant ita Viri Papistæ Papatum pessundare! pergant ita praxi sua docere, illis, qui Papisticè vixerunt, si velint salvari, Reformatè moriendum esse.

CAPUT XI.

De Precatione pro defunctis seu purgatorio.

PRogreditur jam D. JCtus ad probandum Papicolarum purgatorium: qua in re & de Papa & de ipsius Clericis, utpore quorum hinc calent culinæ, optimè meretur. Videamus autem interim, quî Vir rem istam probet! *Non intrabit*, ait, *quicquam, quod immundum est, in regnum cœlorum Apoc. 21. 27.* &c. *Homines die extremo de quovis verbo otioso oportet reddere rationem. Matth. 12. 36.* &c. Sic est D. JCte: Sed quid inde pro purgatorio vestro? *Jamne possibile* (pergis) *justitiæq; divinæ congruum esset, ut, quemadmodum sceleratissimi peccatores, ita & illi, qui forte in re parva impegerunt atq; ita in parvo aliquo peccato moriuntur, à justissimo judice pari passu in ignem æternum sine spe ullius redemptionis præcipitentur?* Vanissima argutatio, nixa falsissimâ distinctione *peccati mortalis* & in se *venialis*, quam alibi pluribus discussimus. Omnia peccata, sive magna sive parva in se & naturâ suâ sunt

mor-

mortalia: veniale *in se & ex se* est in & ex se inane monachorum commentum. Quemadmodum autem Deus reprobos ex justitiâ propter peccata magna & parva damnat; ita electis suis omnia peccata sive magna sive parva ex gratia propter Christum remittit, eosque æternùm salvat. *Notum sit vobis fratres*, ait Paulus Act. 13. 38. 39. *annuntiari vobis remissionem peccatorum per istum, & ab OMNIBVS, à quibus per legem Mosis absolvi non potuistis, per hunc, quemcunque credentem justificari.* Non igitur pars peccatorum remittitur, pars retinetur. In posterum jam D. JCtus potiùs ita secum ratiocinari discat. Si Deus electis suis graviora peccata ex gratiâ remittit, quî non iis ex eâdem gratiâ remittet leviora? Num creditor, qui debitori suo gratis remittit debitum decies mille ducatorum, eidem non quoque gratis remittat debitum quatuor aut quinque obolorum? an eum propter quatuor obolos in carcerem conjiciat & eum decem aut plures annos maximâ hujus mundi pœnâ afficiat? Multo minùs hoc in Deum cadit, qui ipse testatur, quòd nobis totum debitum gratis remittat Matth. 18. 12. Verum est, Matth. 5. 26. dici, *nequaquam exibis illinc* (i.e. ex carcere illo) *donec persolveris ultimum quadrantem.* At probandum D. JCto (1), *per carcerem ibi intelligi purgatorium*: probandum (2) *per ultimum quadrantem intelligi venialia peccata.* Utrumque falsissimum. Veni tu Lyra Papista & Papistam tuum melius instrue. *Non exies inde*, ais in c. 5. Matth. *donec reddas novissimum quadrantem, i. e. nunquam exibis, quia in inferno nunquam possibilis est redditio.* Veni & tu Thoma, Doctor Angelice, & meliùs doce tuum JCtum. *In hoc autem, quod dictum est*, inquis in Caten. in Matth. *donec solvas, significatur pœna æterna, sicut positum est* donec, *ubi dictum est*, sede à dextris meis, donec &c. *Ita & hic accipi potest*, non exies donec solveris novissimum quadrantem, *semper non exiturum, quia solvet semper novissimum quadrantem, dum sempiternas pœnas peccatorum luit.*

II. Pergit jam D. JCtus & purgatorio suo probando adhibet dictum Christi Matth. 12. 32. *Quicunque dixerit verbum con-*

 tra

tra filium hominis, remittetur ei, qui autem dixerit contra Sp. Sanctum, non remittetur ei neq; in hoc seculo neq; in futuro. Dictum agnosco, sed Papicolarum inde purgatorium nullus video. Conatur tamen Vir hinc ignem istum sufflare: quàm bene, videamus. *Si dantur*, ait, *aliqua peccata, quæ nec in hoc, nec in futuro seculo remittuntur: Ergò sequitur alia esse, quæ post hanc vitam in purgatorio remittuntur.* ℞. 1. Consequentiam esse ridiculam. Quæ enim quæso consequentia; *Remittentur peccata in futuro seculo: Ergò in purgatorio?* Annon per *futurum seculum* veriùs intelligetur *resurrectio mortuorum* & *judicium extremum?* audi ipsum Christum. *Filij hujus seculi ducunt uxores & nuptum dantur. Illi verò, qui digni habebuntur seculo illo & resurrectione mortuorũ, non nubent &c. Luc. 20.34.* Hoc autem die remissum iri peccata (non quidem *inchoativè*, sed *declarativè*, ut enim jam à Christo sententia, quæ pronuntiatur in terra, habetur rata in cœlo Matth. 18. 18. ità tunc declarabit, se habere ratam Rom. 2.19.) docet Paulus, 2. Tim. 1.18. pro Onesiphoro ità precans; *Det ei Dominus invenire misericordiam* (quod nihil aliud est, quàm *obtinere remissionem peccatorum*, declarante Petro Act. 3.19.) *apud Dominum in die illo.* ℞. 2. etiam id, quod Papicolæ assumunt, non probari ex allegato loco. Phrasis enim, οὔτε ἐν τούτῳ τῷ αἰῶνι, οὔτε ἐν τῷ μέλλοντι, interprete Marco cap. 3. 29. nihil aliud sonat quam NUNQUAM. Matthęus proinde hac Hebræis usitatissimâ phrasi (ולא בעולם הזה ולא בעולם הבא) docet, *blasphemiam in Spir. Sanctum nunquam remissum iri*; quod & Lucas innuit, dicens c.12.10. οὐκ ἀφεθήσεται. Erudiat me D. JCtus, cur per alterum seculum potiùs intelligend⁹ veniat ignis, quàm aqua! proferat mihi præterea ullum ex veteribus, qui hunc locum cum Papicolis de purgatorio intellexerit. Audiat interim Ferum, Franciscanum. *Christus* ait Commentar. in h.l. *minùs dicendo plus significat, vult enim, quòd non solùm in futuro, sed etiam hîc punitur talis crimen.*

III. Addis, *etiam mortuis, teste Syracide c.7.35.37, esse exhibenda beneficia.* ℞. 1. Sit ita, quid inde? *Si sunt in cœlo*, ais, *ulterius*

nihil

nihil possumus: multo minus, si sunt in inferno, unde non datur redemptio, ipsis benefacere possumus: Ergò tertius locus sit, oportet; unde vi beneficij seu intercessionis nostræ detur redemptio: quasi verò non queamus alio modo erga mortuos, ipsorum corpora honestè sepeliendo, eorumque nomen in posteris colendo, *(vid. Ruth. 1. 8.)* benignitatem, seu (juxta text. Græcum) χάριν exercere! 2. Quæ vis argumenti ex libro apocrypho D. JCte?

IV. Addis porrò, *Si ita res se non haberet, incassum, teste Paulo, laborarent, qui pro mortuis baptizantur 1. Cor, 15. 29.* Egregia purgatorii probatio! Ostende mihi ex S. Patribus, quos toties crepas, ullum, qui hunc locum de purgatorio intellexerit. Inter ipsos Theologos vestros tanta circa ejus interpretationem est convenientia, quanta inter capita vulpium Simsonis: & tu tamen tam audacter nobis eum opponis, ac si totidem syllabis purgatorium vestrum innueret. Audiamus probationem! illa ex mente tua huc redit. *Si dantur juxta Apostolum, qui baptizantur, i. e. orando, clamando jejunando se affligunt pro mortuis: Ergo datur purgatorium: atqui &c. Ergo.* ℞. 1. negando Consequentiam: hæc enim à precibus pro mortuis ad purgatorium vanissima est, ut sequentia docebunt. 2. Etiam Assumptum falsissimum; Sumitur quidem *baptizari* Marc. 10. 38. Matth. 20. 20. Luc. 12. 50. (ad quæ loca Jesuita Elffius provocat) pro *affligi*: sed non pro *affligere*: sumitur *passivè*, non *activè*: sumitur pro iis, qui ab aliis affliguntur, non pro iis, qui se ipsos affligunt, ut vult Bellarminus *l. 1. de purg. c. 6.* Si proinde verbum *baptizari* hac impropriâ significatione sumatur (ut sumi potest: imò verè sumi, à me quondam *in Exercitat. meis Philologico-Theologicis cap. 5. quæst. 7.* fusiùs est demonstratum) hæc, ut Jesuita Maldonatus bene observat *disp. de Baptis. tom. 1.* est mens Pauli, *frustra, si non est resurrectio mortuorum, in hac vita quidam subeunt tot pericula.* Applicat idem mox vers. seq. Apostolus ad se & reliquos Apostolos, dicens; *Et cur nos periclitamur omni momento?* & specialius Act. 23. 6. *De spe & resurrectione mortuorum ego in judicium vocor.* Hæc expo-

positio est genuina & ex ipsius contextus visceribus sponte fluens, quam & præter Jesuitam Maldonatum, ex Pontificiis approbat Gagneius *in cap. 15. Act.* scribens; *Mihi quoq; videtur alius esse sensus, ut baptismus pro afflictione & supplicio sumatur, sicuti Christus filiis Zebedæi dicit Marc. &c. Hoc modo ergo sensus esset, quid facient qui baptisantur, hoc est, affliguntur pro mortuis i. e. vel pro spe mortuorum &c. vel pro mortuis i. e. pro asserta mortuorum resurrectione* (ut Christus dicitur *peccatum* i. e. *sacrificium pro peccatuo* 2. Cor. 5. 21.) *pro qua morti se exponere non dubitârunt martyres.* En Papicolas hîc de purgatorio non cogitantes, sed nobiscum hîc veritatem agnoscentes. Contra hos jam in posterum disputare poteris. Et quid? nisi oculos præfractè adversus veritatem clauderes, posses ex ℣. immediatè sequenti; *quare etiam nos periclitamur omni momento?* satis videre, hunc locum purgatorio non favere: Quî enim ii, qui orant, & jejunant pro mortuis quotidie in periculo versantur? id quod de iis, qui quotidie propter nomen JESU persecutionibus obnoxii sunt, verè dici potest.

V. Conaris non minùs imaginarium huncignem accendere ex 2. Macch. 12. 43. ubi dicis legi *Judam Maccabæum Hierosolymam misisse bis mille drachmas, ut offerrentur sacrificia pro occisis, & benefecisse, quòd pro mortuis oraverit, ut ipsis remitterentur peccata:* At non minùs frustra: locum hunc plus millies à Papicolis crepari audivi, sed purgatorium inde probari, nunquam. Est 1. liber apocryphus, nugis & contradictionibus plenissimus, ut suprà pag. 137. pluribus demonstratum. Unus instar omnium jam tibi sit Gregorius I. Papa, cujus auctoritati haud dubiè non refragaberis. Is *l. 19. Moral. c. 17.* citaturus locum ex Maccabæorum libris, ait, *Qua de re non inordinatè agimus, si ex libris, licet non canonicis, testimonium proferimus.* Si autem hoc: quî tu ex his libris articulum fidei statuminare non erubescis? 2. Posito, non concesso, libros Macch. esse canonicos, quid quæso ex verbis citatis pro purgatorio? num quisquis orat pro defunctis, eos credit delitescere in purgatorio & uri? Annon Ecclesia Orientalis

orat

orat pro defunctis, & tamen Purgatorium Papisticum non admittit, quo nomine ea incessitur à Stapletano *p.2.Cath.Prompt.p. 285.* In Canone Missæ Missifex diligenter orat pro mortuis, quos tamen non dicit ustulari in purgatorio, sed *dormire in somno pacis.* Quid? ex illis ipsis, quæ citâsti, verbis liquet preces illas non fuisse conceptas pro defunctis , ut extraherentur ex purgatorio, sed ut die resurrectionis resurgerent ad vitam æternam. Audi enim verba sequentia. *Benè & religiosè de resurrectione cogitans;* εἰ γὰρ μὴ τοὺς προπεπτωκότας ἀναστῆναι προσεδόκα, *nam si eorum, qui antè ceciderant resurrectionem non exspectasset, superfluum & delirum fuisset orare pro mortuis.* Papicolæ ergò, dum non pro resurrectione, sed pro liberatione ex flammis purgatorii orant, judice hoc Auctore, rem superfluam & deliram peragunt. Sed 3. Annon purgatorium vestrum est destinatum purgandis iis, qui in peccatis venialibus moriuntur D. JCte? Atqui ii, pro quibus Judas sacrificia fieri volebat, in ipso raptu & idolololatriâ adeoq; peccato mortali mortui fuerant. *Inveniebantur* enim *sub tunicis cujusq; eorum, qui erant mortui, res sacratæ idolis* Jamniensibus *vers. 40.* Quî ergò ingressi fuère purgatorium? Dicesne cum tuo Elffio, *milites aurea idola rapuisse non animo ea adorandi, sed ex cupiditate ditescendi, quæ veniale peccatum fuerit?* ridiculum. Ubi enim legit Jesuita, *illos rapuisse aurea idola?* hoc fingit homo. *Res idolis sacratas rapuerunt*, contra expressam Dei legem Deut 7. 25. Hoc ne Jesuitis est peccatum veniale? nim. peccatum per subitam metamorphosin pro libitu istorum Dominorum ex *mortali* in *veniale* & *contrà* (an forte *ex cupiditate ditescendi*, ipsi viderint) transit. Addit Jesuita, *aut si peccatum mortale fuit, Judas existimavit, illos ante obitum suum resipuisse.* At unde nobis probabit Vir, Judam id existimâsse; cùm de eo ne gry quidem in textu? Adeo ne hebes Judas censendus, ut vel sacrilegium inter venialia peccata vel in flagranti peccato interemptos inter resipiscentes referret?

VI. Loca 1. Petr. 4 6. & 1. Petr. 3. 19. quibus hîc purgatorium

rium evincere conaris, supra modò *cap. 1. num. 11.* ab injuriis tuis vindicavimus. Confirmabant tibi illic limbum, hîc purgatorium. Nugæ nugarum! ubi legis, Christum mortuum descendisse in carcerem? ubi fit mentio animæ ejus? Spiritus fit mentio: at quis ille? æternus, per quem se ipsum obtulit Heb. 9. 14. quo est ζωοποιηθεὶς *vivificatus* ℣. 18. at non per animam est vivificatus, sed Deitatis virtute Joh. 10. 18. Præterea Petro 1. c. 3. est sermo non de πιστοῖς *fidelibus*, sed de ἀπειθήσασι *infidelibus* & *tempore Noachi immorigeris* ℣. 20. hi ne tibi in limbo aut purgatorio fuêre? Sed refutet Papista Papistam! *Hunc* ait Andradius vester l. 1. Defens. Trident. *esse planum hujus loci sensum existimo, Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem Spiritu, in quo Spiritu, jam ipse olim veniens, prædicavit spiritibus illis, qui nunc in carcere meritas, jam infidelitatis suæ pœnas luunt, quippe qui Noë recta monenti & arcam Dei jussu construenti fidem habere nunquam voluerunt.* Andradio assentitur etiam Thomas & confirmat hanc expositionem ex Augustino *3. q. 52. art. 2. ad 3.* Respondeat ergò in posterum Papista Papistæ! Conferat interim & ea, quæ à nobis de hoc carcere & descensu Christi ad inferos allata sunt *Cap. 1. n. 11.*

VII. Verum est, *nullum immundum aut inquinatum posse ingredi in regnum cælorum*: at etiam non minùs verum, *sanguinem Domini* J*ESV nos purgare ab omni peccato 1. Joh. 1. 7.* Num *quod Deus purgavit*, Papistæ *adhuc pollutum* dicent *contra Act. 10. 15?* *Fatemur*, verum est, *in nobis, quamdiu hîc vivimus, habitare adhuc peccatum*: at si hinc sequitur purgatorium: sequitur, ipsum S. Johannem venisse in purgatorium, imò omnes fideles, cùm idem nobiscum fateantur 1. Joh. 1. 8. Quasi verò non unà cum morte veteris hominis exuviæ ponantur! Quod Paulus & de se innuit, dùm adeò *ad liberationem ex isto corpore mortis suspiravit* Rom. 7. 24. & de omnibus fidelibus, dum ait; *Qui ingressus est in requiem ejus, etiam ipse requievit ab operibus suis, quemadmodum à suis Deus.* Heb. 4. 10.

VIII. Per-

VIII. Pergis, *non omne peccatum mereri mortem.* Pergo ego, *hoc falsissimum esse.* Contrarium à me suprà modò demonstratum. Provocas ad verba Johannis 1. c. 5. 17. *Est peccatum*, quod *non est ad mortem.* Sed frustra. Non nego, Johannem distinguere *inter peccatum ad mortem & non ad mortem*: At demonstrandum tibi, eum per peccatum, *quod non est ad mortem*, intelligere peccatum, quod naturâ suâ mortem non mereatur. Intelligit potiùs per *peccatum ad mortem* peccatum in Sp. Sanctum, quod κατ' ἐξοχὴν *ad mortem* dicitur, non duntaxat quia mortem meretur, sed quia tale est, ut absolutè sit irremissibile ex se: cujus respectu cætera omnia peccata non sunt ad mortem, non quòd mortem non mereantur, sed quia ex gratiâ Dei remissibilia sunt. Et quid D. JCte? annon Johannes prohibet preces fieri pro peccantibus *peccato ad mortem* ℣. 16.? si jam intelligit de *peccato ad mortem* seu *mortali*, quod vos à veniali distinguitis, quî ergò vos precamini pro mortaliter peccantibus? cur non pro iis tantum, qui peccant venialiter? Porrò, annon idem Johañes dicit, Deum, precibus motum, ei demum daturum vitam, qui *non peccaverit peccato ad mortem* ℣. 16? ergò tuâ obtinente interpretatione, nemo, nisi venialiter peccans, nanciscitur vitam, adeoque David, Petrus aliique Sancti, qui mortaliter peccârunt, vitam non obtinuerunt: imò ergo Deus dat vitam ei, qui vitam non amisit. Quis non rideat? Sed refutet Papista Papistam! *Peccatum* inquit Bartholomæus Petrus Comment. in h. l. *ad mortem nonnulli* (inter quos & est D. JCtus noster) *accipiunt, ut idem sit, quod à Theologis dicitur peccatum mortale: unde secundum eos peccatum non ad mortem debebit intelligi peccatum veniale, mortali ex adverso oppositum. Hæc expositio NB facile refellitur ex verbis Apostoli, ubi dicit, petat & dabitur ei vita, peccanti non ad mortem. Ergò peccatum non ad mortem, Apostolo nuncupatum, abstulerat vitam animæ, & proinde non est Apostolo veniale sed mortale certi generis.* En Papistam veritatem nobiscum agnoscentem & Papistæ os obstruentem! Sic pergat frater erudire fratrem!

Ttt IX. Sed

IX. Sed en D. JCtus purgatorium suum reperit 1. Cor. 3. ℣. 15. *ipse verò servabitur, ita tamen quasi per ignem.* Ridiculum! nam 1. ipse fatetur Bellarminus l. 1. de Purg. c. 5. *hunc locum esse unum ex difficillimis totius Scripturæ*, de cujus sensu etiam ipsos Patres aliosq; dissentire ait, quî ergò hinc tam facilè nectitur argumentum apodicticum pro purgatorio? 2. Loquitur Apostolus de igne metaphorico: patet id ex omnibus circumstantiis: nam *architectus, aurum, argentum, lignum, stipulæ*, quorum ibi meminit, sunt metaphorica, quî ergò tantum ignis esset propriè dictus? maximè cùm Apostolus non simpliciter dicat διὰ πυρὸς, sed ad innuendam metaphoram ὡς διὰ πυρὸς *QVASI per ignem.* At ignis purgatorius est, fingentibus monachis, materialis & propriè dictus. 3. Ignis Apostolicus urit opera ℣. 15: at Papisticus operantes 4. Ignis Apostolicus omnibus est comunis ℣. 13: at Papisticus quosdam tantùm urit. 5. Ignis Apostolicus probat utraq; opera ℣. 12 13 14. At Papisticus non utraque: non enim illi tribuuntur *aurum, argentum* &c. sed solùm *ligna, fænum, stipulæ.* 6. Ignis Apostolicus est *probatorius* ℣. 13. At Papisticus *Purgatorius*: non *probare*, sed *purgare* illis dicitur. 7. Ignis Apostolicus *exurit* & quidem opera ℣. 15: at Papisticus non *exurit*, sed *urit* tantum animas. En ergò quàm firmiter tuum purgatorium huic loco superstruas D. JCte! Audi Sonnium vestrum, Episcopum Buscoducensem. *An dicta Scripturæ* (ait ille *l. 2. Demonstrat. Relig. Christ. tr. 4. c. 3*) *Matth. 5 Luc. 12. 1. Cor. 3. revera demonstrant, esse locum & ignem, quibus probet & puniat Deus animas justorum post hanc vitam?* ℞. *Per se hoc non demonstrant. Non enim loquuntur claro sermone de statu animarum post hanc vitam, & aliam apud nonnullos patres recipiunt interpretationem.* Agnoscit etiam Gregorius *l. 4. dialog. c. 39.* non probari solidè ex hoc loco purgatorium: cùm *possit intelligi de igne tribulationis in hac nobis vita adhibito.* Sic quoque hunc locum exposuit Augustinus *lib. de fid. & op. c. 16. & l. 21. de C. D c. 26.*

X. *Qui hoc non credit*, addis, *dicat mihi, ubi multi illi Sancti fuerint,*

erint, qui post Christi resurrectionem è monumentis suis egressi in sancta urbe apparuerunt multis Matth. 27. 52. 53. 54? Addunt vulgò Jesuitæ quæstionem, *ubi fuerit anima Lazari, Eutychi & aliorum, qui post mortem in vitam fuerint revocati?* En Viros curiosos! Quid si ibi D. JCte & illis responderem *me nescire*, ut respondet Jesuita Maldonatus *in cap. 9. Matth.* de filia Jaïri, quid lucraturus esses? concludesne dari locum tertium? frustra: cùm nobis quæstio sit de locis ordinariis: hæc autem exempla extraordinaria esse, nemo non videt. B. Virgo Maria *in lib. 6. S. Brigittæ c. 94.* sic loquitur; *Sed potes quærere, ubi fuerunt illæ animæ, quas tunc liberavit de inferno* filius meus? *Respondeo tibi, quòd fuerunt in quodam gaudio, noto solùm filio meo.* Si idem tibi responderem D. JCte de animabus istorum Sanctorum, quid inde pro tuo purgatorio? Statuit Jesuita Viegas *in Apoc. 11. Sect. 5.* Enochum & Eliam non commorari in paradiso terrestri, ut vult Bellarminus *l. de gr. pr. hom. c. 14.* sed *in loco amœnissimo, nobis verò incognito*: si tibi jam responderem, Sanctos illos in eodem *amœnissimo loco* commoratos fuisse: quid opponeres? Sed valeant næniæ istæ! Quid absurdi, si dicamus animas Sanctorum fuisse ad tempus receptas in cœlum? Dicesne *ex cœlo non dari regressum?* Respondeat tibi Bellarminus. *Quod autem ex cœlo*, ait l. 2. de purg. c. 8. *aut inferno damnatorum revocari possint ad vitam, videretur incredibile, nisi extarent exempla, quæ negari non possunt. Nam B. Gregorius l. 1. dial. c. 9. scribit, à S. Fortunato excitatum fuisse Marcellinum quendam virum sanctum, qui ab angelis in optimum locum ductus fuerat* &c. Addesne, *receptionem in cælum secum trahere perfectam beatitudinem?* Respondeat tibi Becanus. *Beatitudo*, ait is p. 2. Theol. Scholast. tom. 1. tr. 1. c. 1. q. 12. *& locus cælestis separari possunt, & reipsa aliquando separantur.* Annon Paulus raptus erat in tertium cœlum 2. Cor. 12. 2? an inde mox fuit beatus?

XI. Verum est, Zach. 9. 11. dici, *Deum sanguine testamenti sui eduxisse vinctos suos è carcere, in quo non est aqua.* At quid quæso hinc pro purgatorio? Ubi enim 1. vel minima mentio animarum

& peccatorum venialium? 2. Vincti illi emitti dicuntur *sanguine testamenti*: quî hoc quadrat in laborantes in purgatorio? quos propria purgatione & satisfactione educi vultis. 3. Quî laborantes in purgatorio vobis sunt *vincti in carcere*, cùm referente Bellarmino *l.2. de P. c.8.* vagentur & frequenter nos invisant? 4. Negant non pauci ex ipsis Catholicis tuis, probari hoc loco purgatorium, volentes, eum potiùs favere limbo Patrum (*vid. Bellarminum l.1. de P. c.3.*) illis tu ergò in posterum proba, non de limbo Patrum, sed de Purgatorio intelligendum esse. Quin tu ipse *suprà c.1. pag.8.* limbo Patrum probando adhibes: jam verò, tui immemor, ad purgatorium refers: quis non rideat? Bellarmini & Bailii suavem hîc harmoniam suprà notavimus *cap.1. num.11.*

XII. Probatio purgatorii, quam nunc instituis ab apparitionibus animarum post mortem, non minùs vana est. nam 1. posito non tamen concesso, animas mortuorum quandoq; circumvagari & hominibus apparere; num propterea sequetur dari purgatorium? nequaquam. Audi Bellarminum l.c. *Habemus*, ait, *testimonia gravissimorum Auctorum de regressu animarum ex omnibus receptaculis, præterquam ex limbo puerorum.* Si jam animæ regrediuntur ex omnibus receptaculis, quî valebit consequentia; *Vagantur animæ, apparent hominibus: Ergò datur purgatorium?* quasi verò sic non queant aliunde regressæ esse! Sed 2. animas defunctorum superstitibus apparere falsissimum est: probet hoc D. JCtus Tertulliano *lib. de anim.* probet Chrysostomo *homil.29 in Matth.* probet Theophylacto in c.8. *Matthæi*, qui statuunt, *omnes apparitiones esse dæmonum*: si ipsis nota fuisset hodiernorum monachorum & sacrificulorum praxis, addidissent, *& fraudem monachorum*, qui hominibus sistunt animas *purgatas*, ut ipsis *purgent* crumenas. Refert Erasmus vester lib.22. Epistol. *prope cognatam suam habitâsse sacrificulum, qui opacâ nocte domum ejus aliquoties ingressus se veste albâ indutum animam finxerit: fæminam verò, ipso prudentiorem, ad se quendam amicorum suorum clam accersi-*

cessisse, qui loco exorcismi bono haustu vini, praetereaq; sat apto fuste instructus lectum petierit: Cùm jam anima more solito apparuerit plena gemitibus, exorcistam, excussâ nondum penitus crapulâ, experrectum prosiliisse & ad simulatum istum spiritum dixisse, Si tu es diabolus, ego sum mater ejus, atq; hinc arrepto mox fuste eum egregie dedolâsse, animo ipsum interficiendi, nisi illico clamâsset; desiste, non sum spiritus, sed Dominus Johannes, Sacrificulus. Addit idem Erasmus vester l.c. *eundem sacrificulum varios vivos cancros congessisse, eosq;, alligatis ante ad chelas ipsorum ardentibus cereis, sub festum pentecostes coemeterio imposuisse: cùm jam circà defunctorum sepulchra reptaverint, rem noctu horrendam visu fuisse, hominibusq; inde non exiguum timorem injectum esse: Dominum Johannem autem illis persuasisse, esse animas defunctorum, virtute Missarum suarum jam è purgatorio egressas; donec tandem per repertos sub convulsis muris cancros cum extinctis cereis (omnes enim D. Johannes tam accuratè recolligere non potuerat) fraus innotuerit.* Dies me deficeret, si hîc omnes Monachorum nugas, mihi & per experientiam & ipsorum libros notas, excutiendas susciperem. Adeat Lector *in primis Jacobi de Clusa Monachi Carthus. Librum de Apparit. anim.* & licet vel transmutatus in Heraclitum à risu vix sibi temperabit. Hi nihilominus tamen D. JCto nostro *sunt vincti illi, ad quos Salvator dicit Jes 49. 9. EXITE.* Prô Deum immortalem! quid est illudere Dei verbo, si hoc non est? Verius dixisset Vir, *vinctos illos*, quos monachi per suum purgatorium *EXIRE* faciant, *esse divitum ducatos*, hos enim cùm materiam eorum noverint per ignem esse satis probatam, fictis suis apparitionibus ex crumenis velut è carceribus liberare quaerunt; Non latuit hoc Episcopi Salisburgensis & Chemnensis Suffraganeum: ideo libro, quem inscribit *Onus Ecclesiae*, Landshutae in Bavaria an. 1524. impresso, de illis ità loquitur; *Suis praedicationibus decipiunt simplices & aurum subtili vel fallaci potiùs ingenio ab iis extorquent, de purgatorio mendaciter extrahendo animas, quae sunt Dei judicio reservatae.*

XIII. Pergit D. JCtus, *antiquissimi Judaei ante Christum*

natum, inquiens, *ut & hodierni in universum precantur pro defunctis &c.* ℞. 1. de antiquissimis hoc falsissimum esse: Nominet mihi vel unum ex S. Scriptura (non ex libro Apocrypho, qualis est Maccabæorum) & laudabitur à me. Verum est, *Davidem 2. Sam. 1. 12. & Jabitas 1. Sam. 31. 13. legi jejunâsse:* at non leguntur pro mortuis orâsse: num jejunarunt fortè, ut defunctos è tormentis extraherent, eis impetrarent peccatorum veniam? ubi hac de re vel minimum gry in textu? qui hanc solùm dat hujus jejunii rationem 2. Sam. 1. 12. *Jejunaverunt usq; ad vesperam propter Saulem & Jonathanem filium ejus & propter populum Jehovæ, NB quòd cecidissent gladio.* 2. Jejunaverint tamen & oraverint pro defunctis, quid inde? num sequetur, eos igitur credidisse purgatorium? futilissimam esse hanc consequentiam, supra modò demonstratum. Ad hodiernos Judæos quod attinet, verum est, *eos credere, preces pro mortuis esse salubres, imò reipsa pro iis precari:* at hinc ne Papicolis credendum, dari reipsa purgatorium? cur magis, quàm N. Testamentum esse falsum? nam hoc etiam Judæi hodierni credunt. Rejecerat nobis suprà D. JCtus consequentiam à Judæis V. T. veram adhuc Dei Ecclesiam constituentibus, imò ab ipso Propheta Jesaiâ: jam verò ipse eam it petitum à Judæis & quidem à Deo rejectis, nugivendulis & nequissimis Christianæ veritatis osoribus: quis virum non miretur?

XIV. Sed en liberalitatem Florini tui D. JCte! concedit tibi & insuper, nugivendulos Judæos vobiscum credere purgatorium: habetis ergò tandem, ipso non negante, *purgatorium*, sed *judaïcum*, sed *cerebrinum*; uno verbo *fictum*, quale est Judæorum. Videretur tamen consultum, ut interposito à Sanctitate Papali pariete, saltem papyraceo, barbati Capucini & Minoritæ à barbatis Rabbinis disjungerentur, ne forte in purgatorio disputaturi sibi invicem in crines involarent! Bellarminus *l. 1. de P. c. 11.* oppidò sedulus est, ut firmet suum purgatorium à *Judæorum, Mahumetanorum, Ethnicorum, in specie Platonis, Ciceronis, Virgilij & Claudiani consensu:* sed labori huic parcere poterat

Car-

Cardinalis: cùm ultro largiamur, Papismum, ut in non paucis aliis, ita & hoc in puncto conflatum esse ex Judaïsmo & Ethnicismo. Si in probandis fidei articulis ab harum trium gentium consensu licitum est petere probationem, poterit D. Cardinalis in posterum tantum credere unitatem divinam negatâ trinitate (adeoque se conferre ad Patripassianos, Sabellianos aliosque hujus furfuris socienos) Unitatem enim divinam negata trinitate statuêre (ut à Vossio, Schedio & aliis quàm evidentissimè demonstratur) sapientiores Ethnici, eandemquè cum Turcis statuunt Judæi.

XV. Tolerabilius interim Purgatorium Judaïcum quàm Papisticum: cùm Judæi post duodecim menses (aliquando etiam citiùs) vi precis, quam קד״ש nuncupant, purgatorio exeant, ut præter alios tradit R. Bechai בנונ״ים לג׳הנם יורדין ונדונין שם יב חדש *Medij in Gehinnom descendent & judicabuntur ibi 12 mensibus.* Et Lekach thof שנו רבותינו משפט רשעים בגיהנם שנים עשר הודש *Tradunt Doctores nostri, judicium impiorum duraturum 12 menses.* Papistis autem, teste Bellarmino *l. 2. de P. c. 9.* quandoque ducentos annos, imò quibusdam usque ad diem judicii in purgatorio est sedendum. Hem asperam pœnam! quàm salubre ergò viris esset Judæorum precem קד״ש (quam monitus ex סדר תפילות versam communicare possem) addiscere: sic enim proximo anno eripi possent. Refert Auctor Speculi ardentis ex Tr. כלה *R. Akibhæ, cùm aliquando ad se recreandum exiisset, obviam factum esse virum, eo lignorum fasciculo onustum, cui ferendo neq; asinus neq; equus par fuisset: Interrogâsse R. Akibham, an vir esset, an verò spectrum? virum se esse respondisse; jam quidem mortuum, & sibi singulis diebus tantum onus in purgatorium deferendum esse, quo miserrimè ob peccata in hoc mundo commissa uratur. Denuò interrogâsse Rabbi, an filium nullum superstitem reliquisset, quodnam esset uxoris & filii nomen, & ubi habitarent. His perceptis, illico se eò contulisse, filiumq; repertum precem* קד״ש *docuisse. Hoc facto, non longè post virum illum noctu apparuisse & gratijs actis confessum esse, se jam ex purgato-*

gatorio liberatum in hortum Eden transiisse. Remedium hoc contra purgatorii diuturnitatem R. Akibha deinceps cum omnib⁹ Judæorum Scholis communicavit, eos sedulò ad hanc precem *Kaddisch* adhortatus. Comparent sibi ergò etiam eam sedulò Papistæ! Judæi eis in ea communicanda eò faciliùs gratificabuntur, quòd & purgatorium & ejusmodi opimas de eo nugas (*vide præter suprà cit. Jacobum de Clusa, Antonij Dauroutij Catechismum historial. tom. 2.*) cum Judæis habent communes. Prudenter interim Paparem disposuit, quòd animæ suæ purgatorianæ ita non vexentur in adferendis lignis, ut Judaïcæ, sed ipse ignem foveat pro ratione allatæ à superstitibus pecuniæ!

XVI. Ad S. Patres quàm frustra provoces, patebit ex sequentibus. Fatetur, verum est, Calvinus *l.3. Inst. c.5. n.10. Monicam filium suum Augustinum vehementer rogâsse, ut sui memoria in peragendis mysteriis* (non *in S. Missis*, ut D. JCtus scribit) *fieret ad altare, etiam Augustinum pro mortuâ matre precatum esse:* sed quid inde? docuit etiam Augustinus, infantibus esse administrandam S. Cœnam: item infantes non baptizatos præcipitari in ipsum infernum & torqueri igne infernali (ut supra audivim⁹.) Passus ergò ut in his (etiam juxta Papicolas) ita in illo Augustinus aliquid humani. Addis, *Augustinum potiùs audiendum esse quàm Calvinum.* ℞. fatemur, ubi Augustinus præ Calvino audit Deum in verbo suo loquentem. Ubi autem neuter audit Deum, etiam nos neutrum audimus. Fabulis & figmentis apud nos nullus est locus: sed cum *Missa* vestra *missa* illa facimus, vobis relinquentes ut *Missas*, ita & *spissas*, vobis cum Judæis communes, nugas. Quanti interim à vobis fiat Augustinus, ex his Bonifacii vestri (*in Ep. ad Eulalium*) verbis colligere licet; *Aurelius Carthaginensis Eccl. olim Episcopus cum collegis suis*, instigante diabolo *superbire, temporibus prædecessorum nostrorum Bonifacij & Cœlestini, contra R. Ecclesiam cœpit.* Sed 2. quid hinc pro purgatorio? à precibus pro mortuis ad purgatorium non procedere consequentiam, ex jam dictis patet, & ex sequentibus porrò patebit.

XVII.

XVII. Quæ porrò adjicis, partim aliena sunt, partim superius discussa. Omnia Scripturæ loca, quæ Bellarminus dicis causa profert in gratiam sui purgatorii, & tu ex ipso corradis, quàm nihil probent, agnoscit Fischerus vester, Episcopus Roffensis *artic. 18. contra Luther.* scribens; *non esse in promptu adducere unam aliquam Scripturam, quæ protervientem adigat, ut velit nolit, confiteatur purgatorium esse: Et si aliqua esse possit, tamen diligentissimos inquisitores hactenus latuisse.* O felicem ergo Jurisconsultum, qui, quod *hactenus diligentissimos inquisitores latuit*, in Scriptura jam invenit! Quæsivit olim (teste Thuano *Hist. l. 142.*) Jesuita Cottonus ex diabolo, *quis esset in Scriptura loco, ex quo probari posset evidenter, purgatorium esse.* Jesuitis si tum interfuisset D. JCtus, monstrâsset illis illicò firmam purgatorii probationem: ne socius eorum, in perpetuum societatis pudorem, necesse habuisset ad diabolum se convertere. Non interim tamen ejus probationi fidem habuisset Petrus à Soto: Is enim *Lect. 1. de Purg. in Instr. Sacerd.* apertè dicit, *minùs apertas, minùs efficaces esse & minùs probare autoritates Scripturæ, quæ à doctoribus afferuntur: illis itaque non esse utendum ad probandum purgatorium.* Utitur tamen D. JCtus & quidem in specie illis, quibus in sequentibus frater ipsius, Petrus à Soto, nobiscum apertè fatetur purgatorium non probari. Quis non rideat? Eat ergò D. JCtus cum suo purgatorio & illud suis Papistis ex Scripturâ probet!

XVIII. Ad nos quod attinet, nunquam certè nobis persuadebit Vir nugas suas Purgatorianas, ut qui per Dei gratiam novimus (1) purgatorium longè præstantius, nim. *Sanguinem D. JESV, nos purgantem ab omni peccato 1. Joh. 1. 7.* præter hoc aliud excogitare, nihil aliud est, quàm crucem Christi evacuare. (2) ut duæ duntaxat sunt viæ Matth. 7. 13. ita duos tantùm dari earum exitus, cœlum & infernum Luc. 16. 28. (3) Fideles illicò post suum ex hac vita decessum recipi in cœlum 2. Cor. 5. 1. 2. 8. Apoc. 14. 13. (4) Post mortem nullum superesse resipiscendi locum Eccles. 9. 5. 10. Matth. 25. 10. &c. (5) duos tantum esse ho-

 minum

minum ordines, alios fideles, qui gaudio cœlesti, alios infideles, qui pœna infernali afficiuntur Joh. 3. 16 17. &c. Quid? (quod notetur ad hominem) ipsi Papicolæ tacitè purgatorium suum excludunt. Constituunt enim 1. in Catechismis suis & libellis practicis quatuor tantum novissima, *mortem, judicium, infernum, cœlestem gloriam (vid. Catech. Canisii c. 5.)* 2. Formulæ ipsorum consolandi ægrotos, apud Practicos obviæ, varias quidem contra mortis, nullas autem contra purgatorii dolores præbent consolationes. 3. Ludimagistri, post funera terræ mandata ante ædes superstitū parentantes, superstitibus persuadere haud dubitant, *animam hujus N. jam sepulti modò susceptam esse in æternam gloriam*, quod ego ipse, inter Pontificios commoratus, non semel (non sine admiratione) audivi. Res risu dignissima! Parentantes dicunt, *animam defuncti frui gaudiis cœli*, Jesuitæ autem Missarum suarum, quas adhuc singulis hebdomadis pro eâ legunt, consequentiâ, dicunt, eam adhuc uri flammis purgatorii.

XIX. Litigant interim Viri adhuc valde de hac purgatorii flammâ; dicentibus quibusdam, *eam esse metaphoricam*, ut Perron *in Respons. ad Reg. Britann.* (quod Jesuitæ valdè improbant, verentes forte, ne metaphoricum ignem metaphorica etiam pro Missis sequatur pecunia) Aliis, *esse veram & propriam*: quod Bellarminus *l. 2. de P. c. 11.* probat per eruptiones in monte Ætna. Egregium & Cardinale dignum argumentum, *in monte Ætna est ignis propriè dictus, Ergo & in purgatorio!* Aliis è contrario asserentibus, *in purgatorio nullum dari ignem, sed aquam, cujus flumine animæ purgentur.* Sic animam S. Severini in flumine purgatam tradit Damianus *in Epist.* Similiter Gregorius refert l. 4. dial. c. 40. *animam Paschasii in balneis fuisse purgatam.* Addit Auctor Speculi Exempl. *Dist. 3. Exempl. 3. animam cujusdam Constantini aquâ, nive & vento purgatam fuisse: jacuisse enim eam novem annos sub stillicidio domus suæ, vento, pluviæ & nivi expositam: progressu autem temporis vi harum tempestatum ita fuisse emollitam & purgatam, ut tandem prorsus munda in altum ascenderit.* Quin per gla-

glaciem sese etiam quandoque exserit purgatorium. Refert hinc aurea Legenda Lombard. *Episcopum Theobaldum, cùm aliquando steterit super glacie quadam, audivisse vocem ex glacie clamantem: Ego sum anima, & in hac glacie ob peccata mea vexor: si 30 dies 30 missas legeris, hinc liberabor.* Digna ergo Magistris nostris est quæstio *ubi sit purgatorium.* Laborârunt Viri hoc nobis dicere, sed tanto cum consensu, ut in octo contrarias abierint sententias, quas vide apud Bellarminum *loc.cit.* Prævaluit tandem Scholasticorum opinio, statuentium, *purgatorium esse intra viscera terræ, inferno ipsi vicinum:* Et sic misellæ istæ animulæ, quæ, ut suprà audivimus, jacuerunt sub stillicidio & glacie, abberrârunt à legitimo loco!

XX. Et quis Scholasticis hoc non credat? maximè postquam (ut dicitur *in supra cit. Spec. Exemplorum Exempl.62.) monachus quidam in ecstasin raptus vidit, animas in purgatorio verubus infixas torqueri & more anserum & caponum ad ignem tartareum assari, diabolis ingentis molis follibus ignem sufflantibus & adipem guttatim delapsam in animulas istas refundentibus.* Similia vide *in Hist. Lombardica 49.* En bonos monachos, quàm subtiliter noverunt philosophari de animabus in gratiam culinæ suæ! Digna iterum hîc Clericis quæstio; *an animæ purgatorii torqueantur à diabolis?* Affirmant hoc præter Auctorem cit. variæ (teste Bellarmino) revelationes. Negant tamen Scholastici, *Thom. in 4. dist.20.a.5.* Bellarminus refert *inter secreta, nobis suo tempore aperienda.* Monachis interim jam modo apertum, *quòd diaboli, si non ipsa verua, quibus animæ sint infixæ, vertant, saltem ignem follibus sufflent!*

XXI. Contendunt præterea viri, *an animæ in purgatorio mereantur nec ne*, affirmativam Thomistis, negativam tuente Bellarmino. Porrò, *an sint certæ de sua salute*, negantibus Dionysio Carthusiano ob quasdam visiones, quas ipse refert *lib. de Nov. art.47.* Baijo *l.2. de merit. op.c.8.* Gersone *lect.1. de vit. spirit.* affirmante autem Bellarmino *l.c.c.4.* Porrò, *quamdiu animulis sit*

 manen-

manendum in purgatorio, constituente Dominico à Soto *in 4. Sent. d.19.q.3.* decem annos, Bellarmino autem requirente multo longiùs tempus, imò probante ex quibusdam Sanctorum visionibus, *aliquos jam defunctos* (haud dubiè pauperes) *usque ad diem judicij in purgatorio mansuros.* Mitto vexatissimas de pœnarum in purgatorio gravitate dissensiones. Bonaventura *in 4. dist.20. a.1.* asserit, *aliquorum pœnam esse tam exiguam, ut nihil pati videantur*: Bellarminus autem, *pœnas purgatorij esse atrocissimas & cum illis nullas pœnas hujus vitæ esse comparandas*: imò jam, ut volunt monachi, planè non differt pœna ejus à cruciatu inferni, nisi ratione durationis. Oppidò opportunè in culinam monachalem, quæ eò magis calet, quò ipsi magis ignem istum mendaciorum folle sufflant.

XXII. Sunt tamen quædam animulæ hac in parte non parùm felices, quas flamma Purgatorii vel planè non attingit vel leviter lambit. *Priores* sunt eorum qui secum gestant & honorant *Revelationem tribus S. mulieribus, Elisabethæ, Brigittæ & Mechtildi ab ipso Christo sequenti modo patefactam* (nuper per Arsenium Canic. Regularem libello, quem inscribit kleiner Seelen-Schatz Catholicis communicatam) Alle die da sprechen alle Tag 7. Vatter Unser und Ave Maria und einen Glauben/ so lang biß sie die Zahl meiner Blutstropffen/ (deren 30436. gewesen) werden vollbringen/ denen wil ich zu Ehren meines bitteren Leydens 5. nachfolgende Ablaß verleyen. 1. Vollkommenen Nachlaß aller Sünd. 2. Sie werden die Pein des Fegfeuers nicht empfinden. 3. So sie sterben/ ehe daß sie die Zeit vollendet/ so wil ich rechnen/ als wann sie die gantze Zeit vollendet hätten. 4. Ich wil sie den Märtyrern vergleichen &c. 5. In der Stund des Tods wil ich ihre Seel durch ihren Schutz-Engel in den Himmel führen lassen/ samt allen ihren Bluts-Freunden/ so noch im Fegfeuer würden leyden biß ins letzte Glied. Addit Auctor. Diese Of-

Offenbarung ist gefunden worden im H. Grab zu Jerusalem/ und wer sie bey sich trägt/ dem kan der böse Feind keinen Schaden zufügen/ er wird vorm jähen Tod bewahret/ und kan nicht übel sterben: so ein schwanger Frau solche bey sich trägt/ so wird sie leichter gebären. In was Haus diese H. Offenbarung seyn wird/ kan nichts böses bleiben/ und deme/ so es stäts bey sich tragen thut/ wird 3. Tag vor seinem Ende die H. Jungfrau Maria erscheinen. Dieses alles ist approbiret worden von dem H. Ignatio in Cicilia. Mirare cœlum & stupe terra Papicularum nugas!

XXIII. *Posteriores* sunt animæ Carmelitarum, quibus B. Maria concessit hanc prærogativam, ut non ultra diem Sabbati à morte proximum detineantur in purgatorio. Singulis enim diebus Sabbati B Virgo descendit in purgatorium, induta veste Carmelitica, & quascunque ibi invenit animas Carmeliticas, illico inde eductas secum in cœlum ducit. Hoc verum esse, probat ipse Johannes XXII. in Bulla, cujus initium *Sacratissimo ut in Culmine* &c. Audi verba ejus ex Thesaur. Mariano, Coloniæ an. 1660. impresso. Als ich mit gebogenen Knyen bäten thäte/ ist mir erschienen die seligste Jungfr. NB. mit einem Carmeliter-Kleid angethan/ welche mich mit folgenden Worten anredete: O Johannes/ meines geliebten Sohnes Statthalter/ höre und erfülle bald mein Begehren &c. du solst zu lassen und bestättigen die grosse Gnad und Freyheit/ so meinem heiligen und vielgeliebtem Carmeliter-Orden ist gegeben worden &c. daß nemlich/ welche gemeldten H. Orden angenommen/ dieselbige werde ich den nächsten Sambstag nach ihrem Absterben auß dem Fegfeuer erledigen. Audi Auctor c. 3. p. 31. de utilitate hujus fraternitatis. Die Pein des Fegfeuers ist unaußsprechlich/ also zwar/ daß ihr keine dieses Lebens/ auch die allergrausamste/ nicht kan verglichen werden/ dann kein einiger Unterscheid unter der Höllen und Flammen des Fegfeuers

feuers zu finden / als allein / daß diese zeitlich / jene aber ewig brennen wird. Wie viel aber werden verdienter massen in diesem Feuer und glüenden Kohlen nicht nur eine Stund / Woche / Monat oder Jahr / sondern vielmahlen 20. 30. 40. Jahr ohne Verzehrung gebraten. Von welchen allen sie doch wegen noch im Leben der Mutter GOttes vom Berg Carmelo geleisteter Treu und Diensten durch deroselben hochmächtigste Vorbitt und grosse Verdiensten erlöset werden. Has rancidas næ nias qui concoquere potest, næ stomacho valde Catholico instructus sit, oportet.

XXIV. His felicibus etiam annumerandi veniunt ii, qui, Christo redeunte, erunt in vivis: quippe D. Clericis purgatorii flammas ultra diem extremi judicii extendere non placet: fortè quia tum Missæ cessabunt. Dignum interim, de quo inquirant Monachi, *quî animæ, tum adhuc in purgatorio hærentes & nondum satis purgatæ, in cœlum, in quod non nisi purum ingreditur, ingredi queant?*

XXV. Precum pro mortuis sæpius fieri apud Veteres mentionem, non negamus; adeoque suo in corrogandis tam operosè veterum testimoniis labore supersedere potuisset D. JCtus. Negamus autem hanc Consequentiam. *Ergò crediderunt Purgatorium Papisticum.* Hanc si probaverit palmam præripiet suis Jesuitis, utpote qui hoc hactenus non potuerunt. An non Ecclesia Græca orat pro mortuis? quæ tamen hinc purgatorium Papisticum non credit, vel ipso Stapletano teste, qui eam eapropter *p. 2. Cathol. Prompt. p. 285.* non parùm incessit. 2. Nemini, qui veterum Patrum monumenta vel per transennam introspexit, obscurum, eos orâsse etiam pro Patriarchis, Apostolis & Martyribus, quos tamen nunquam in furno purgatorio sudâsse, ipsa R. Ecclesia agnoscit: Solebant illi pro mortuis precari, ut resurgerent in gratia & favore Dei & speciatim, ut resurgerent inter primos; *Vid. Ambros. Orat. in obit. Valentin. sub fin.*

Cre-

Credebant etiam, fusas pro mortuis preces cedere damnatis in levamen tormentorum. *Vid. Augustin. in Enchirid. c. 110. & Chrysostom. Homil. 3. in Philipp.* Sed quid multis? ipse Jesuita Salmero consequentiam à precibus ad purgatorium non agnoscit. *Minus solida*, ait Tom. XIV. Disp. 25 *est consequentia. Pro aliquo oratur: Ergò est in purgatorio; quia sæpe precationes pro eo fiunt, qui jam regnat in cœlis, quandoq; pro eo, qui punitur in gehenna* &c. Litiget ergò in posterum D. JCtus cum suo Jesuita; imò cum ipso Papa suo Innocentio III. qui *C. Apostolic.* de presbytero non baptizato, in fide interim mortuo, asserit, *eum cœlestis patriæ gaudium esse adeptum:* & tamen vult juges preces pro eo fieri. 3. Verum est, apud Patres quandoque mentionem fieri ignis purgatorii: sed fieri mentionem purgatorii Papistici, falsissimum. Rejecerunt illi ignem suum ad diem supremi judicii, opinati, per eum inprimis corpora resurgentium, etiam Prophetarum & Apostolorum, imò ipsiusmet quoque B. V. Mariæ, depuranda esse, priusquam cœlum ingrederentur. Audi Ambrosium Serm. 20. in Ps. 118. *Omnes transire oportet per flammas, sive illi fuit Johannes Evangelista, sive ille Petrus. Si in judicij illius severitatem*, ait Hilarius in eund. Psalm. *capax illa Dei Virgo ventura est, quis audebit desiderare à Deo judicari* &c. Idem sentit Origenes, *in Psal. 36.* scribens; *Omnes nos venire necesse est ad ignem illum, etiamsi Paulus sit aliquis vel Petrus.* Et hom. 14. in Luc. *Ego puto, quia & post resurrectionem ex mortuis indigeamus Sacramento eluente nos atq; purgante; nemo enim absq; sordibus resurgere poterit* &c. Et quid constantius apud Patres hâc sententiâ? *Hac sententia*, ait Bellarminus l. 2. de P. c. 1. *solet tribui Alcuino, sed videtur esse non ejus solum, sed multorum Patrum.* Hic ne jam Patrum ignis Purgatorius respondet Papistico? Non credit Bellarminus: addit enim; *hac sententia accepta, ut sonat, manifestum errorem continet.* Sed ad quid verborum anfractus? pellant Papistam, Patres pro purgatorio suo crepantem, ipsi Papistæ! *Nemo*, ait Navarrus Commentar. de Jubil. p. 545. *jam dubitat Orthodoxus, an purgatorium sit, de quo tamen apud*

Pri-

Priscos nulla vel quàm rarissima mentio. Consentit Episc. Roffensis *art.13.contr.Luther.* scribens; *De purgatorio apud Priscos nulla vel rarissima fiebat mentio. Sed & Græcis ad hunc usq; diem non est creditum purgatorium esse.* Eadem leges apud Alfonsum de Castro, qui ipsi Concilio Tridentino interfuit, *Lib.8. adv. hæres. in voc. Indulgentiæ.* Eat ergò D. JCtus cum suo purgatorio & causæ suæ melius consulere discat! Antequam interim abeat, dicat mihi, quid purgatorium Papisticum purget (nondum enim hoc capio) *num culpam, an pœnam? non culpam:* ea enim est remissa juxta Papicolas: non etiam pœnam: *illa* enim, dicente Bellarmino *l.2.de Indulg.c.3.debitorem non facit sordidum:* Nisi ergò purgaret Laïcorum marsupia, ad nihil prodesset!

CAPUT XII.

Num sola fides justificet?

AFfirmativam nobis tribuit D. JCtus, & nostram esse non negamus. Observandum interim 1. non quæri de fide quavis, sed salvificâ 2. non de objectivâ sed subjectivâ, 3. particulam *sola* non determinare nobis *subjectum*, quasi mens nostra sit, *solam fidem*, id est, *solitariam* seu *separatam à bonis operibus nos justificare*, cùm hæc, utpote mortua, ne quidem veræ fidei nomine digna sit; sed *prædicatum*, ut sensus sit, *hominem justificari justitiâ Christi, quam non apprehendant bona opera, licet fidei conjuncta, sed sola fides.* Quemadmodum solus oculus videt, sed tamen non solitarius, i.e. separatus à capite, aliàs ne quidem esset verus oculus. Concedimus ergò *coexistentiam* bonorum operum, non verò *coefficientiam* in justificatione. Simul quidem existit caput cum oculo vidente, sed tamen non simul videt cum oculo, sed solus oculus videt. Quæstio ergò summatim huc redit, *Num fides sola* (non quoad *existentiam*, sed *efficientiam*) *subjectivè justificet?*

ficet? Papiſtas Papa negativam; nos autem Scriptura affirmativam docet. Dicit enim (α) *nos ita juſtificari, ut Abrahamus juſtificatus eſt Rom.4.24.* Alibi autem innuit, Abrahamum eſſe juſtificatum ſola fide Gen.15.6. Rom.4.2.3.4. Gal.3. Heb.11. (β) Aſſerit, *nos juſtificari gratis & per Dei gratiam Rom.3.24.25.* Ergò ſola fide: cùm noſtra opera cum gratia ſubſiſtere nequeant Rom.11.6. (γ) *Excludit apertiſſimè opera à juſtificatione* Rom.3.20. *Ex operibus legis nulla caro juſtificabitur in conſpectu ejus.* Ergò ſola fide juſtificamur. (δ) *Tribuit manifeſtiſſimè ſoli fidei.* Gal.26.16. *Scientes hominem non juſtificari ex operibus legis*, ἐὰν μὴ διὰ τῆς πίστεως *niſi per fidem*, id eſt, interpretibus ipſis Pontificiorum præſtantiſſimis, Titelmanno, Eſtio, Sasboutio, quos ſupra audivimus (qui etiam aſſerunt, *omnes veteres Græcos & Latinos Interpretes huic interpretationi conſentire, eamq; ex ſequentibus colligi & ex 3. cap. ad Rom.) SED TANTUM per fidem in Chriſtum.* Novimus hîc Papicolarum effugia: at novimus etiam vaniſſima eſſe. Excipiunt viri 1. *excludi à Paulo opera legis ceremonialia, quæ morte Chriſti ſint omnia evacuata:* Sic Thomas, ſic Salmero, Toletus, Lombardus & alii. At vaniſſimè: nam 1. quis docuit viros limitare, ubi non limitat Paulus? excludit ille opera legis univerſaliter. 2. Imò potiſſimùm reſpicit eam legem, quæ gentibus etiam naturaliter erat nota Rom. 2.12. & ſeq. per quam Judæi & Græci erant pariter ſub peccato Rom.3.9. & totus mundus obnoxius condemnationi v.19. per quam eſt cognitio peccati v.20. &c. An autem illa non conveniunt legi morali? Sed pellat frater fratres! eſt is Jeſuita Pererius, *in c.3. ad Rom.* ita ſcribens; *Non ſolum excludere Paulum hoc loco opera legis ceremonialia vel judicialia, ſatis indicat id, quod mox adjecit; per legem enim cognitio peccati.* Alii excipiunt, *excludi ab Apoſtolo opera, quæ antecedunt fidem.* At non minus vanè: nam (1) quis & hos limitare docuit, non limitante Apoſtolo? (2) Annon idem Apoſtolus expreſsè Abrahamum & Davidem ut jam regenitos atque ad iſtum modum eorum opera conſiderat Rom.4.1. & ſeq.? annon & imputari dicit juſtitiam

 ſine

ſine operibus ei, in cujus ſpiritu non reperitur dolus Rom. 4. 6. 7. 8. Pſ. 32. 2.? (3) Annon frivolum fuiſſet tam operosè excludere opera ante fidem, quæ ne quidem operibus bonis veniunt annumeranda, ſed ſunt, teſte eodem hoc Apoſtolo peccata Rom. 14. 23. Heb. 11. 6? Sed fuget fratres frater. Eſt is Vaſquez. *Nusquam* ait ille cap. 8. n. 73. *Paulus conceſſit talia opera* (loquitur de op. ante fidem) *neq; ideo ea excluſit à noſtra juſtificatione, quia nullius valoris & efficacitatis apud Deum ſunt, ut aut per ſe juſtificent aut impetrent juſtificationem.*

II. Videamus jam, quid his D. JCtus opponat. *Hominem non juſtificari ſolâ fide*, ſatis liquere ait ex verbis Jacobi c. 2. 24 dicentis, *videtis igitur, ex operibus juſtificari hominem, non ex fide tantum*: at demonſtravimus Viro ſuprà *cap. 1. n. 4.* Jacobum vocem *juſtificandi* non *ſumere conſtitutivè*, ut Paulum, ſed *declarativè*, præterea per *fidem* intelligere *fidei profeſſionem*, ut ſenſus ſit, *hominem non oſtendere ſe juſtum eſſe coram Deo & hominibus ſolâ fidei profeſſione, ſed etiam tali profeſſione digna converſatione.* Oſtendimus etiam *ibid. n. 3.* falſiſſimum eſſe, quòd Lutherus, inſerendo verſioni ſuæ voculam *ſola*, crimen falſi, cujus eum hîc iterum poſtulat, commiſerit. Quò Virum, ne actum agamus, ablegatum volumus.

III. Subjungit, *fidem quidem ſalvare: at ſolam ſalvare, falſiſſimum eſſe: cùm præterea requiratur (1) reſipiſcentia Prov. 28. 13. 1. Joh. 1. 9. Act. 2. 37. &c. (2) charitas 1. Petr. 4. 8. 1. Cor. 13. 3. 1. Joh. 4. vſ. 16. &c. (3) timor Amoſ. 5. 12. Pſal. 102. 13. &c. (4) ſpes Tit. 1. 2. & 3. 7. Coloſſ. 1. 27. &c. (5) obedientia* Joh. 3. 36. &c. At quem homo oppugnat? Reformatine ergò docent, reſipiſcentiam, charitatem & alia non requiri ad ſalutem obtinendam, ſed ſufficere ſolam & nudam fidem? Oſtende, ubi hoc doceant, aut fatere, te veritati parcere? Verum eſt, *nos docere, hominem juſtificari ſola fide*: at 1. aliud eſt *juſtificari*, aliud *ſalvari*: ad *hoc* plus ex Dei ordinatione requiritur quàm ad *illud*. 2. Licet dicamus, *hominem juſtificari ſola fide*, dicimus tamen, *neminem juſtificari fide ſolitaria* ſeu

bonis

bonis operibus destituta. Tantum abest, ut hoc dicamus, ut ne quidem eam, quæ operibus destituitur, pro fide habeamus, sed pro larvâ & vanâ securitate. Num qui dicit, *hominem videre solis oculis*, per id dicit, *hominem videre oculus, qui soli sint, id est, separati à capite D.JCte?*

IV. Addis, *hoc solùm controverti, An fides sola* (i. e. juxta te solitaria) *ad obtinendam salutem sufficiat? Catholicos negare, Reformatos autem affirmare.* Hem disputatorem, qui ne quidem statum controversiæ intelligit! Reformati ne affirmant, *fidem solam, i.e. sejunctam à bonis operibus sufficere ad salutem?* Calumnia est D.JCte, quam quidem quòd tu audiveris à Jesuitis, non adeò miror: nam illi eam passim de nobis propalant, tacitè agnoscentes, maximam esse Religionis nostræ firmitatem & evidentiam, quippe quam non possint impugnare, nisi priùs immutatam: quòd tu verò, inter Reformatos natus, educatus eorumq; Religionem tot annos professus, hoc illis affingere haud dubitas, summopere miror: cùm neminem lateat, nos in eo totos esse, ut populum adducamus ad bona opera, tanquam ad rem, ad salutem, necessariam; agnoscentes, quòd, *etsi non sunt necessaria ut causa salutis, sint tamen necessaria ut via ad salutem*; seu ut scitè Augustinus loquitur, etsi *non sunt causa regni, sint* tamen *via regnandi.* Sed hoc, ut supra diximus, controvertitur; *An fides sola non ratione existentiæ, i.e. solitaria sine spe, charitate* &c. *sed ratione efficientiæ justicet?* nos affirmamus, vos negatis, præeunte Concilio Tridentino *Can. 9.* Pergis, *Si, ut volunt Reformati, omnes fideles præter fidem habent secum omnes requisitas (supra citatas) virtutes: Ergò sequitur necessariò, solam fidem non justificare.* En eximiam consequentiam! formemus similem. *Si omnes fideles præter oculos habent secum caput, & in eo aures, nasum &c. Ergò sequitur necessariò, solos oculos non videre.* Quid videtur D.JCte? annon ridicula consequentia? sic & ridicula tua. Hoc enim demum sequitur: *Ergò fides sola ratione existentiæ* seu *solitaria non justificat* (ut oculus solitarius non videt) quod verissimum. Addis, *reperiri*

verè fideles, qui tamen verâ pietate, charitate, Dei timore & ejusmodi pluribus virtutibus non sint præditi &c. At tales mihi monstrari vellem D. JCte? Quî fieri potest, ut ii, qui Christo verè & per veram fidem insiti sunt, non proferant, fructus gratitudinis? *Fert* utique, dicente ipsomet Christo, *arbor bona bonos fructus*, licet interim illi nec omni tempore, nec pari semper quantitate proveniant. Sed forte intelligit vir per verè fideles Linguâ Romanâ *omnes, qui credunt, quod credit Ecclesia!* si sic, quî ipsius verè fideles ab hypocritis different? Fit quidem mentio *palmitum in Christo non ferentium fructum* Joh. 15. 2: at illi sunt palmites *æquivocè* tales, non *re ipsa*, non præditi eâ fide, quæ, ut Paulus loquitur, *δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη per charitatem operatur* Gal. 5. 6.

V. *Ipsi*, pergis, *Reformati fateri tenentur, fidem suam memoratis virtutibus destitui*: quid ita D. JCte? *tenentur enim*, ais, *vi doctrinæ suæ fateri, se non posse Dei mandata observare, adeoq; se hærere in peccatis* at quando desines veritatem lædere D. JCte? ubi, quæso, Reformati unquam ità simpliciter dixerunt, se non posse mandata Dei observare? tantum abest, ut hoc ita simpliciter statuant, ut potiùs asserant, se per Dei gratiam legem Dei etiam posse *perfectè, perfectione scilicet sinceritatis & partium*, observare. En ergò quàm injurius in nos existas! Verum est, nos statuere, quòd *omnimodè perfectè* seu *perfectione graduum* legem Dei observare non possimus: at statuit S. Johannes idem etiam & de se & de omnibus fidelibus dicens, *si dicimus, nos non habere peccatum, nos ipsos decipimus, & veritas non est in nobis.* Si proinde fides eorum, qui fatentur, se legem Dei omnimodè perfectè non posse observare, destituitur charitate aliisque virtutibus, iisdem & destituta fuerit fides S. Johannis & omnium fidelium. Addis, *etiam baptisma requiritur.* Sic est D. JCte: *Ergò sola fides non justificat.* ℞. Negando Consequentiam: nam verbum & Sacramenta, non requiruntur *subjectivè* à parte nostri, de quo nobis est quæstio: sed *objectivè* & à parte Dei. Deus verbo & Sacramentis nobis justificationis beneficium offert & obsignat: nos sola fide illud amplectimur & nobis applicamus. VI.

VI. Hanc fidem dicimus cum Paulo Rom. 4. 3. *nobis imputari ad justitiam:* non quasi ipsa fides formaliter esset justitia coram Deo, sed objectivè & relativè ad justitiam Christi, quam sola fides apprehendit & sibi applicat, quæ nuncupatur ab eodem Apostolo *justitia fidei, quæ est ex fide Christi, in qua sola vult inveniri* Phil. 3. 9. Traducunt quidem hodie Jesuitæ hanc justitiæ imputationem, nuncupantes eam *justitiam incrustatam, similem sepulchris dealbatis*, sed pro sua modestiâ 1. contra Scripturam, 2. contra suos fratres, hîc nobis consentientes. Scripturam audivimus: sed audiatur porrò; *David*, ait Paulus Rom. 3. 6. 7. 8. *pronuntiat beatum illum hominem, cui Deus imputat justitiam absq; operibus* &c. Datur ergò justitia imputata. Sed quænam illa justitia, quæ nobis imputatur? Christi Phil. 3. 9. *Christus factus est nobis justitia* 1. *Cor.* 1. 30. Factus est ille *pro nobis peccatum, ut nos efficeremur justitia Dei in eo.* 2. Cor. 5. 21. *Mors*, ait Bernardus, de sepul. ad milit. templi, *in morte Christi fugatur, & Christi justitia nobis IMPUTATUR.* En ergò justitiam Christi nobis imputatam! Sed pungat Papista Papistam! *Justificat nos Deus Pater*, ait Pighius Conversf. 2. de fid. & justif. *bonitate sua gratuita, quâ nos in Christo complectitur, dum eidem insertos innocentiâ & justitiâ Christi nos induit, quæ una, ut vera & perfecta est, quæ Dei sustinere conspectum potest, ita unam pro nobis sisti oportet tribunali judicij divini* &c. Et paulo ante fol. 47. *In Christi obedientia quod nostra collocatur justitia, inde est, quòd nobis illi incorporatis, acsi nostra esset, accepta ea fertur, ita ut ea ipsa etiam nos justi habeamur.* Quid nostræ doctrinæ conformius? Docet etiam disertè Cardinalis Contarenus *Tractatu de justif. impresso Parisiis an. 1589. justificationem coram Deo sola fide fieri & per ac propter imputatam Christi justitiam.* Addit Vega lib. 7. de justif. c. 15. *Quosdam Catholicos Doctores doctrinâ & pietate insignes, Colonienses item Canonicos atq; authores libelli oblati à Cæsare Collocutoribus Protestantibus in Comitiis Ratisbonensibus statuere N.B. tantum per imputationem justitiæ Christi, quatenus fides nostra apprehendit misericordiam atq; justitiam Christi, propter meritum*

Christi, nos justificari coram Deo. En vim veritatis è medio Papatus erumpentem!

VII. Vult jam D. JCtus demonstrare, *hunc articulum semper ita creditum esse in Ecclesia Catholica, uti jam credatur in Papistica.* Vult: Sed non potest. Dicit, *Centuriatores in Praf. Centur. secund. fateri, quòd summi quidam Doctores articulum justificationis non satis perspicuè explicârint & operibus justificatorum plus quàm debebant, adscripserint.* At 1. ubi manet seculum primum D JCte? hoc dum transilis, tacitè fateris, neminem illo seculo fuisse, qui vobis assensum præbuerit. 2. Si quidam tantum Doctores *plus adscripserunt operibus, quàm debebant*, Ergò non omnes. 3. Plus tribuere operibus quàm decet, estne hoc statim justificari velle per opera? Sed quid his immoramur? Patres, nominatim Augustinum, Ambrosium & Bernardum, nostram de sola fide justificante sententiam fovisse, fatetur ipse Cardinalis vester Hosius *Epist. 17. ad Tapperum.* Agnoscit etiam Cassander vester *Consult. art. 4.* locutionem hanc, *quòd sola fides justificet*, non esse sine exemplis vetustatis. Cum his tu ergò Pontificiis tuis imposterum disputa.

CAPUT XIII.

An verè fidelis certus sit de salute? & an à vera fide deficere possit?

HAs duas quæstiones, cùm connexas judicet, placet D. JCto conjunctim tractare: nos tractantem sequemur. Primitùs Vir aliquanto obscurior videtur: ait enim *damnabile esse dubitare de salute, nec doceri à Catholicis*: in sequentibus autem ipse docet,

cet, *hominem non posse esse certum de sua salute.* Bellarminus l. 3. de justific. c. 3. distinguit inter *certitudinem fidei & fiduciæ*, volens *illam*, cùm nitatur sola Dei auctoritate, omni ex parte dubitationem excludere, *hanc* verò, cùm & insuper nitatur propriâ dispositione, non excludere penitus dubitationem. Hæc & hîc, nî fallar, D. JCti mens est: at vanissima, quamdiu non probaverit, *dari posse veram fidem sine fiducia.* Ad nos quod attinet, priorem quæstionem affirmamus, & posteriorem negamus. Statuimus, inquam, 1. *veros fideles, non certitudine tantum objecti, sed subjecti, non certitudine conjecturalis opinationis sed veræ & justificantis fidei, non ex dignitatis propriæ sed dignationis divinæ intuitu, certos esse de sua salute.*

II. Ratio ℵ est: quia veri fideles firmâ certitudine fidei certi sunt, se esse filios Dei: audi ipsum Paulum, *ille ipse* Dei *spiritus testatur unà cum spiritu nostro, nos esse filios Dei* Rom. 8. 16. Si autem hoc: Ergò etiam certi sunt de sua salute. Audi eundem Paulum ℣. 17. *Quòd si filij, etiam hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Si velint Jesuitæ hoc Dei testimonium incertitudinis accusare, faciant suo periculo! ב quia veri fideles per spiritum, quem acceperunt, cognoscunt Christum in se manere. Audi Johannem. *Per hoc cognoscimus, nos in eo habitare & ipsum in nobis, quòd de spiritu suo dedit nobis* 1. Joh. 4. 13. Ergò etiam certi sunt de sua salute. Audi eundem Johannem. *Qui habet filium, habet vitam* 1. c. 5. 12. imò *vitam æternam* ℣. 13. ג quia veri fideles certò sciunt, se verè credere in D. JESUM 2. Cor. 13. ℣. 5. Ergò etiam certò sciunt, se habere vitam æternam. Audi ipsum Christum. *Qui credit in filium, habet vitam æternam* Joh. 3. vs. 36. ד Quia veri fideles certi sunt, Christum pro se esse traditum. *Christus dilexit me*, ait Paulus, *& tradidit semetipsum pro me.* Gal. 2. 20. Ergò etiam certi sunt de sua salute: siquidem, teste eodem Paulo, Deus cum tradito filio electis suis χαρίζεται τὰ πάντα Rom. 8. 32. Frustra hîc repones cum Jesuitis, *Paulum peculiari revelatione certiorem redditum esse:* nam ipse hoc non enuntiat, tan-

tanquam sibi peculiare, sed cæteris commune: nec deducit à peculiari aliquâ sibi præ cæteris facta revelatione, sed ab electione, ab amore Christi, ejusque morte & intercessione Rom. 8. 28. 29. 30. 33. 34. &c. quæ bona utique omnibus electis sunt communia.

III. Quæ hîc D. JCtus opponit, nos non lædunt. Non dicit Ecclesiastes cap. 9. 1. *Nescit homo, utrum odio vel amore dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta*, ut tu nobis vis persuadere ex vestra Versione: sed ita, גם אהבה גם נשאה אין יודע האדם, i.e. (ut ipse vester Arias Montanus vertit) *etiam amorem, & odium non sciens homo*. Ubi hîc Ecclesiastes loquitur de dignitate aut indignitate nostra? En quàm authenticum habeatis textum! quid? ultima verba, *sed omnia in futurum servantur incerta*, ab eximio authenico vestro prorsus ficta sunt: non enim obvia sunt in textu Hebræo: ità enim ille: הכל לפניהם *omnium ante illos*, vel ut reddunt LXX. τὰ πάντα πρὸ προσώπου *omnia ante faciem* eorum. Sensus est, *ex eventis externis non posse judicari, num placeamus, an displiceamus Deo, cùm universa æquè contingant justo & injusto. Vid. vs. 2. & 3.* Audi Cajetanum vestrum; *Ex rebus externis*, ait in c. 9. Eccl. *non possumus discernere bonum & malum*. Obtinente sensu vestro, ne sceleratissimi quidem Cain & Judas scire potuerunt, an odio Dei digni fuerint. Hinc ipse Jesuita Salmero *Comment. in 2. Cor. 12.* te & omnes inde contra nos argumentantes repellit; *Hic locus*, inquiens, *nequaquam probat, quod aliqui inde accipiunt, hominem nescire amorem erga se Dei, quia sequitur in textu, nescit an amore vel odio dignus sit. At impij propter maxima scelera nôrunt se maximè dignos esse odio Dei.* Eat ergò D. JCtus cum suo Vulgato & causæ suæ meliùs confidere discat!

IV. Non facit autem hoc, dum addit; *quomodo adeò certi esse possumus salutis nostræ, cùm tamen Deus nos judicet ex operibus nostris: hominum autem præstantissima opera, docentibus Reformatis, sint peccata?* nam 1. per calumniam nobis affingit, quod non docemus: quis enim nostrûm unquam absolutè dixit, *præstantissima bona opera esse peccata?* Sed vide hanc calumniam discussam *supra num.*

num.9.cap.10. (2) quid ad rem? cùm nostra certitudo non nitatur nostris operibus sed Dei promissione. *Credimus* cum Abrahamo Rom.4.18. *contra spem sub spe*; quemadmodum autem ille, si corporis sui jam emortui vel mortuæ vulvæ Saræ rationem habuisset, illam fidei certitudinem non concepisset: ita nec nos, infirmitatem nostram attendendo sed oculos mentis in divinam promissionem conjiciendo, statuentes *fore, ut, qui cœpit in nobis opus bonum, perficiat usq; ad diem Jesu Christi* Phil.1.6. Verum est, *Paulum dicere, operamini salutem vestram cum timore & tremore* Phil.2.12. Sed falsissimum, eum hinc velle nobis commendare *dubitationem* aut *diffidentiam*: illam enim voces φόβος & τρόμος in Scripturâ junctæ nunquam ingerunt. Dicit idem Apostolus 1. Cor. 2. 3. *Fui ego cum infirmitate & timore ac tremore multo apud vos*, num hinc colligendum, *eum fuisse dubium & incertum?* dicit porro Eph. 6. 5. *Servi auscultate iis, qui* vestri *domini sunt secundum carnem cum timore ac tremore*: num hinc colliges, *servos debere esse incertos ac hæsitantes in auscultando dominis?* quis non rideat? Sed erudiat Papistam Papista. *Tremor & timor*, ait Estius in 2. Cor.7. *dum conjunguntur, ferè significant solicitudinem operis cum metu offendendi.* Optimè. Non commendat proinde Apostolus loc. allegato dubitationem, sed *humilitatem* & *solicitudinem.* Et ne de eo dubitet D. JCtus, audiat eundem Apostolum statim subjungentem; *Deus enim is est, qui efficit in vobis & ipsum velle & ipsum efficere.* Hæcne dubitationem inferunt D. JCte?

V. Ridiculus est Vir, dum subjungit, *ne ipsum Paulum quidem certum fuisse de sua salute, eò quòd dicat* Phil.3.12. *Non quòd jam* metam *apprehenderim*, *aut jam sim consummatus* &c. Sic enim Theologis suis in faciem contradicit, qui concedunt, Paulum fuisse certum de salute suâ, sed fuisse certum ex singulari revelatione, seu, ut Jesuita Pererius loquitur Disp.28. in Epist. ad Rom. c.8. *id ei per Dei revelationem fuisse manifestatum*, ad quod effugium jam supra responsum. Et ubi quæso in loco citato vel minimum de dubitatione? fortene in verbis sequentibus? *Sed*

 per-

perſequor, an quoq; apprehendam: at his Paulus non innuit ſuam dubitationem, ſed rei difficultatem, ſuumque magnum in eadem perſequenda fervorem, ut ex præcedentibus liquet. Quæſo D. JCte, num is, qui dixit; *Certus ſum, quòd neq; vita, neq; mors &c. nos ſeparare queat à charitate Dei*, Rom. 8 38. & qui addidit; *quod ſupereſt, repoſita eſt mihi corona juſtitiæ* &c. 2. Tim. 4. 8. cum Papiſtis dubius fuit de ſua ſalute aut conjecturâ duntaxat probabili nixus? Dictum Petri 1. c. 4: 18. *Si juſtus vix ſervatur, impius & peccator ubi comparebit*, quid etiam ad cauſam tuam? infert quidem vocula μόλις *vix* difficultatem, ut bene obſervat Jeſuita Salmero *Comment. in h. l.* ſed non diffidentiam & dubitationem in animis electorum de ſalute: difficultatem, inquam, ratione calamitatum, quibus eos futuros obnoxios prædixit Petrus. Audi porrò eundem Jeſuitam l. c. *Ac licet*, ait, *paulo ſuperiùs dixerit* (Petrus) *juſtum vix ſalvari, quod Hieronymus refert ad diem judicii: non tollit tamen confidentiam in eo, qui fidelis eſt* &c. *quia juſtus, ait Salomon, ſicut leo confidens, abſq; terrore erit* &c. *Et Paulo teſtante, propria conſcientia defendet juſtos ab omni timore amittendæ ſalutis.*

VI. Apoſtolus cùm ait Rom. 11. 20. *tu verò per fidem ſtas, ne effertor animo, ſed metue.* Item Heb. 12. 28. *Retineamus gratiam, per quam ità colamus Deum, ut ei grati ſimus, cum verecundiâ & reverentia*, oſtendit quidem, verè fideles labi poſſe, ratione propriæ infirmitatis, verùm ſimul etiam oſtendit, Deum nolle, ut labantur finaliter, idcirco monet, ut ſibi caveant, & ſe circumſpectè gerant. Addis, *ſi nobis eſſet certitudo, tum nec timore nec ſpe indigeremus.* Ridiculum! Quaſi verò eum, qui de fine certus eſt, non deceat adhibere media! Paulus in mari Adriatico vectus Act. 27. noverat ex ſingulari revelatione, & ſe & comites ſuos ſalvos appulſuros ℣. 24. 25. an verò non adhibuit media D. JCte? annon monuit comites, ut caperent cibum ℣. 33? & manerent in navi; *niſi iſti*, ait, *in navi manſerint, vos omnes peribitis* ℣. 31. Quæ adjungis quàm irrita ſint, liquet ex modò dictis. Audi jam ex antiquis Bernardum. *Sed de poſſibilitate* ait Serm. 5. de dedic.

Eccl.

Eccl. *jam certi, de voluntate quid agimus? quis scit, si est dignus amore aut odio? quis novit sensum Domini, aut ejus consiliarius fuit? hic jam planè nobis fidem subvenire necesse est, hic oportet succurrere veritatem: ut quod de nobis latet in corde Patris, nobis per ipsius Spiritum reveletur, & Spiritus ejus testificans persuadeat spiritui nostro, quòd filij Dei sumus. Persuadet autem vocando & justificando gratis per fidem, in quibus nimirum velut medius quidam transitus est ab æterna prædestinatione ad futuram magnificationem.* Quid clarius pro sententiâ nostrâ? Audi & ex antiquioribus Augustinum. *Ubi portio mea,* ait Medit c. 15. *regnat, ibi me regnare credo, ubi caro mea glorificatur, ibi gloriosum me esse cognosco, ubi sanguis meus dominatur, ibi dominari me sentio: quamvis peccator sim, de hac communione gratia* NB *non diffido.* Talia passim occurrunt apud Augustinum: etiam obvia apud Ambrosium *Tom. 4. de Vit. beat. c. 6.* Cyprianum *Tract. de mortal.* & alios. Abfuerunt ergò à fide Papisticâ quàm qui longissimè. Quid? tanta est hujus veritatis vis, ut testimonium vel ex ipsis Papicolis expresserit. *Habet ergo,* ait Mussus, Episc. Bipontinus in c. 5. Ep. ad Rom. *spem & gloriatur in hac spe, quam habet cum NB securitate omninò ad illam gloriam perveniendi. In hac enim gloriatione & (ut ita dixerim) in hac sancta superbia, propter spem cœlestis fœlicitatis ostenditur, quòd qui justificatus est, NB. non hæsitet, utrum sit beandus vel non: sed firmissimè tenet, se divino munere salvandum esse.* Cum hoc Musso faciunt Catharinus, & Marinarius, qui, licet ipsi Papistæ, tamen contra Papistas in ipso Concil. Tridentino, nostram sententiam constantissimè tuiti fuêre. (*videatur Historic. lib. 2. p. 81.*) Non est ergò, quòd ad nos excurrat D. JCtus, disputaturus, cùm habeat domi, contra quos disputare queat.

VII. Ad posteriorem quæstionem (qua tamen jam haud opus esset) respondemus negativè. Negamus, inquam, *veros fideles à vera & salvifica fide* (non duntaxat *quoad actum* & *sensum,* sed etiam *quoad habitum*) *totaliter & finaliter deficere posse.* N Quia Deus decrevit eos in isto statu ad æternam salutem conservare:

Hæc est, ait ipse Salvator Joh.6.39.40. *voluntas ejus, qui misit me, Patris, ut ex eo omni, quod mihi dederit, non perdam quicquam* &c. *Vide & Eph.1.4.5. Matth.24.24. Rom.8.28.31. 2.Theß.2.13.* &c. ב Quia Deus variè promisit idem. Psalm. 37. 24. *Cùm ceciderit* fidelis, *non prosternetur, quia* Jehova *sustentat manum ejus. Vide & Psalm.112 6.9 & 125.1.2. Rom.8.15.*&c. ג Quia, quod sic decreto constitutum & promissionibus est revelatum, hocipsum Deus potenter exequitur. Ille dedit filium, *ut quisquis in illum credit, non sit periturus, sed habiturus vitam æternam* Joh.3.16. Rom. 8.31.32. Ipse filius, qui semper auditur à Patre Joh.11.41. intercedit pro fidelibus Rom 8.35. Heb.7.24 Joh.17.9.&c. & tanquam Pastor bonus ita oves suas custodit, *ut in æternum non pereant, & nemo eas rapiat de manu ejus, sed eis det vitam æternam* Joh.10.27.&c.

VIII. Testimonia, quæ D.JCtus in contrariam sententiam citat, nihil ad rem: cùm agant *partim* non de verè fidelibus, sed hypocritis, ut *2.Petr.2.19.21. Heb.6.4.5.6.& 10.26.* (quò & referas Judam, qui quidem erat *electus ad officium*, sed non *ad salutem* Joh.17.12.) *partim* de defectione non à *fide, quâ creditur*, sed *quæ creditur*, i.e. à doctrina Evangelii, quam etiam hypocritæ ad tempus amplectuntur, ut 1.Tim.1.9.20. & 4.1.& 6.10. *partim* denique de defectione à *fide temporariâ*, non à *salvificâ*, ut Luc.8.13. vel *à communione externa* Ecclesiæ, *non internâ & mysticâ*, qualis innuitur, ubi mentio fit Israëlitarum fœdifragorum Rom.11.20. qui opponuntur electis ad gloriam Rom.11.7. Exemplum Satanæ & ejus angelorum non minùs alienum est; nisi D. JCtus probet, eos fuisse sub eodem nobiscum fœdere Evangelico. *Vincet quidem bestia Apocalyptica Sanctos* Apoc.13.7. sed demum *corporaliter*, eos interficiendo & eorum cœtus destruendo, non verò *spiritualiter* eos ad apostasiam finalem deducendo; ab hac enim eos immunes fore, indicat παρένθεσις à Christo adhibita Matth.24.24. (εἰ δυνατὸν) Instructiones, adhortationes, dehortationes, quæ Fidelibus proponuntur in S. Scripturâ, sunt ipsis media perficiendæ conservationis: non verò solida

lida apoſtaſiæ argumenta. Locus Lucæ c. 22. 31. quem urges, tantum abeſt, ut cauſam noſtram deſtruat, ut potiùs evidentiſſimè adſtruat. Dicit Chriſto Petro, *Ecce Satanas appetiyt vos, quos ventilaret ſicut triticum: ſed ego deprecatus ſum pro te, ne deficiat fides tua.* Audis hîc Chriſti interceſſionem, quæ cùm irrita eſſe nequeat Joh. 11. 42. quis in ducium vocet perſeverantiam eorum, pro quibus petit? Dicis, *ſi Chriſti diſcipuli fuiſſent immunes à lapſu, Chriſti interceſſio haud neceſſaria fuiſſet.* Ridiculum! diſcipulos Chriſti ſibi relictos, accedentibus Satanæ & mundi tentationibus, potuiſſe deficere nemo negat, adeoque quæſtio non eſt *de poſſibilitate deficiendi à parte hominis*, ſed *à parte Dei*: quæ poſterior demum à nobis negatur, ſuppeditante nobis negativę rationem hac ipſa Chriſti interceſſione: Ne autem dicas, hoc ſolum Petrum concernere, audi eundem Chriſtum alibi pro aliis Apoſtolis, imò pro omnibus fidelibus futuris intercedentem. *Pater Sancte,* ait Joh 17. 11. *ſerva cos in nomine tuo, ut ſint unum ſicut & nos,* & ℣. 20. *Non pro iis tantùm rogo, ſed pro iis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me*, quod paulò ante ſe facturum dixerat Joh. 14. 16.

IX. Dicit, verum eſt, Apoſtolus 1. Cor. 11. 19. *oportet hæreſes eſſe inter vos, ut, qui probi ſunt, manifeſti fiant inter vos*: ſed falsò hoc applicas Luthero & Calvino: illi enim non nati fuêre ad hęreſin excitandam, ſed potius ad hæreſin, jam olim excitatam, inhibendam. Dicit idem Apoſtolus, *Antichriſtum, hæreticum hæreticorum eſſe venturum, & ſeſſurum in templo Dei tanquam Deum* &c. 2. Theſſ. 2. 4. *prohibiturum contrahere matrimonium &* juſſurum *abſtinere à cibis* &c. 1. Tim. 4. 1. 2. Venit jamdudum *homo ille perditionis*, effecta ejus non niſi ſponte cœcutientem latent: huic ſeſe maſculè oppoſuerunt Lutherus & Calvinus, & quidem, Dei gratiâ, non ſine proſpero effectu: quòd jam vobis ſint hæretici, Viri illi Dei, eò quòd hæreticum illum magnum, Antichriſtum puta, oppugnârunt, quis non miretur? Cæterùm concedo tibi, quoſdam Evangelicos ad Eccleſiam Pontificiam rediiſſe: verùm tu etiam haud dubiè concedes S. Johañi, quod dicit 1 c. 2. 19.

 Eno-

E nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, mansissent utiq; nobiscum. Disce inposterum distinguere inter fideles *æquivoce* tales & inter eos, qui tales sunt *univocè*, Christo verâ & salvificâ fide insiti.

CAPUT XIV.

De Libero arbitrio.

DUobus modis spectari potest liberum arbitrium *absolutè* & *relatè*, seu, ut alii loquuntur, *in genere entis* & *in genere moris*. Circa utrumq; oritur nobis quæstio cum Pontificiis: circa *priorem* de ratione formali liberi arbitrii, collocantibus eam illis *in indifferentiâ*, nobis autem *in lubentiâ rationali*. Circa *posteriorem* autem de viribus ejus, & quidem post lapsum. Et hoc posteriori sensu D. JCto nostro de libero arbitrio hîc agere placet: nos viri prememus vestigia. Ad statum autem quæstionis rectè intelligendum, notandum non quæri de *bono naturali*, *civili* & *morali externo*: hujus enim respectu arbitrii vires residuas mansisse largimur, salva tamen præscientiâ & prædeterminatione Dei, (ita ut nos D. JCtus cum suis Jesuitis, tribuendo nobis quæstionis; *an homini post lapsum ullæ adhuc liberi arbitrij supersint vires*, negativam simpliciter, injuriâ afficiat) sed *de bono spirituali* & *supernaturali*: ita ut quæstio huc rideat; *An liberi arbitrii vires post lapsum quoad bonum spirituale & supernaturale sint prorsus extinctæ & deperditæ: an verò liberum arbitrium habeat adhuc vires sese inclinandi ad istud bonum?* Posterius affirmant Pontificii: nos autem prius cum Scriptura. *Et vos* una vivificavit, *cum essetis mortui in offensis & peccatis*, ait Paulus Eph. 2. 1. num etiam mortuo ulla ad vitam ex se recuperandam potentia? *Animalis homo*, ait idem, *non est capax eorum, quæ sunt Spiritus Dei: sunt enim ei stultitia, nec* (audi D. JCte) *potest* ea *cognoscere, quia spiritualiter diju-*

dijudicantur. 1. Cor. 2. 14. Alibi dicit, *nos per nos ipsos non idoneos esse ad cogitandum bonum*. 2. Cor. 3. 5. Si ne cogitare quidem aliquid boni possumus sine Christo, quî aliquid boni facere sine eodem? Audi eundem porro; φρόνημα σαρκὸς, ait, *est inimicitia adversus Deum: legi enim Dei non subjicitur: nam ne potest quidem* Rom. 8. ÿ 6. 7. Audi & Mosen; *Vidit* Jehova, *quòd magna esset malitia hominis in terra, & omnis formatio cogitationum cordis ejus* רק רע כל היום *tantum mala est omni die* Gen. 6. 5. & quidem מנעוריו *à pueritiâ ipsius* Gen. 8. 21. Et Jeremiam, *An mutabit Aethiops pellem suam & pardus maculas suas? etiam vos possetis benefacere, edocti malè facere* c. 13. 23. Quæ certè tam fortia sunt, ut corruptissimum hominis statum, nullâque amplius parte integrum & illæsum testentur: Unde & Servator ait; *Sine me nihil potestis facere* Joh. 14. 4. Observa, eum non dicere, *sine me parùm potestis*, sed *nihil*: observa præterea, eum non dicere, *sine me nihil facitis* aut *facturi estis*, sed *nihil potestis*: quod præter actum etiam ipsam potentiam excludit. Unde & Apostolus & τὸ *velle* & *perficere* non *voluntati hominis*, sed *gratiæ divinæ* in solidum deputat. Phil. 2. 13.

II. Optimè proinde B. Lutherus *Libero Arbitrio* Erasmi opposuit *servum arbitrium*, suppeditante hujus locutionis *formale* Augustino variis in locis contra Pelagianos, *materiale* autem ipsâ S. Scripturâ Joh. 8. 34. *Qui facit peccatum, servus est peccati. Vide & Rom. 6. 20. 2. Petr. 2. 19. &c.* Desinat proinde D. JCtus vociferari, *nullum dari in S. Codice locum, qui demonstret, liberum arbitrium post Adami lapsum penitus* (in spiritualibus & supernaturalibus) *corruptum & deperditum esse*. Contrarium credidisse sanam antiquitatem, falsissimum est, ut ex sequentibus patebit. Contrarium etiam non evincunt, quæ nobis D. JCtus opponit, Scripturæ loca: nam 1. *Gen. 4. 7* non habetur, *ne frænum laxato peccato, sed dominator ei*, sed ואליך תשוקתו ואתה תמשול בו i. e. *Et ad te* (non *sub te*, ut habet Vulgata vestra) *est appetitus ejus* (non *tuus*, ut eadem Vulgata habet) *& tu dominaberis illi*. Sermo est, interprete-

prete Chrysostomo *homil. 19. in Genes.* & Cyrillo *l. 2. in Gen.* non de *appetitu peccati*, sed *Abelis, qui Caino subjectus eundem venerari debuit, ut minor majorem.* Quod etiam, fatentibus ipsis Interpretibus vestris Pagnino & Ariâ Montano, ratio Grammaticæ exigit: nam cùm חטאת *peccatum* sit *fœmininum*, quî בו & affixum in תשוקתו ad illud referentur, cùm sint *masculina?* Audi LXX. Interpretes (maximè cùm *ipsorum interpretatio*, teste Jesuita Bailio Catech. controv. Tr. 2. q. 16. *juxta vos sit divinitus inspirata)* πρὸς σὲ ἡ ἀποστροφὴ αὐτοῦ (scil. Ἄβελ: non αὐτῆς scil. ἁμαρτίας) καὶ σὺ ἄρξεις αὐτοῦ, non verò αὐτῆς. Eat ergò D. JCtus cum suâ versione! Sed 2. admittamus tantisper, in gratiam viri, hanc ipsius interpretationem: num, quia Cainus jubetur dominari peccato, hinc sequetur, eum etiam id potuisse? nequaquam: præcepta Dei non sunt *mensura virium*, sed *regula officij*: non docetur ab illis, *quid nunc homo possit*, sed *quid debeat* & *quid olim potuerit.* Loca Scripturæ, *Prov. 1. 10. Jerem. 21. 8. Deut. 11. 26. & 30. 15. & Jos. 24. 15.* &c. ad quid? nam 1. in illis compellantur regeniti, de quibus nobis non est quæstio. 2. Si qui fuerunt adhuc irregeniti, illi hac ratione docentur, non *quid possint*, sed *quid debeant.* Num tu excides jure tuo obligandi debitorem, qui pecuniam à te acceptam petulanter decoxit, ad solutionem, licet is non sit amplius solvendo? non dixeris: quî ergò Deus suo excidat jure hominem, qui non minùs suâ culpâ sibi contraxit impotentiam Deo obediendi, nihilominus ad obedientiam obligandi? Desine proinde vociferari, *sanctas Dei exhortationes irritas fore, si homo non possit à malo desistere & mandato Dei morem gerere.* Mandata & exhortationes si fiunt *fidelibus*, illi per gratiam sibi collatam Deo exhortanti morem gerunt. Si *infidelibus convertendis*, Deus iisdem utitur adfingenda eorum corda ad obedientiam: num Christus frustra allocutus est Lazarum mortuum δεῦρο ἔξω, quando per illa ipsa verba mortuo infudit vitam Joh. 11. 43? Audi & Augustinum. *Convenit*, ait Op. posthum. l. 1. ad Julian. *Scriptura plerumque hominis voluntatem, ut, quod non habet & non potest, admonitus*

sen-

sentiat, & ab eo, à quo sunt omnia, indigens poscat. Respectu eorum, qui in peccatis perseverant, etiam monita frustra non sunt, cùm eis ostendant, quid ex officio præstare teneantur, &, etsi eos non convertunt, deterreant tamen, ne pejores evadant. Num D. JCtus dicet, *Christum frustra discipulos suos hortatum esse ad bona opera,* eò quòd alibi dicat, *sine me nihil potestis facere* Joh. 15.5? Tanta hîc est veritatis evidentia, ut ipse Bellarminus, postquàm paulo antè pedem in Pelagianorum castra intulerat scribendo l.6. de Lib. arb. c.15. *Homo ante omnem gratiam liberum habet arbitrium, non solùm ad opera naturalia & moralia, sed etiam ad opera pietatis & supernaturalia*, jam (sui, pro more suo, immemor) in nostra referat & agnoscat à Deo nobis imperari, quæ non sunt penes nostrum arbitrium & quæ sunt nobis impossibilia, paulo pòst *ibid.* addens; *Cæterum ipsum velle credere aut converti non potest homo habere, nisi per gratiam prævenientem acceperit, ut possit. Neq; est in potestate hominis, ut Deus illum vocet atque excitet, alioqui non diceret Apostolus 2. Tim. 2. Ne quando det eis Deus pœnitentiam & convertantur à diaboli laqueis.* En quàm sibi constet D. Cardinalis.

III. Dicit Christus, verum est, ad *Jerusalem* Matth. 23.37. *quoties volui aggregare liberos tuos, quemadmodum gallina aggregat pullos suos sub alas & noluistis:* At quid quæso hinc contra nos? num ergò quis nostrûm negat, *irregenitos posse nolle venire & resistere Deo vocanti:* negamus autem omnes, *eos pariter posse velle venire:* cùm hoc sit restaurationis per gratiam: quemadmodum illud morbi & imperfectionis. Nec feliciùs urgent ex hoc loco Jesuitæ suam de gratiæ resistibilitate sententiam: nam 1. controversia est non de *gratia externa & objectiva*, sed de *interna & subjectiva*, quam efficacem vocant Scholæ: *hanc autem gratiam efficacem eos, de quibus queritur Dominus, non habuisse*, agnoscit ipse Bellarminus *l.1. de G. & L. arb. c.11. Si enim* addit, *habuissent, voluissent sine dubio sub alas Domini congregari.* 2. Non dicit Dominus; *quoties volui vos & liberos vestros congregare*, ut scribit D. JCtus

 (osten-

(ostendat mihi Vir Biblia, in quibus ita habeatur!) sed *quoties volui congregare liberos tuos,&c.& noluistis.* Apertè ergò Hierosolymam (i. e. primores urbis Hierosolymitanæ) Dominus distinguit à liberis ejus: non dicit, *se voluisse congregare Jerusalem*; sed *ejus liberos*: nec etiam, *liberos noluisse*, sed *Hierosolymam*. Quos proinde Dominus voluit congregare, congregavit etiam, obstantibus licet primoribus urbis. Audi, quid Augustinus respondeat Juliano, objicienti; *testatum fuisse* Dominum, *intentionem suam voluntate humana impeditam fuisse, cùm dixit; Hierusalem quoties volui* &c, *Absit*, ait in Oper. posthum. contr. Julian. l. 1. p. 133. *ut impediatur ab homine omnipotentis & cuncta scientis intentio: parùm de re tanta cogitant, vel rei excogitandæ non sufficiunt, qui putant Deum omnipotentem aliquid velle & homine infirmo impediente non posse: sicut certum est, Hierusalem filios suos ab illo colligi noluisse, ita certum est* (audiat D. JCtus cum suis Jesuitis, eadem, quæ Julianus Augustino, objicientibus) *eum etiam ipsa nolente, quoscunq; eorum voluit, collegisse.* Intelligit jam, nî fallar, Vir ex data jam responsione, etiam, quæ adducit loca ex Act. 7. 51. Jes. 65. 12. &c. frustra adduci.

IV. Sine judicio etiam allegàntur loca Marc. 14. 7. 1. Cor. 7. 37. 1. Reg. 3. 11. Joh. 15. 7. Quasi verò discipuli Christi & Salomo fuerint irregeniti, de quibus nobis est quæstio. (2) Quasi vero nos negemus in moralibus externis & civilibus hominem habere liberum arbitrium, quod ne irregenitis quidem in illis in totum denegamus! Respondeat viro Augustinus idem, (quod olim Cælestio locum 1. Cor. 7. 37. urgenti) *Quasi*, ait de perfect. justit. *pro magno habendum sit, velle nubere, ubi de adjutorio divinæ misericordiæ operosius disputatur. Aut verò etiam ibi prodest aliquid velle, nisi Deus providentiâ, quâ gubernat omnia, marem fœminamq; conjugat.*

V. *In homine ante lapsum fuisse liberum arbitrium ad bonum* (quamvis interim mutabiliter, hoc est, ita ut posset velle malum, deficere ad malum) non negamus: at, *quod tale in præcipuis partibus,*

bus, ut scribis, *post lapsum manserit*, falsissimum esse, supra audivimus. *Credunt ita*, ais, *Catholici cum Scriptura*. ℞. *Pseudocatholici*, concedo: Illi credunt ita non *cum Scriptura divina*, sed *Pelagiana*. Perpende interim, qualis fuerit Catholicus Jesuita vester Maldonatus, dum scribit in cap. 6. Joh. *Liberum arbitrium in malum per se solum valet, in bonum non, nisi gratiâ juvetur.* Item Thomas 1. 2. q.109.art 6. *Quòd homo convertatur ad Deum, hoc non potest esse, nisi Deo ipsum convertente.* Hi ne sunt Catholici tui? at docent nobiscum, *hominem non habere liberum arbitrium ad bonum sine gratiâ?* Forte tibi bonus est Catholicus Bellarminus, dum *lib. 5. de Gr. & L.A.c.9.* conatur probare, *hominem posse sine auxilio speciali bonum aliquod morale perficere.* Item dum scribit l. 6. c. 5. *Conversio semper est in potestate liberi arbitrij, quoniam potest semper converti, quando voluerit.* Et paulo ante *Homo ante omnem gratiam liberum habet arbitrium, non solum ad opera naturalia & moralia, sed etiam ad opera pietatis & supernaturalia.* At bonus ille Cardinalis mox orsa à se ipse detexit, agnoscens, ut supra audivimus, cum Maldonato & Thoma, *hominem sine gratia non posse velle converti: Et non posse* (sic loquitur l. 6. c. 4.) *hominem sine speciali Dei gratia aliquid facere aut velle in iis rebus, quæ ad pietatem & salutem pertinent.* Ut verbo absolvam: Catholicis tuis hîc convenit, ut capitibus vulpium Simsonis, caudis unitarum, à se invicem aversis.

VI. Addis, *posito, non concesso, liberum arbitrium per protoplastorum inobedientiam corruptum esse, postea tamen, per Christi obedientiam, in talem rediisse statum, ut homo gratiâ Dei à malo desistere & bonum facere queat.* At quem sic oppugnat Vir? nos certè non; utpote qui ipsi docemus, hominem in statu regenerationis habere liberum arbitrium: cùm per gratiam Christi sit liberatum à servitute peccati, ut peccatum in ipso non amplius regnet: quamvis interim in hoc statu *imperfectè* sit liberum 1. Cor. 13. 9. 12. subsequente perfectione in statu glorificationis. Dicis, *Christum nobis multo plura acquisivisse, quàm in Adamo amiserimus.* ℞. 1. Si id (quod suo sensu verum esse non negamus)

ab-

absolutè verum est, sunt jam fideles in suo regenerationis statu perfectiores, quàm Adamus in statu perfectionis: quod utique ridiculum. Sciat itaque Vir, recuperationem jacturæ in protoplasto factæ non restringi ad hanc vitam, sed ad futuram se porrigere. In Adamo amissa est corporum nostrorum immortalitas; recuperata est per Christum: sed num nobis restituta in hac vita? Sed 2. quid ad rem hæc D. JCte? quæstio nobis est non de homine *in Christo*, sed *extra Christum*, i.e. irregenito. Ad quid jam loca, quæ magno numero corrasisti ex Scriptura *Heb.9.15. 1.Petr.1.18. Eph.2.20. 2.Cor.5.15. Rom.8.24.* &c.? *Colligo hinc*, ais, *omnes illos, qui quidem regeniti & fideles esse volunt, abjudicant interim homini liberum arbitrium, &, eum non posse à malo deflectere nec Dei gratiâ bonum agere docent, contra experientiam & contra Dei verbum docere.* Sed quinam Reformatorum hoc faciunt D. JCte? ostende tales: vel ego *hinc colligo*, te post tuam à nobis apostasiam, artem calumniandi audacter ex Jesuitis tuis didicisse. Docemus, verum est, *fideles in hac vita non esse sine omni peccato*; adeoque *ipsorum arbitrium non* esse *perfectè liberum*: at docet idem nobiscum S. Scriptura, ut supra evidentissimè demonstratum. Audi jam tantum Johannem 1.c.1.8. *Si dixerimus, nos non habere peccatum, nos ipsos decipimus, & veritas non est in nobis.* Nec secum pugnat idem Johannes, cum ait 1.c.3.6. *quisquis in eo manet, non peccat* &c. Item ℣.9. *quisquis natus est ex Deo, non peccat* &c. nam observante ipsomet Fero vestro in h. l. *non indigitantur hic illi, qui peccant ex ignorantiâ, sed qui peccant ex malitia atq; adeo in peccatis se oblectant.* Et quid, si vel maximè doceremus, *hominem Dei gratiâ non posse bonũ agere*, nos multùm reprehendere possent illi (Jesuitæ scil.) quibus gratia Dei tam impotens est, *ut eam etiam, convertere volentem, liberum hominis arbitrium possit irritam reddere. Eâdem ratione*, inquit Jesuita Bailius Catech.conv.Tr.4. q.4. *quâ potest egenus rejicere divitis eleemosynam, sic liberum arbitrium potest fores claudere radijs solis gratia.* Hem viros! juxta quos par in homine & æqualis est accipiendi & rejiciendi potestas:

ſtas: annon hæc ipſiſſima Caſſiani Semipelagiani fuit hæreſis *contra Collat. c. 30.* dicentis; *Idcirco manet in homine liberum ſemper arbitrium, quo gratiam Dei poſſit vel negligere vel amare.* Quid? ſi Bellarmino, Jeſuitarum Coryphæo, fides, homini ad bonum faciendum nullâ prorſus opus eſt gratiâ: Ait enim lib. 6. de Gr. & L. Arb. c. 15. *ante omnem gratiam habere nos liberum arbitrium, etiam ad opera pietatis & ſupernaturalia.* Si ante omnem: ergo etiam ante prævenientem, excitantem, moventem. Et ſic nos nunc non, ut vult Auguſtinus *lib. de corrupt. & grat.* gratia *prævenit, ut velimus*, ſed *nos Deum prævertimus, quia volumus.* Addit tandem Cardinalis ad rem duram mitigandam, *arbitrium liberum eſt, ſed ejus libertas eſt quaſi ligata & impedita, ſolvitur autem & expeditur cùm potentia proxima ad operandum per Dei gratiam prævenientem ei confertur.* Subjungit, libertatem ſe habere, *ut ſe habet potentia videndi, abſente ſpecie viſibili.* Uti igitur liberè videre poſſumus, abſente objecto, ſic liberè velle abſente gratiâ. Quæ ipſiſſima Pelagii eſt doctrina: (volebat enim ſimiliter, *hominem velle bonum, illudq; deſiderare, ſed gratiâ opus eſſe, ut illud poſſit perficere*) quam pluribus refutatam vide ab Auguſtino *Epiſt. ad Bonifac. c. 19.*

VII. Videtur in ſequentibus D. JCtus, poſt perversè propoſitam noſtram doctrinam, immane quantum, extollere gratiam, quæ homini per Chriſtum ejusque paſſionem conferatur: At vellem, me Vir doceret, qualis juxta Papicolas gratia ſit, quam Chriſtus peccatoribus hîc conferat? *Prævenire*, inquiunt D. Jeſuitæ, *excitare & adjuvare Dei eſt: at voluntatem inclinare eſt hominis.* Plus proinde Papicola libero ſuo arbitrio attribuit, quàm Deo ejusque gratiæ. Dicit Apoſtolus Phil. 2. 13. *Deum & velle & facere in nobis* ἐνεργεῖν *operari*: at hoc Jeſuitis noſtris non placet. Comparatur ab illis homo irregenitus lapſo in puteum, *qui quidem*, ait Jeſuita Coſterus in Enchirid. Tr de L. A. Object. 6. *caret facultate in loco ſpatioſo ambulandi, neq; poteſt ſeipſum educere, multa tamen poteſt, ut loqui, clamare, immiſſo fune ſe cingere & ligare, ut extrahatur cooperari.* Egregiè! Sic Viri nobis tribuunt *cupere*

egredi, conari, cingere nos, ligare & cooperari viribus naturæ trahenti nos Dei gratiæ: Deo autem tantum *nos externè invitare*. Quid hoc quæso aliud est, quàm *sacrificare* לחרמו *& suffitum facere* למכמרתו (i. e. *vim suam Deum suum facere*) ut loquitur Habacuc c. 1.16.?

VIII. *Paulus*, ais, *fatetur expressè Rom. 7. 18. se habere liberum arbitrium*: At quis hoc negat de homine regenito, qualis Paulus erat D. JCte? Homo in regeneratione cum nova vita novas nanciscitur vires, ut, cùm antea nil nisi malum velle posset, jam etiam per gratiam Sp. Sancti velit bonum: at interim imperfectè: docet te id *loc. cit.* idem Apostolus, cùm ait; *nam velle adest mihi, sed ut, quod bonum est, perficiam, non assequor*. &c. Et ℣. 21. *Invenio igitur volenti mihi facere bonum hanc legem* impositam esse, *quòd mihi malum adjaceat*. Ridiculè hîc prætendit D. JCtus, cum quibusdam Jesuitarum, *loqui hîc Apostolum sub persona sua de hominibus nondum gratiâ Christi liberatis à servitute peccati*. Refutet virum Augustinus! *Visum*, ait l. 1. c. 10. contra d. Epist. Pelag. *aliquando etiam mihi fuerat, hominem sub lege constitutum isto Apostoli sermone describi: sed vim mihi fecerunt postea illa ejus verba*: Nunc autem jam non ego operor illud: *ad hoc enim pertinet illud, quod ait & postea*: Nulla ergo condemnatio est nunc iis, qui sunt in Christo Jesu. *Et quia non video quemadmodum diceret homo sub lege positus*: Condelector legi Dei secundum interiorem hominem &c. Confutet eundem Jesuita Pererius! *Censeo*, ait is Disp. 21. in c. 7. ad Rom. *totum hunc Apostoli locum congruè commodéque intelligi posse de viris justis*: *In illos enim verè competunt & quadrant illa Apostoli sententia*: Jam non ego operor illud, sed, quod habitat in me, peccatum: Condelector legi Dei secundum interiorem hominem: Ego ipse mente servio legi Dei.

IX. Nec his obest, quod idem Apostolus alibi docet, *veterem* scilicet *illum nostrum hominem cum Christo crucifixum esse, ut aboleatur corpus peccati, ne posthac serviamus peccato Rom. 6. 6. &c.*

Nam

Nam longè aliud est *habitare*, aliud *dominari*: *Aboletur* quidem *corpus peccati* in regenitis, *ne* illi *posthac serviant peccato*, & ne *illis amplius peccatum dominetur* ℣. 14: at interim, quamdiu hîc versantur, non ità aboletur, ut non amplius in illis habitet *1. Joh. 1. v. 8. Jacob. 3. 2. 1. Reg. 8.* &c. Quod idem Apostolus porrò innuit, cùm ait ℣. 12. *Ne regnet igitur peccatum in mortali corpore vestro.* Ad quæ Augustinus. *Non ait, non sit, sed non regnet. Quamdiu vivis*, NB *necesse est peccatum esse in membris tuis: saltem illi regnum auferatur. Nigra sum, sed formosa*, ait de se electa Christi Ecclesia Cantic. 1. 5. *Nigra quidem* ob reliquias peccati & varias calamitates, quibus adhuc obnoxia hîc vivit Ecclesia; *formosa tamen* ob amorem Christi eam amplectentis & ab omni maculâ mundantis, sed *gradatim* & *de die in diem*; ut Augustinus *Serm. 201. de tempor.* bene notat. Audi Lombardum, vestrum Sententiarum Magistrum. *Apertè*, ait is l. 2. dist. 32. *ostendit Augustinus, concupiscentiam ea ratione dimitti in baptismo, non quia non maneat post baptismum, sed quia reatus in baptismo aboletur. Deinde idem ipse ostendit, eo modo etiam dimitti in baptismo, quia baptismi gratiâ concupiscentia etiam mitigatur.* Et paulo ante approbat, quod idem Augustinus porrò nobiscum docet *in l. de Baptism. puer.* dicens; *Gratiâ per baptismum id agitur, ut vetus homo crucifigatur & corpus peccati destruatur: non ita ut in ipsa vivente carne concupiscentia respersa & innata repente absumatur & non sit, sed ne obsit mortuo, quæ inerat nato.* In posterum ergò D. JCtus cum hoc Magistro suo disputet!

X. Docent, verum est, Centuriatores in præf Cent. sec. *Seculo secundo* (ubi autem relinquit sec primum is, qui demonstrare volebat, *hunc articulum semper ita post Christi nativitatem in Eccl. Catholica creditum esse*) *doctrinam de libero arbitrio cœpisse vitiari*: docent etiam, *seculis sequentibus extitisse, qui nimium viribus humanis tribuerint.* At quid hinc quæso contra nos D. JCte? qui idem cum Centuriatoribus fatemur. *At docetis*, ais, *Ecclesiam quinq; prioribus seculis adhuc fuisse puram & sine errore.* ℞. Nos hoc doce-

docere est tuum figmentum, suprà fusiùs refutatum. Docemus, *illis seculis Ecclesiam fuisse puriorem* (scil. quàm sequentibus) at *fuisse omnimodè puram, ut nullus unquam obtinuerit error*, nullus nostrûm unquam docuit. Nimium igitur tribuerint quidam Patres libero arbitrio, quemadmodum quosdam eorum nimium tribuisse cum Centuriatoribus haud diffitemur, quid tum? Patribus opponimus Patres. Si fuerunt, qui errârunt, fuerunt etiam, qui errantes correxerunt. Et quæso D. JCte, quid etiam hinc pro te, si quidam Patres nimium tribuerunt libero arbitrio? num hinc sequetur, eos hac in re fuisse Pontificios? Non credit hoc vester Cardinalis Toletus. *Chrysostomus* ait ille in Joh c. 6 annotat. 20. *& Euthymius respondent, Deum dare ut credant, iis qui aliqua præparatione se faciunt dignos, ut hoc eis à patre detur* &c. *Eadem est doctrina Cyrilli. Est autem hæc doctrina, non istorum tantum, sed aliorum Doctorum, maximè Græcorum, qui libero arbitrio humano multum tribuebant, nondum Pelagianâ tum hæresi grassante, maximè Chrysostomi temporibus.* En idem Cardinalis tui nobiscum de Patribus Græcis judicium! Ad Latinos quod attinet, si quando arbitrii libertatem in prima hominis conversione asserunt, intelligunt libertatem adversus coactionem, quam & nos admittimus. Alibi apertis verbis nobis assentiuntur. Audi jam brevitatis gratiâ Augustinum duntaxat. *Liberum arbitrium*, ait is Epist. 107. *ad diligendum Deum, primi peccati granditate perdidimus.* Et de C. Dei l. 14. c. 11. *Arbitrium igitur voluntatis tunc est verè liberum, cùm vitiis peccatisq; non servit; tale datum est à Deo, quod amissum proprio vitio, nisi à quo dari potuit, reddi non potest.* Rursum de correpr. & gr. l. 1. *Liberum arbitrium ad bonum & ad malum confitendum est nos habere, sed in malo faciendo liber est quisq; justitiæ, servusq; peccati, in bono autem liber esse nullus potest, nisi fuerit liberatus ab illo, qui dixit, si vos liberaverit filius, verè liberi eritis.* Talibus abundat Augustinus: unde nemo non videt, Augustinum totum hîc nostrum esse. Quare & olim à Pelagianis amatus fuit, ut nos adhuc hodie à Jesuitis. Si interim

D. JCtus

D. JCtus mavult agere cum Lombardo, suo sententiarum Magistro, quàm cum Patribus (edoctus, Patres duntaxat à Jesuitis citari, ut simplicibus palpum obtrudant & ut, dum vident se premi à Reformatis, sub ipsorum antiquitate lateant, ut piscis ille, quem Plinius sepiam nuncupat, sub suo atro cruore, quo, ne videatur à capientibus, se circumfundere solet) audi eum Augustino & nobis assentientem. *Post peccatum*, inquit Lib. 2. dist. 25. *ante reparationem gratiæ premitur à concupiscentia & vincitur, & habet infirmitatem in malo, sed non habet gratiam in bono & ideo potest peccare & NB non potest non peccare etiam damnabiliter.* Didicerat hæc Magister ille ex Augustino *Contr. Fortun. Manic. disp. 2.* scribente; Postquam *primus homo libera voluntate peccavit, nos in necessitatem præcipitati sumus, qui ab ejus stirpe descendimus.* Disputet ergò in posterum discipulus cum suo Magistro!

CAPUT XV.

An præstantissima quæque Christianorum opera sunt peccatis inquinata? & , an homo est naturâ propensus ad odium Dei & proximi?

AFfirmat utrumque Catechismus Heidelbergensis: Negat autem D. JCtus, & argumenta, quibus à Catechismo *Affirmativa* probatur, refutare conatur. Quàm prosperè Vir rem expediat, videamus. Ad *prius* probandum, adducit Catechismus, inter alia, locum Jesaiæ cap. 64. 6. *Facti sumus, ut immun-*

 dus,

dus, omnes nos, & quasi pannus menstruata omnes justitia nostra. Et rectissimè: Exprimit Jesaias immunditiem, eamque enuntiat de omnibus, quibus & seipsum annumerat. Quæ D. JCtus contrà excipit, vana sunt, & suprà *cap. 10. num. 10.* modò discussa, ipsiq; os obstructum per *proprios fratres:* his jam addat *Patrem suum*, ut ipse vocat, *sanctissimum*, Gregorium M. *Si de his,* ait is lib. 35. moral. c. 16. *districtè discutimur, quis inter ista remanet salutis locus, quin & mala nostra pura mala sunt, & bona, quæ nos habere credimus N.B. pura bona esse nequaquam possunt. Quin etiam* (sic loquitur l. 9. moral. c. 11.) *si quid habuero justum, non respondebo, sed meum judicem deprecabor. Ut enim sæpius diximus, omnis humana justitia injustitia etiam convincitur, si* districtè *judicetur.* Dicat mihi heic D. JCtus, num hic Papa Roman. doceat verum, an falsum? Si *posterius:* quî Papicolæ credunt, eum in causa fidei esse infallibilem? Si *prius:* quomodo nos docemus falsum, cùm idem, quod ipse, hîc doceamus?

II. Addit Vir. *Si opera, & quidem speciatim præstantissima sunt peccatis inquinata, Christus, asserendo Matth. 7. 17. omnem arborem bonam ferre fructum bonum.* Et ℣. 18. *Non posse arborem bonam fructus malos edere, veritatem non dixit* &c. At quis hominem non miretur? Si ipsius argumentatio (quæ huc redit; *Arbor bona non potest ferre fructus malos: atqui homo regenitus est arbor bona: Ergò non potest fructus malos,* i. e. peccare) procedit; non obtinebunt amplius in oratione Dominicâ verba, *Remitte nobis debita nostra* &c. Aliud est *esse bonum*, aliud *esse perfectè bonum: bonas arbores* nuncupat Christus *regenitos:* non *perfectè bonas:* illi jam ferunt *fructus bonos*, sed non *perfectè bonos* 1. Joh. 1. 8. *In hac vita,* ait Papa Gregorius l. 21. Moral. c. 9. *multi quidem sine crimine, sine peccato esse nullus valet.* Pergat sic Papa erudire Papistam! *Dicebant olim,* teste Augustino de hæres. c. 88. *Pelagiani, vitam justorum in hoc seculo, nullum habere omnino peccatum, & ex his Ecclesiam Christi in hac mortalitate perfici, ut sit omnino sine macula & ruga, quasi non sit Christi Ecclesia, quæ in toto terrarum orbe, clamat ad Deum, dimitte*

nobis

nobis debita nostra. A Pelagianis antiquioribus non multùm abeunt Recentiores. Respondeat autem utrisq; Augustinus. *Quemlibet*, inquit in Joh. Tract. 41. *valde justum discutias in hac vita, quamvis jam sit dignus justi vocabulo, non est tamen sine peccato.* Addit Beda ex eodem Augustino in c. 8. Ep. ad Rom. *Nunc ergo & similes ei esse jam cœpimus, habentes primitias Spiritus & adhuc dissimiles sumus per reliquias vetustatis; Proinde in quantum similes, in tantum regenerante Spiritu Filij Dei: in quantum autem dissimiles, in tantum filij carnis & seculi, donec totum transeat in adoptionem & non sit peccator:* Discit hinc capere D. JCtus (quod hactenus non potuit) quî in eodem Subjecto possint esse duo contraria: quod autem ut eò melius capiat, discat simul in posterum distinguere inter gradum intensum & remissum!

III. Subjungit, *hac doctrina, quòd præstantissima quæq; opera sint peccatis inquinata, pugnat 1. cum expresso Dei verbo. 2. Cum merito Christi. 3. Cum ipsa Reformatorum doctrina!* Audiamus probationem! *Cum Dei verbo pugnat*, inquit, *quia in eo expressè contrarium legitur.* Quibus verbis D. JCte? *his* ais: *Religiosus autem cultus purus apud Deum & Patrem hic est, invisere orphanos & viduas in afflictione eorum & immaculatum sese servare à mundo* Jacob. 1. 27. Sed quid inde? *Ergo,* ais, *non est peccatis maculatus:* Res acu tacta, scilicet! Opera vel considerantur in paterna acceptatione Dei per respectum meriti Christi vel in legali & intrinsecâ dignitate. *Priori modo* hîc considerat Jacobus, dum ait, *invisere orphanos & viduas* esse *religiosum cultum purum* & propterea addit *apud Deum & Patrem*, qui nos & opera nostra spectat in Christo, eorum impuritatem & imperfectionem suâ munditie & perfectione tegente. Non *posteriori*: qui enim noverat cum Johanne *nos non esse sine peccato 1. c. 1. 8*, imò ipse scribebat, *nos in multis labi omnes c. 3. 2*, noverat etiam, nostram orphanorum & viduarum visitationem religionem absolutè mundam non constituere. Dicat mihi interim D. JCtus, quam Religionem (sic enim reddit vocem θρησκεία Vulgatus) habeant monachi & moniales in

Papatu, qui monasteriis suis ita inclusi hærent, ut nunquam egrediantur, (imò ne quidem liceat,) *ad invisendum orphanos & viduas?* En egregiam religionem monachalem! quæ monito Jacobi egregiè respondet! *Bona opera eleëmosynarum* (quod addis) *extinguere peccata*, non legitur Dan. 4.27, imò nusquam in Scripturâ, sed tuum est figmentum: Ita enim legitur l. cit. in Chaldæo חטיך בצדקה פרק *peccata tua per justitiam abrumpe.* Suadet proinde Propheta Regi vitæ hactenus actæ immutationem, ut, per opera pœnitentiæ & charitatis, injuriarum illatarum aliorumque peccatorum cursum abrumpat.

IV. Verum est, *Lothum*, Johannem, *Abelem*, *Simeonem*, *Paulum aliosque Dei servos fuisse justos & perfectos*: at quid quæso ad rem? probandum tibi, quòd fuerint justi & perfecti absolutè: si hoc eviceris, dabimus locum tuæ consequentiæ: Ergò *ipsorum opera non fuerunt peccatis inquinata.* Unde autem & quando hoc evinces? Dicuntur quidem viri illi justi & perfecti, sed *comparatè* respectu minùs Sanctorum: non *absolutè*: ut supra *cap. 9. nu. 9. & seq.* pluribus modò demonstratum. Audi adhuc parumper Bellarminum tuum. *Multi*, ait l. 3. de Eccles. c. 8. *in Scriptura dicuntur perfecti, & tamen nemo est perfectus in hac vita absolutè.* En docet idem Cardinalis tuus, quod nos: cum illo ergò in posterum disputare poteris. Adde huic Dionysium Rickelium Carthusianum, qui *in Psalm. 142.* scribit; *Quid est, quod Ezechiel*, Jere*mias, aliiq; multi leguntur suas coram Deo justitias atq; perfectiones præcipuas allegâsse? Et respondendum, quòd non simpliciter, sed humano more se justos dixerint, scientes utiq;, quòd omnes eorum justitiæ essent coram Deo, sicut pannus menstruatæ.* En vim veritatis è medio Papatus erumpentem!

V. Quæ addis, sunt crambe bis cocta, superius, *cap. 10. num. 9.* quantum satis, discussa. Sunt certè opera bona, quæ peragimus, καρποὶ τοῦ πνεύματος Gal. 5. 22. At interim non sunt perfecta, quia non immediatè à Sp. Sancto proficiscuntur: Placet ipsi agere per causas secundas: & hinc actiones ipsius, quæ, quatenus

tenus ab ipso immediatè manant, sunt perfectissimæ, aliquid trahunt imperfectionis ex vitio instrumenti. Sed erudiat Papistam (si hoc capere non potest) Papista. *Semper aliquid hominis*, ait Cottonus Institut. p.804. *est in actionibus nostris, hoc est, aliquid imperfectionis & miseræ admixtum.* Desinat proinde D. JCtus vociferari, *hanc non esse doctrinam Evangelicam, sed Calvinianam, horribilem!* nisi velit calumniantibus adnumerari. Sed castigetur Pontificius porrò per Pontificium. *Cùm Calvinus*, ait idem Cottonus lib. cit. p.904. *scribit, omnia opera nostra, quantumvis bona, peccata esse coram Deo, dicere noluit, id quod à Deo in nobis est, bonum non esse, sed voluit aut debuit docere, id quod in nobis vel actionibus nostris, à nobis est & non à Deo, nihil esse præter sordes. Quoniam autem ordinariè, aliquid nostri semper admixtum est cum opere Dei, quemadmodum videmus scoriam metallo admixtam; propterea justitias nostras comparari panno maculato. Et dici potest, quòd si comparentur separatim à meritis filii, vel sine misericordia examinentur, vindictam potiùs peterent, quàm remunerationem!* En ipsissimam doctrinam & Calvini & nostram à Jesuita justificatam! Agat egò Papista cum Jesuita!

VI. Verum est, *Sponsam Christi prædicari in Scriptura totam pulchram, pulchram instar lunæ, puram instar solis, non habentem maculam & rugam* Cant. 6.9. & 4.7. Eph.5. At, ut suprà responsum modò, prædicatur talis, *quia nullæ maculæ ei imputantur, quippe per Christum condonatæ.* Respondeat jam tibi porrò tuus Bellarminus. *Anima justa* ait l.3. de Eccl. c.8. (ad loca Cantici à te nobis opposita) *dicitur tota pulchra per hyperbolem, quæ familiaris est amantibus.* Addit paulò pòst, non esse hoc intelligendum absolutè: *Quomodo etiam*, inquit, *nemo est perfectus in hac vita absolutè, & tamen multi dicuntur in Scripturis perfecti, quia erant tales pro statu hujus vitæ.* Ad locum Eph. 5. 27. (cujus oblitus fuerat D. JCtus) idem Bellarminus respondet 1. *intelligi posse de Ecclesia, non ut nunc est, sed ut erit post resurrectionem.* 2. *Probabilius tamen esse, Apostolum loqui de Ecclesia hujus temporis, sed tribuere*

per synecdochen toti Ecclesiæ, quod convenit uni parti. Qui enim nunc sunt in Ecclesia justi, sunt gloriosi per gratiæ pulchritudinem, quæ est gloria inchoata: sunt sine macula, ut paulo ante expositum, & sunt sine ruga, quia per baptismum renovati sunt, depositoque vetere homine induerunt novum: rugæ enim signa sunt vetustatis. Et quid? annon peccata venialia maculant hominem? Fatetur Bellarminus *loc. cit.* Annon & omnes totius Ecclesiæ homines, etiam sanctissimi, habent peccata venialia? fatetur & hoc Bellarminus (neminem excipiens præter Christum & Mariam) quî ergo & juxta Pontificios *Sponsa Christi in hoc mundo est absolute pulchra, pura & sine macula?*

VII. Conatur jam & 2. probare D. JCtus, *hanc doctrinam nostram existere injuriosam in meritum Christi.* Videamus, quàm felix sit in probando: *Apud pios*, ait, *in confesso est, Christum nos sanctificâsse ad bona opera: ea autem si sunt peccatis inquinata: exilis utique est sanctificatio.* At nugæ nugarum! Ad quas jam sæpius supra responsum. Non omnia effecta gratiæ hîc complentur: Sed quædam hîc inchoantur & complentur, ut *vocatio* & *justificatio*: quædam verò hîc inchoantur & in cœlo demum complentur, & inter hæc obtinet sanctificatio. Placet Christo hîc nobis dare ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος *primitias Spiritus* Rom. 8. 23. & vult, *ut internus noster homo in dies renovetur* 2. Cor. 4. 16. donec tandem *post resurrectionem* (ut supra audivimus fatentem ipsum Bellarminum ex loco Pauli Eph. 5. 27.) *sine omni macula & ruga* existamus. Quæ subnectis, sunt crambe toties cocta & recocta, ut nauseam pariant: Respondeat tibi jam (cùm à me ad ea superius satis responsum sit) vester Ferus. *Etiam in operibus bonis*, ait ille in Matth. c. 12. *nonnihil mali occurrit. Quamvis enim, qui in Christo sunt baptizati, Christum induerunt, Christus autem justitiam secum adfert* (huc jam refer, quæ citas, loca Psal. 110. 3. Joh. 15. 5. Matth. 7. 16. 1. Cor. 3 16. Gal. 3. 14. &c.) *tamen nondum plane interiit Adam ille vetus: unde fit, ut cum Christus gratiâ suâ ad bona opera exstimulat, ipse Adam, id est, perversa natura adjiciat vel aliquid propria complacentia vel proprii commodi &c.*

&c. quò fit, ut opus ipsum nunquam sit perfectum, quamvis ex misericordia Dei non imputetur piis. En docet hîc Frater tuus, quod nos docemus! illum ergò in posterum, priusquam te ad nos vertas, aggredere.

VIII. Pergis, *etiam hanc doctrinam esse 3. ipsis Reformatis contrariam & perniciosam:* Quid ita D. JCte? *Sic enim supremo morientis suspirio, utpote præstantissimo cuidam operi*, ais, *adhæsura esset macula*: Quid tum? perge: *sic moriens, utpote adhuc maculatus præcipitaretur in infernum?* Grandem subtilitatem! statuimus, verum est, idque cum S. Scripturâ, fideles, quamdiu in hac miseriarum valle versantur, non esse sine omnes peccato 1. Joh. 1. Jac. 3. 1. Reg. 8. &c. At statuimus etiam cum eadem, peccata plenè eis in hac vita remitti, eisq; non imputari, adeò ut in iis, testante Paulo, utpote *in Christo existentibus, nulla amplius sit condemnatio.* Rom. 8. 1. Si nulla amplius condemnatio, quî ergò adhuc condemnarentur? Dicesne, *illos interim non posse ingredi cœlum, eò quòd non sint sine macula?* Est vetus Jesuitanum cantilena, sed sine melodia: quasi inchoata renovatio in fidelibus, quando corpus & anima separantur, non perficiatur, ut anima corpus deponens, deponat simul reliquias peccatorum! quorsum Paulus respexit, suspirans; *Miser ego homo, quis me eripiet ex isto corpore mortis* Rom. 7. 23.

IX. Altera D. JCri quæstio est; *An homo naturâ sit propensus ad odium Dei & proximi?* Ad quam ipse negativè respondet, *tantum abesse* existimans, *ut homo sit naturâ propensus ad odium Dei & proximi, ut potius è contrario naturâ propensus sit ad amorem Dei & proximi.* **Ich bin von Natur** / ait Coppensteinius, Monachus Dominican. *Catech. Incalvinis. q. 5.* **geneigt Gott und meinen Nechsten zu lieben: Ob gleich die Natur fast sehr geschwächet und verderbet worden.** Hem viros! qui sic quid aliud innuunt, quàm se non navigare in cymba Christi, sed in pelago Pelagii? Catechesis nostra propositam quæstionem affirmat: idque (ut

ex

ex sequentibus patebit) rectissime: Intelligit autem (ut hoc præmittamus sensus gratia) 1. per vocem *naturæ* non *ipsam essentiam*, quo sensu Paulus ait; *ignorantes Deum serviebatis iis, qui* φύσει *natura non sunt Dii Gal. 4. 8.* sed *naturalem & originalem corruptionem*: quemadmodum accipitur ab eodem Apostolo Eph. 2 3. *Eramus naturâ filii iræ*: adeoque 2. Catechesis loquitur de homine, nō *quà regenito*, sed *ut in se est post lapsum*, & *jacet in naturali sua corruptione*, qui eidem Apostolo dicitur ἄνθρωπος ψυχικὸς *homo animalis* 1. Cor. 2. 14. 3 Per *odisse* intelligit *averso esse à Deo animo, legem ejus transgredi, mandatis ejus repugnare, carnaliter affectum esse: proximum non diligere: male affectum in ipsum habere animum* &c. Hæc est mens nostri Catechismi: quæ eadem & S. Scripturæ est: audi eam: *Quod sapit caro*, ait Paulus, *inimicitia est adversus Deum: legi enim non subjicitur: nam ne potest quidem Rom. 8. 7. Ego sum visitans*, inquit ipse Jehova, *iniquitatem Patrum in filios, in nepotes & in abnepotes, in eos qui oderunt me*, id est, qui transgrediuntur mandata mea, ut evidentissime liquet ex opposito: addit enim Dominus; *Exercens vero benignitatem in millesimos* à Patribus, *qui diligunt me & observant mandata mea* Exod. 20. 5. 6. *Surge Jehova*, ait Moses, *& dispergantur inimici tui, fugiantque osores tui à facie tua* Num. 10. 35. Et Christus ad discipulos suos; *Si mundus vos odit, scitis, me priùs, quàm vos illis odio habitum esse* Joh. 15. 18. Et porro vers. 23. 24. *Qui me odit*, is *etiam Patrem meum odit* &c. Vide & Psal. 83. 18. & 68. 1. Joh. 3. 20. 1. Joh. 1. 5. Rom. 5. 8. Gal. 5. 17. & seq. Col. 1. 21. Jacob. 4. 4. &c.

X. In iis, quæ his opponis, demonstras te (ut in cæteris omnibus hactenus oppositis) causidicum haud veridicum: *hac*, ais, *doctrina repugnat naturæ & rationi, nec reperitur in Scripturâ*: At quam verax sis, liquet modo ex supra dictis. *Interroga*, pergis, *mille matres, annon naturâ cogantur liberos suos magis diligere quam suam ipsarum vitam: Ergò illos naturâ non oderunt*. Interroga tu quoque mille matres (adde &, si vis, mille patres) annon ludas termino *naturæ*? Omnes, quotquot veritatem amant, fatebuntur,

tur, *naturæ*, id eſt στοργῇ ſeu *naturali amoris impulſui*, quô complectantur liberos ſuos, adhærere *naturam*, id eſt, *corruptionem naturalem*, ita ut ſæpiſſimè (vel liberos non debitè Deo conſecrando, vel eis nimium indulgendo, vel ſcandala præbendo, vel denique, ut loquitur Apoſtolus, *eos non enutriendo diſciplina & admonitione Domini*, *Eph. 6. 4.*) à Dei præſcripto abeat. Dicit Salomo, eum, *qui cohibet virgam ſuam, odiſſe filium ſuum. Prov. 13. 24.* At ubi parentes, qui non ſæpe parcunt virgæ, (i. e. diſciplinam juxta Dei verbum requiſitam negligunt) ubi ſtringenda erat, idque ex amore in liberos? E. ipſorum amor non eſt ſine odio.

XI. Quæ contra loca à Catechiſmo allata excipis, futiliſſima ſunt. *Habetur*, ais, *ad Rom 8. 7. quod carnaliter affectum eſſe ſit immicitia adverſus Deum: non autem: omnes homines naturâ propenſos eſſe ad odium Dei & proximi.* At 1. ubi & quando Catechiſmus noſter hoc loco uſus eſt ad probandum, *hominem naturâ eſſe propenſum ad odium proximi*? Sed 2. probemus Viro, quod probari deſiderat. *1. Qui carnalis eſt, ille naturâ* (i. e. naturali & carnali corruptione) *propenſus eſt ad odium Dei & proximi: Atqui omnis homo, etiam regenitus, ſecundum partem non renatam, carnalis eſt: Ergò naturâ propenſus eſt ad odium Dei & proximi.* Major quoad Deum liquet l. cit. ad Rom. 8. 7. φρόνημα τῆς σαρκὸς *eſt inimicitia adverſus Deum*, quoad proximum Gal. 5. 19. 20 & Tit. 3. 3. *ubi ex carne, inter alia vitia, etiam expreſsè legitur naſci odium proximi.* Minorem probat idem Apoſtolas exemplo ſuæ ipſius perſonæ Rom. 7. 14. *Scimus enim legem eſſe ſpiritualem: At ego CARNALIS ſum, venditus, ut ſubjicerer peccato.* Hæc ἐπιθυμία τῆς σαρκὸς (ſic enim alibi nuncupatur Apoſtolo Gal. 5 24.) tribuitur omnibus hominibus, tum ante diluvium Gen. 6. 5. tum etiam poſt diluvium Gen. 8. 21. (ut nimirum oſtenderetur, non eſſe reſtringendam hanc cordis humani pravitatem ad impios illos, qui diluvio perierant) quod ne amplius neget D. JCtus, audiat ipſum Deum יצר לב האדם *figmentum cordis humani*, *eſt malum à pueritia ipſius.* Audiat & Davidem הכל סר יחדו נאלחו, *omnes receſſerunt,*

ſimul

simul inutiles facti sunt: non est, qui faciat bonum אין גם אחד, *non est vel unus.* Audiat denique & ipsum Paulum; *Non est justus οὐδὲ εἷς ne unus quidem* Rom. 3. 10. 12. 2. Qui naturâ suâ propensus est ad peccandum contra Deum & proximum, is etiam naturâ propensus est ad odium Dei & proximi: Atqui omnis homo, quà irregenitus, est propensus ad peccandum contra Deum & proximum. Ergo. &c. Major hinc liquet, quia, ut supra *num. 9.* audivimus, *peccare*, seu *legem Dei de diligendo Deo & proximo transgredi*, est, dicente ipsomet Deo, *odisse. Vide Exod. 20. 5 6. &c.* Minor patet ex Gen. 6. 5. & 8. 21. Jer. 13. 23. Job. 15. 16. &c. 3. *In quibus concupiscit caro adversus Spiritum*, nobis dilectionem Dei & proximi commendantem, *in illis adhuc est naturalis inclinatio ad odium Dei & proximi*: atqui *in omnibus regenitis* secundum partem non renatam *concupiscit caro adversus Spiritum.* Ergo &c. Major per se patet. Minor liquet Gal. 5. 17. *Nam caro concupiscit adversus Spiritum, Spiritus autem adversus carnem: hæc autem inter se opposita sunt, ut non, quæcunque volueritis, eadem faciatis.* Incassum nobis opponis versum 9. *Vos autem non estis in carne, sed in Spiritu: siquidem Dei Spiritus habitat in vobis* &c. nam longè aliud est *illud* φρόνημα seu ἐπιθυμίαν τῆς σαρκὸς adhuc secum gestare: aliud *in carne esse* & *secundum carnem vivere.* Prius adhuc obtinet in omnibus hominibus, etiam ipsis regenitis: nam *in ipsis*, teste Paulo, *concupiscit adhuc caro adversus Spiritum & Spiritus adversus carnem* Gal. 5. 17. Unde & omnes regeniti, quamvis sint in Spiritu, ex parte adhuc sunt carnales & sic vocantur etiam Rom. 7. 14. Posterius autem in irregenitis tantum: ad regenitos enim quod attinet, *illi* ἐσταύρωσαν *crucifixerunt carnem cum affectibus & cupiditatibus* Gal. 5. 24. ita ut secundum carnem non ambulent: quamvis, quamdiu hìc versantur, ad perfectionis culmen non ascendant: id quod ipse Apostolus agnoscit, dum addit Gal. 5. 17. *Hæc autem inter se sunt opposita, ut non, quæcunque volueritis, eadem faciatis.* Et de se ipso Rom. 7. 19. *Non facio bonum, quod volo, sed malum, quod nolo, hoc ago.*

XII.

XII. Quæ jam porrò regeris ad loca Eph. 2. 3. Tit. 3. 3. num etiam cassâ nuce digna? Dicis, *illud OLIM Apostolo idem esse, quod ante apparitionem Christi in carne*. Quo effugio num etiam calvius dari potest? Audiamus Apostoli verba. *Inter quos*, ait (Eph. 2. 3.) *& nos omnes conversati sumus olim in cupiditatibus carnis nostræ, facientes, quæ carni ac cogitationibus libebant, eramusque naturâ filii iræ, ut etiam reliqui.* Observa 1. Apostolum se & omnes regenitos opponere illis qui *OLIM* ambulârunt in carne: si jam *τὸ olim* idem est, quod ante Christum natum, sequetur, neminem fuisse regenitum ante natum Christum: quanta hæc sit injuria in priscos Dei servos, imò in ipsam B. V. Mariam, nemo non videt. Observa 2, eundem dicere, *nos omnes inter eos conversatos esse olim*: Hæc autem verba cùm (ut bene observat Jesuita Salmero *Comm. in Epist. ad Tit.* & probat ex Chrysostomo) extendantur ad *omnes credentes*, ità ut *Apostolus*, addente Salmerone, *hoc argumento utatur ad nos ipsos humiliandos & submittendos*, dicas mihi velim, quî omnes credentes, *qui jam hoc argumento submittendi sunt*, olim, id est (juxta te) *ante Christi apparitionem in carne*, extiterint, ut potuerint conversari inter illos irregenitos? Sed pellat Papista Papistam! *Hoc præsenti capite*, ait idem Jesuitarum Patriarcha Salmero *Comm. in Ep. ad Ephes. confirmat eos respectu veteris status, in quo fuerunt* (olim) *antequam ad Christum vocati essent*, id est: (ut Catechesis nostra loquitur) *ante nostram conversionem*, naturâ nondum per Spiritum Sanctum regenitâ.

XIII. His præmissis, nemo non videt, enervata jacere omnia, quæ subjungis. Verum est, *Deum, qui dives est misericordia, nos quum mortui essemus in offensis, unà vivificâsse in Christo Eph. 2. &c.* Verum etiam, *veterem illum nostrum hominem cum eo crucifixum esse, ut cassum reddatur corpus peccati, ne posthac serviamus peccato Rom. 6. 6.* Verum denique, *nos jam esse liberatos à peccato v. 17. 18.* &c. Sed quid quæso ad rem D. JCte? Aliud est, *liberatum esse à peccato, quoad reatum & dominium ejus*, aliud *liberatum esse quoad*

 ad

ad ejus inhæsionem. Prius innuitur locis citatis: non autem posterius. Imo, *si dicamus, nos non habere peccatum, nos ipsos*, teste Johanne, *decipimus & veritas in nobis non est 1. c. 1. 8.* Quamdiu caro in nobis manet, manet autem, quamdiu hîc versamur, sanctificatio non est perfecta, sed adhuc, quamvis Christi Spiritus in nobis sit, ex parte *carnales* sumus Rom. 7. 14 Gal. 5. 17. & quilibet fidelium cum Paulo dicere habet necesse; *Non facio bonum, quod volo, sed malum, quod nolo, hoc ago. Rom. 7. 19.*

XIV. Decreveramus hîc, cùm omnia, quæ D. JCtus subnectit, non nisi tautologiæ sint inanes, jam supra enervatæ & profligatæ, subsistere: Verum cùm Vir adhuc singulare telum nobis minetur, & quidem ex Ezech. c. 36. 26. 27. insequamur eum adhuc parumper, ne vadimonium deserere velle videamur. *Imo*, ait, *ut Adversariorum errorem quilibet manibus quasi palpet, legimus apud Ezechielem, Deum membris Ecclesiæ N. Testamenti promisisse dare novum cor & novum Spiritum & facere, ut in statutis suis ambulent & jura sua observent.* En quàm arctè à Viro illaqueemur! At interim, quid hinc D. JCte? *Ergò*, ais, *verum non est, fidelium, sub vexillo crucis Christi militantium opera præstantissima esse peccatis inquinata, aut nos omnes naturâ esse propensos ad odium Dei & proximi.* Ridiculum! Eâdem enim facilitate & felicitate posses concludere contra Johannem: *Ergo verum non est, peccatum adhuc semper nobis inhærere 1. c. 1. 8.* contra Paulum; *Ergò verum non est, regenitos adhuc* (secundum partem non renatam) *esse carnales Rom. 7. 14.* Item, *carnem concupiscere adversus Spiritum Gal. 5. 17.* & contra Jesaiam; *Ergo verum non est, omnes justitias nostras esse instar panni menstruatæ c. 64. 6.* Eò quòd fideles nacti sunt *cor novum* & *Spiritum novum*, sequitur quidem eos non ambulare secundum carnem & Deum proximumque ipso actu malitiosè atque petulanter non odisse; sed non sequitur, *eos non amplius NATVRA* seu *quoad veterem hominem propensos esse ad odium Dei & proximi.* Quos cum Paulo dicere oportet. *Scimus, legem esse spiritualem: at ego carnalis sum, venditus, ut subjicerer peccato.*

Quod

Quod enim perpetro, non agnosco, non enim, quod volo, hoc ago, sed quod odi, hoc facio &c. *Quod si facio ego id, quod nolo, non amplius ego id perpetro, sed peccatum, quod in me habitat. Invenio igitur, volenti mihi facere bonum, hanc legem* impositam esse, *quod mihi malum adjaceat: Delector enim lege Dei quoad hominem interiorem, sed video aliam legem in membris meis belligerantem adversus legem mentis meæ & captivam reddentem me legi peccati, quæ est in membris meis. Miser ego homo, quis me eripiet ex isto corpore mortis Rom. 7. 14. & seq.* Certè illi eo ipso fatentur, se licet *cor novum* & *Spiritum novum* à Deo nactos, *naturâ* adhuc propensos esse ad malum. Sed pressius adhuc Viro soporem excutiamus. Promittitur l. c. *cor novum* & *spiritus novus* omnibus fidelibus N. Testamenti communis: Si jam *cor illud novum* & *spiritus ille novus* infert impletionem legis omnimodè perfectam, sequitur, omnes fideles N. T. omnimodè perfectè implere legem: An placet hoc D. JCte? Atqui in Schola vestra perfecta impletio legis non est omnium, sed quorundam tantum! Non ergo nos ferit istud telum tuum: quod si interim vibres in fratres tuos, Monachos & Jesuitas, forte non ità inane cadet, maximè si ità dirigatur; *Fideles N. Testamenti non ambulant in statutis humanis, sed in statutis Iehovæ: Monachi & Iesuitæ & quotquot ab illis dependent, ambulant in statutis humanis. Ergo non sunt fideles N. Testamenti.* Minorem si tibi negant, invenis eam à me probatam *cap 3. Paragr. 3.* Et tu ipse eandem illis facilè probaveris, qui mecum nôsti, Pentalogum Papæ longè præferri in Papatu Decalogo Jehovæ.

XV. Subjungis, *Catechismum loqui de hominibus regenitis & interim naturam & opera eorum tam horrendè describere, quasi nec baptismus nec passio Christi nobis aliquid contulerit* &c. At quousque tu tandem cassas istas nuces tuas nundinari perges? Loquitur Catechismus noster de homine, qualis in se est, jacens in miseriâ suâ. Respondet quidem regenitus, sed qui se considerat, non qualis sit *gratiâ*, sed *naturâ*, respectu carnis seu hominis veteris: Hanc jam naturam Catechismus describit, qualiter

eandem suprà audivimus describi ab ipso Paulo Rom. 7. 14. 15. 16. 17. &c. & 8. 7. & seq. Gal. 5. 17. Eph. 2. 3. &c. Est ne hoc horrendum D. JCte? nimirum tibi *horrendum* est, quod *horrendis* Papatus *erroribus* est contrarium, licet cæteroquin clarissimè in ipsâ S. Scripturâ doceatur! Sed respondeat Papistæ Papista. Est is Didacus Stella, qui doctrinam nostram non pro fœda & horrenda, sed pro verissima agnoscit & idem cum Catechismo nostro docet, dum *in Luc. c. 11.* ita scribit; *Hoc* (quod scil. habetur Joh. 9. 3. *Scimus, Deum peccatores non exaudire*) *non est simpliciter accipiendum, alioqui multos homines non exaudiret Deus, quia NB. omnes NATVRA sumus peccatores, & omnes oramus; dimitte nobis debita nostra: nec quisquam gloriari potest, castum se habere cor, imò si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus &c.* En doctrinam Catechesis nostræ ab ipso Fratre tuo justificatam! Disputet ergo in posterum, missa Catechesi, Frater cum Fratre: Ego interim Fratrem contra Fratrem tueri paratus ero.

XVI. Loquitur, ut diximus, Catechismus de homine, secundum partem non renatam, seu quà non regenito: Cæterum quod attinet hominem quà regenitum, docet eadem Catechesis, *Quæst. CXIV. eum incipere seriò non secundum aliqua tantùm, sed secundum omnia Dei præcepta vivere*: quod idem innuit Paulus Rom. 7. 22. *Delector lege Dei, quoad interiorem hominem*: & alibi passim S. Scriptura Gen. 6. 9. Psal. 119. 6. Phil. 3. 14: 2. Cor. 1. 12. 1. Tim. 1. 5. 1. Cor. 4. 4. Hebr. 13. 18. &c. Calumnia ergò est D. JCti, scribentis; *juxta Catechesin nostram, passione Christi nobis nihil collatum esse, sed mansisse in statu, in quo antè fuerimus.* Num, qui docet, *quòd, postquam nos Christus suo sanguine redemit, renovet nos quoque suo Spiritu ad imaginem sui; ut tantis beneficiis affecti in omni vita nos erga Deum gratos declaremus & ipse per nos celebretur. Deinde ut nos quoque ex fructibus de sua quisque fide certi simus. Postremo ut vita nostræ integritate alios Christo lucrifaciamus.* Item qui docet, *impossibile esse, ut, qui Christo per fidem insiti sunt, non proferant fructum gratitudinis*, statuit, nobis nihil passione Christi collatum

esse,


esse, sed nos mansisse, quales fuerimus post lapsum? Atqui hoc totidem verbis docet Catechismus *Quaest. 64. & 86.* Verum est, Catechesin summam perfectionem in hac vita non agnoscere, at nec eam Scriptura agnoscit Rom. 8. 23. 1. Cor. 13. 9. 10. &c. Quemadmodum enim arbor bona fert quidem fructus bonos, sed qui initio non maturi sunt, sed paulatim maturescunt; primis etiam annis sunt pauci, sed cum aetate arboris fiunt copiosiores: ita quoque comparatum est cum bonis operibus novi hominis. Plena maturitas & abundantia ad consummationem messis pertinet: *Tunc* enim, teste Paulo, *quod est ex parte, abolebitur 1. Cor. 13. 10. Num fructus Spir. Sancti*, ais, *pleni essent peccatis?* At haec est crambe ad nauseam usque cocta & recocta, quam tibi supra modò *cap. 10. num. 9.* resorbendam regessimus. Imperfectio, quam dicimus cum Scriptura admisceri bonis operibus, à carne nostra descendit, non à Spiritu Sancto: qui nos posset quidē in hac vita omnimode perfectos reddere, quemadmodū posset infantis recens nati corpusculū ad virilem staturam uno momento provehere: sed ut hoc ei non placet, qui gradatim in eo provehendo procedit; ita nec illud: sed placet ei *internum nostrum hominem renovare in dies 2. Cor. 4. 16.* Videant tandem illi, qui opera sua tantopere crepant cum Pharisaeis, & cum Pelagianis de perfectione sua gloriantur, quî futurum sit, ut internarum suarum qualitate nixi, externorumque actuum suorum dignitate freti, coram tremenda ejus, qui corda & renes scrutatur, Majestate consistant. Nos interim, illis fastu Pharisaico turgentibus & perfectionem suam operumque merita jactantibus, de nobis, in peccatorum nostrorum confessione, humiliter sentire nunquam desinemus, *praedicaturi* semper *virtutes ejus, qui nos vocavit è tenebris* (Papalibus) *in admirabilem suam lucem.*

Cui

Gloria sit Patri, Nato sit gloria, Sancto
Gloria Spiritui, Triadi sit gloria Sanctae!

IN-





Index rerum præcipuarum in hoc Tractatu occurrentium.

Cæ-

M.

N.

O.

P.

an

FINIS.

